INSTITUTIONES
IURIS ECCLESIASTICI PRIVATI

L. RIVET S. I.
LECTOR IURIS PUBLICI ET INSTITUTIONUM CANONICARUM
IN UNIVERSITATE GREGORIANA

INSTITUTIONES
IURIS ECCLESIASTICI PRIVATI

TOMUS I.

CONTINENS TRACTATUS

I. De iure ecclesiastico eiusque fontibus.
II. De personis, seu de duplici hierarchia Ordinis et iurisdictionis necnon de Ordinibus religiosis.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX
(IUVENUM ARTIFICUM A S. IOSEPH)

Prostat apud Depositarium librorum Universitatis Gregorianae
120, Via del Seminario

1914

5989

APPROBATIO ECCLESIASTICA OPERIS

Facultatem facimus ut opus, cui titulus : *Institutiones iuris ecclesiastici privati. Tomus I.*, a P. Ludovico Rivet, nostrae Societatis sacerdote, compositum typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Romae, in festo S. Ioannis Francisci Regis, 16 Iunii 1914.

Octavius Turchi S. I.
Praepositus Provinciae Romanae.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Franciscus Faberi, Vicariatus Urbis Adsessor

PROOEMIUM

1. Ex Theologia fundamentali et Institutionibus iuris ecclesiastici publici probatum assumimus Ecclesiam a Christo Domino institutam esse ut societatem visibilem, omnibus necessario ingrediendam, perfectam, cui profecto competunt omnes potestates tali societati essentiales, scilicet potestas legifera, administrativa, iudicialis et coercitiva (1). Quae quidem potestates ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem pertinent, prout a Christo Iesu est condita.

Nunc ulterius procedendum est et videndum quomodo *ad actum* reducatur potestas illa Ecclesiae, seu quomodo ipsa datas sibi potestates exerceat. Hoc *exercitium*, in toto suo ambitu, sub nomine *iuris ecclesiastici privati* consideramus: pro partitione enim in Quaestionibus iuris publici adoptata, iuxta communem hodiernum auctorum morem, *ius publicum* ad ea restrinximus quae ipse Christus Iesus circa essentialem Ecclesiae suae constitutionem determinavit (2), cetera omnia iuri privato amandavimus: tum ea

(1) Cf. Theologos vg. HURTER, *Theologiae dogmaticae Compendium* t. I. tract. III. c. 1. 2.; WILMERS, *De Christi Ecclesia* prop. 1. 9. sq. 30. MAZZELLA, *Praelectiones scholastico-dogmaticae*, tract. de Eccl. cap. I.; BILLOT, *De Ecclesia Christi* t. I. quest. I. XI.; PESCH, *Praelectiones dogmaticae* t. 1. prop. 32. sq.; Cf. etiam CAVAGNIS, *Institutiones iuris publ. eccl.* vol. I. cap. 2.; DE LUCA, *Instit iur. publ. ecc.* t. I. diss. 2.; WERNZ, *Ius Decretalium* t. I. n. 7.

(2) Cf. WERNZ l. c. n. 50. d. et nostras *Quaestiones iur. ecc. publici* p. 10.

quae ad Ecclesiae quidem constitutionem spectant sed a Christo originem non habent, cuiusmodi est Cardinalium, Patriarcharum, Primatum etc. institutio; tum ea quae ad Ecclesiae constitutionem non pertinent, quorum aliqua a Domino sunt, v. g. quae ad essentiam Sacramentorum pertinent, alia ab Ecclesia tantum originem ducunt, puta caeremonias in Sacramentorum confectione aut administratione adhibendas, tribunalium ordinationem et mutuam dependentiam etc.

Hinc iam primo conspectu manifestum fit partem non spernendam iuris *constituentis* seu *constitutivi* Ecclesiae iuri privato tractandam relinqui, eam nempe quae duplicem hierarchiam Ordinis et iurisdictionis (saltem quoad magnam partem) complectitur. Reliqua materia « ad ius constitutum de regimine Ecclesiae Catholicae spectat, quo universa actio socialis populi christiani ad finem Ecclesiae proprium dirigitur » (1).

2. Secundum ordinem pro Institutionibus receptum (2), initio tradentur notiones de *fontibus* iuris canonici *essendi* et *cognoscendi*, i. e. 1) de auctoritate quae subditis Ecclesiae leges imponere valet, 2) de documentis, maxime vero de collectionibus, ubi leges istae inveniuntur; succedet postea triplex tractatus de *personis*, de *rebus*, de *iudiciis et poenis*.

I. Sub titulo de *personis ecclesiasticis* ponitur duplex hierarchia Ordinis et iurisdictionis, adiecta tractatione integra de Sacramento Ordinis et de beneficiis et officiis. Utraque ad res ecclesiasticas reiici potuit, aptiorem tamen in hac prima parte sedem invenit: ubi enim de hierarchia agitur, quae per S. Ordinationem constituitur, materia de Sacramento Ordinis apte locatur; item materia de beneficiis, ubi de officiis tractatur, quae hierarchiam iurisdictionis constituunt: nam beneficia sunt propter officia, insuper plurima,

(1) WERNZ l. c. n. 56. not. 63.

(2) Cf. de ordine in novo Codice apte introducendo: PILLET, *De la codification du droit canonique* p. 53. sq. et ejusdem *Ius canonicum generale*.

quae circa beneficia agitantur, potius ad personam beneficiati quam ad ipsum beneficium referuntur.

Tractatui de personis ecclesiasticis annectetur quaestio de *Ordinibus religiosis*. Haec etiam inter quaestiones de rebus ecclesiasticis sedem invenire potest et ibi a pluribus auctoribus tractatur, tum ratione *votorum*, tum ratione *cultus socialis Deo praestiti*; at ex altera parte: 1) ipsi Religiosi inter personas ecclesiasticas numerandi sunt; 2) in Ordinibus distinctio hierarchica personarum invenire est; 3) non raro tandem potestas Ordinis et iurisdictionis, qua gaudere possunt Religiosi, ad aliorum fidelium regimen et sanctificationem extenditur: hinc merito inter personas, quae duplicem hierarchiam constituunt, et ipsi ponuntur. Tractatum de Religiosis excipient breves notiones de Tertiis Ordinibus et Confraternitatibus.

II. Succedet tractatio de *rebus ecclesiasticis* tum *spiritualibus* tum *temporalibus*. Ad res spirituales referuntur: magisterium ecclesiasticum, professiones fidei, praedicatio, scholae, censura librorum, maxime vero cultus divinus et Sacramenta.

Inter res temporales veniunt bona et fundationes ecclesiasticae, loca et aedificia sacra, coemeteria. Quaestiones tamen de Sacramento Ordinis et de beneficiis ecclesiasticis iam in primo tractatu praeoccupatae sunt.

III. Ultima pars notiones complectetur de *iudiciis* et *poenis ecclesiasticis*, praesertim spiritualibus et medicinalibus, seu de *censuris*.

Et sic explebuntur illae *Institutiones*, quae cum *Quaestionibus iuris ecclesiastici publici* (adhuc privato usui alumnorum Universitatis Gregorianae reservatis) totum ius ecclesiasticum summatim expositum amplectentur.

Divisionem primi tomi hic brevi conspectu proponere iuvabit.

TRACTATUS I. SEU PROLEGOMENA.

De fontibus essendi et cognoscendi iuris ecclesiastici.

PARS I. — *De fontibus essendi seu de legibus.*
PARS II. — *De fontibus cognoscendi, praesertim de collectionibus legum.*

TRACTATUS II.

De personis, seu de duplici hierarchia Ordinis et iurisdictionis.

PARS I. — *De hierarchia Ordinis.*
PARS II. — *De hierarchia iurisdictionis.*
PARS III. — *De Religiosis.*

TRACTATUS PRIMUS

SEU

PROLEGOMENA

De fontibus essendi et existendi iuris canonici

Praenotandum

3. In quaestionibus iuris publici demonstratum est competere Ecclesiae potestatem *legiferam*, quae independenter a qualibet civili potestate exercetur: haec a praecipuo actu sui exercitii nomen sortitur, qui actus est *leges* condere. Ius canonicum fere aliud non est nisi huius potestatis exercitium. Ecclesia ergo, vi potestatis sibi a divino suo auctore collata, leges condere valet. Ipsa per varias personas, praesertim per R. Pontificem, suum ius exercet; legislatores ecclesiastici constituunt *fontem essendi humanum* iuris canonici. Pro more enim consueto loquendi, sub appellatione fontium iuris canonici veniunt: 1) *conditores legum* quibus Ecclesia regitur, et dicuntur *fontes essendi*, scl. causae efficaces, origo a qua dimanat ius ecclesiasticum; 2) omnia *instrumenta* seu *media* per quae ad cognitionem harum legum deducimur, qui *fontes cognoscendi* dicuntur.

Hinc in *tractatus primi* parte I. de fontibus *essendi* agetur, in parte II. de fontibus *cognoscendi*. Ut autem modo com-

pleto materia proponatur, tractatus de fontibus essendi non restringetur ad considerandum quis possit leges dare Ecclesiae, seu quis sit *auctor* (seu subiectum *activum*) legis ecclesiasticae, at praeterea praecipua revocabuntur quae ad legem in genere pertinent, scl. ad eius *naturam, subiectum passivum, materiam;* accedent quaestiones de *promulgatione, confirmatione, interpretatione, cessatione* et *dispensatione* legis.

Postquam de legibus in genere (in *sectione I.*) actum fuerit, aliqua de legibus in specie (in *sectione II.*) proponentur.

Cum tamen plura sive in Ethica sive in Theologia Morali evolvi soleant, haec breviter tantum recolentur, magis autem in illis insistemus quae cum iure canonico strictiorem habent connexionem.

PARS I

De fontibus essendi iuris canonici

SECTIO I

De legibus in genere (1)

Articulus I

De natura, notionibus et divisionibus legum

4. **Natura et notiones legis.** — Lex *in genere* definitur a S. Thoma (1ª 2ae q. 90. a. 4.) « *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata* »; apte definiri potest lex *ecclesiastica:* « *ordinatio rationis ad bonum commune fidelium, ab eo qui communitatis ecclesiasticae curam habet, promulgata* » (2), vel: « *ordinatio stabilis superioris ecclesiastici competentis, fidelibus modo obligatorio imposita* » (3).

Hinc lex differt: 1) a mero *consilio*, quod obligationem

(1) De legibus omnino consulendi sunt: S. Thomas, *Summa theol.* 1ª 2ae q. 90.-108.; Suarez cuius tractatus *De legibus* opus est eximium et merito celebratum; Phillips, *Kirchenrecht* (trad. Crouzet, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*) t. III. § 146. sq.

(2) Wernz, *Ius Decretalium* t. I. n. 89. II.

(3) Aichner, *Compendium Iuris ecclesiastici* § 207. p. 752.

non infert, at id manifestat quod Superior bonum iudicat et faciendum proponit, non autem imponit;

2) a *praecepto* multiplici ratione. Praeceptum enim *principaliter* et *directe* bonum *privatorum* spectat; lex, bonum *publicum*; praeceptum emanare potest etiam a *persona privata*, dummodo aliqua potestate (v. g. paterna) praedita sit; lex a persona *publica*, potestate iurisdictionis in foro externo gaudente. Praeceptum *totam communitatem* non ligat aut saltem non in perpetuum, contra vero lex ([1]). Tandem praeceptum *per prius* respicit *personas*, non *territorium*, ut lex.

5. **Divisiones legis.** — Lex dividitur: 1) in *divinam* et *humanam*, prout Deum aut hominem ut auctorem *immediatum* habet;

2) in *naturalem* vel *positivam*, prout natura rationali intimatur aut actu libero legislatoris, sive is sit Deus sive homo;

3) in *ecclesiasticam* et *civilem*, prout lex positiva humana ab Ecclesia aut ab auctoritate civili fertur.

Leges ecclesiasticae et ipsae dividuntur: 1) ratione *ambitus*, in *uniuersales* et *particulares*, prout omnes fideles (saltem Ecclesiae Latinae) vel partem eorum ligant; — 2) ratione *auctoris*, in lege *pontificias*, *conciliares*, *episcopales* etc.; — 3) ratione *obiecti*, in *affirmativas* (seu praecipientes), *negativas* (prohibentes), *permittentes* ([2]); — 4) ratione *efficaciae*, in *prohibentes simpliciter*, *irritantes simpliciter*, *simul prohibentes et irritantes*, prout actum prohibitum illicitum tantum aut tantum invalidum, aut utrumque simul reddunt; — 5) ratione *formae*, in *scriptas* et *non scriptas*; — 6) ratione *obli-*

([1]) LEHMK., *Th. Mor* ed. 11, n. 146. dicit praeceptum exspirare, saltem Superiore vita vel officio functo, nisi forte, ut in Ordinibus religiosis nonnunquam contingit, contrarium constitutum sit. Apte tamen advertit WERNZ l. c. n 135. hoc haberi *de facto*, eo quod praescribens non intendat ligare ulterius, non autem *absolute* et *generaliter ex natura rei*: posset enim Superior, saltem quando vera potestate iurisdictionis praeditus est, praeceptum imponere, cuius vis obligandi ultra terminos vitae vel officii sui protraheretur: si enim *legem perpetuam* ferre potest, cur non *praeceptum perpetuum*?

([2]) Cfr. infra n. 13.

gationis, in *morales*, *poenales*, *mixtas*, prout obligant in conscientia vel ad actum ponendum aut omittendum, nulla poena statuta, vel disiunctive ad actum aut ad poenam, scl. ad poenam subeundam quae ob legem transgressam infligeretur, vel tandem ad utrumque, culpam et poenam.

Articulus II

De auctore seu subiecto activo legis

6. Deus solus est fons *primarius* et *absolutus* omnis legis, nam ipse solus ultimatim et propria potestate homini obligationem veri nominis imponere potest.

Legislatores subordinati, qui a Deo auctoritatem acceperunt leges ecclesiasticas condendi, sunt: 1) *R. Pontifex*, qui est fons *primarius*, *relativus*, a Deo pendens Deoque subordinatus (1); 2) dependenter a R. Pontifice: *Concilia* oecumenica et particularia, *Episcopi*, *Capitula* generalia aut etiam *Superiores* generales Ordinum religiosorum: sic, pro variis fontibus relativis iuris, habemus ius pontificium, conciliare, dioecesanum seu episcopale, particulare variorum Ordinum.

7. *De Deo auctore iuris ecclesiastici.* Deus duplici modo est fons seu origo iuris ecclesiastici: per ius *naturale* et per ius *positivum*.

1) Per *ius naturale*, cuius ipse est auctor, in quantum essentias rerum condidit, ad quas necessario sequuntur variae relationes, quae per legem naturalem sanciuntur. Merito numeratur ius naturale inter fontes iuris canonici. Nam 1) huic, sicut cuilibet iuri, praestat fundamentum, quia ex ipsa creaturarum essentia exsurgit, et manifestatio est legis aeternae; 2) omnia membra Ecclesiae ligat; 3) immo quoad

(1) R. Pontifex tamen non est fons *unicus*, ut parum exacte tenet Bouix, *De principiis* p. 162 sq. quem confutat Wernz t. I. n. 137. not. 1.

substantiam plures res regit, v. g. matrimonium, proprietatem ecclesiasticam, iudicia.

2) Per *ius positivum:* Deus enim per revelationem supernaturalem voluntatem suam creaturis manifestans factus est auctor legis positivae divinae. Quae revelatio continetur in libris Veteris et Novi Testamenti et in Traditione non scripta. In Veteri Testamento habebantur praecepta *doctrinalia, moralia, caeremonialia, iudiciaria* (1). At horum praeceptorum non retinet lex nova nisi doctrinalia et moralia: doctrinalia quidem multo magis evoluta et completa; moralia vero non vi legis Mosaicae sed quatenus a Christo Domino confirmata; qui insuper per consilia evangelica sublimiori modo proposuit et ad perfectionem adduxit praecepta moralia veteris legis.

Tandem praecepta caeremonialia et iudiciaria per legem evangelicam sunt abrogata: unde si quae adhuc vigent, non vi legis antiquae sed quia Ecclesia ea accepit et suas leges fecit, leges proinde mere ecclesiasticas: huiusmodi sunt plures ritus in consecratione ecclesiae adhibiti (2), vel sanctiones qnaedam poenales v.g. c. 1. de homic. V. 12. ex Exod. XXI. 14.

Iuxta axioma inter Theologos receptum, Christus n Evangelio nulla nova praecepta dedit, nisi fidei et Sacramentorum, i. e. plura credenda proposuit, ritusque instituit qui ad essentiam Sacrificii Missae et Sacramentorum pertinent (3). Nec leges iudiciales tulit, at plenam potestatem legiferam Ecclesiae suae dedit ut tales constituere posset.

Ad *ius divinum* pertinent ea quae Apostoli post Pentecosten ex revelatione Spiritus Sancti praeceperunt: haec sunt originis divinae, immutabilia et dicuntur leges *divino-apostolicae:* tale est, iuxta sententiam longe communiorem, privilegium Paulinum (4).

(1) PHILLIPS, *KR.* t. III. § 147. WERNZ. t. I. n. 82. sq,

(2) SUAREZ, *De leg.* l. X. c. 2. praes. n. 20. ZECH. *Praecognita juris can.* § 80.

(3) S. THOM. *Quodl.* 4. a. 13. PHILLIPS l. c. v. fin.

(4) WERNZ t. IV. n. 702. not. 60.

8. Ad *ius humanum* e contra pertinent leges quas tradiderunt Apostoli, ut primi Ecclesiae rectores: et dicuntur *mere apostolicae* (1). Inter ceteros Apostolos eminebat Petrus, qui plena potestate legifera indutus erat in universam Ecclesiam. Singuli tamen Apostoli potestatem quodammodo universalem et ipsi obtinebant; at duplicem restrictionem patiebatur eorum auctoritas: 1) Petrum ligare non poterant, bene vero eos Petrus; 2) suis Ecclesiis a se fundatis leges imponere poterant, non autem toti Ecclesiae independenter a Petro (2).

Ipsis Apostolis, ut Ecclesiae rectoribus, referuntur plures leges antiquissimae, v. g. de sanctificatione diei dominicae, de ieiunio quadragesimali, et est celebre S. Augustini effatum, quod leges et praecepta Ecclesiae antiquissima et universalia, cuius origo non potest alicui Pontifici vel Concilio determinato referri, institutioni apostolicae sint attribuendae (3).

9. Aliud discrimen, maximi quidem momenti, inter Petrum et ceteros Apostolos, in eo situm est, « quod potestas data est Petro ut in illa ei succederetur et ita per successionem perpetuo in Ecclesia duraret; aliis vero Apostolis solum data est per modum cuiusdam legationis et perso-

(1) Notat PHILLIPS, *KR.* t. III. § 151., Patres et Christianos priorum saeculorum, quin cum Revelatione ea confunderent quae originis mere apostolicae erant, maximam tamen ipsis reverentiam praebuisse, ita ut vix unquam ea mutari paterentur; praesertim vero SS. Pontifices has traditiones maxima cura retinere conabantur.

(2) WERNZ t. I. n. 91. Paulo aliter *theoretice* (nam *practice* in idem recidit) SUAREZ, qui putat eos potuisse quidem leges ferre obligantes universalem Ecclesiam, tamen « ordinarie illas non tulisse nisi ex consensu et acceptatione Petri vel certe illas tulisse in eis provinciis in quibus praedicabant et postea (eas) non nisi sciente et consentiente Petro ad totam Ecclesiam dimanasse »: huiusmodi sunt leges de bigamis vel neophytis non ordinandis (I Tim. III. 2. 6). SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 3. n. 9.; *De fide*, Disp. X. sect. 1. n. 25.

(3) S. AUG., *De Bapt. contra Donat.* l. II. c. 7. n. 12. MIGNE, *P. L.* t. 43. col. 133.

nalis muneris finiendi cum vita eorum » (1). Non enim succedunt singuli Episcopi tali vel tali Apostolo, sed Episcopi simul sumpti (collegium Episcoporum) collegio Apostolorum succedit.

Unde nulli nunc praeterquam R. Pontifici vel Concilio oecumenico, unito cum R. Pontifice, competit potestas quaedam universalis in Ecclesia. Concilium vero oecumenicum non est subiectum auctoritatis *adaequate* sed *inadaequate* a R. Pontifice distinctum: est *corpus* cum *capite*. Insuper tota potestas iurisdictionis, quam exercent Episcopi in Conciliis etiam oecumenicis, est ipsis *immediate* per R. Pontificem, non immediate per Christum, transmissa (2): nihilominus est quaedam auctoritas ipsis propria proprioque nomine exercenda quae a Deo, licet *per* Papam, ipsis conceditur: hinc quando Concilium leges fert, aliud est subiectum potestatis legiferae quam quando solus Pontifex: ipse est quidem pars, immo et caput corporis (seu collegii) Episcoporum: corpus Episcoporum est subiectum distinctum, at inadaequate tantum, a solo Papa (3).

10. Multo minus *Cardinales* sunt subiectum activum legis universalis: Sede quidem plena, sunt solummodo Consilium et Senatus R. Pontificis, qui non ex stricta iuris necessitate sed ex sola prudentia et aequitate eos audire tenetur (4); Sede vero vacante, potestas legifera nec iure divino nec iure ecclesiastico ipsis concessa invenitur; immo explicite prohibentur leges ferre et aliter quam per mandata in rebus necessariis providere (5).

11. *Congregationes Romanae* leges universales non sòlent condere sine speciali R. Pontificis approbatione, immo

(1) SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 3. n. 8.

(2) Haec est sententia nunc communis et quae certa dici potest. Cf. WERNZ t. II. n. 737. I. et 738. SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 4 n. 2. sq. c. 6. n. 2.

(3) Hic etiam reformanda videtur sententia BOUIX, *De principiis* p. 162. sq.

(4) WERNZ t. I. n. 91. SUAREZ l. c. l. IV. c. 3. n. 14.

(5) C. 2. Ne Romani, de elect. I. 3. in Clem.; Const. « *Sede vacante* » n. 3-5. WERNZ t. II. n. 649

nec novas leges vere universales et perpetuas condere possent, cum iuxta sententiam communiorem ad hoc requiratur quaedam *indefectibilitas*, R. Pontifici propria et incommunicabilis (1).

12. **Legislatores particulares.** Praeter legislatores universales, sunt etiam in Ecclesia legislatores particulares quorum leges aliquam tantum partem populi christiani ligant.

Legati R. Pontificis possunt pro sua provincia leges et statuta perpetuo duratura condere, iam ab ipso exitu ab Urbe (2).

Patriarchae, Primates, Metropolitae, de iure communi nunc vigente, leges, ordinarie saltem, solummodo in propria dioecesi dare possunt.

Episcopi in dioecesi leges ferre possunt *iuxta* vel *praeter* non autem *contra ius commune*, nec circa negotia quae Papa sibi specialiter reservavit; possunt etiam leges irritantes ferre. Sua potestate tum in Synodo tum extra Synodum utuntur. Episcopus enim est *solus* legislator in sua dioecesi, et in ipsa Synodo ne consilium quidem Synodi petit sed tantum sui Capituli, quin immo necessitas habendi illud consilium ligat tantum *usum* eius potestatis (3). Leges Episcopi etiam extra Synodum latae non exspirant per eius mortem (4).

Praelati « *Nullius* » qui territorium separatum habent, *Vicarii Apostolici* in sua ditione, *Coadiutores Episcoporum*, qui eos impeditos cum plena administrationis potestate supplent, eamdem potestatem legiferam ac ipsi Episcopi obtinent. Alii Praelati inferiores ea non gaudent, nec Vicarius generalis absque speciali mandato Episcopi.

Ipsi *Cardinales* presbyteri vel diaconi in suis titulis leges

(1) Quaestio haec satis delicata et aliquantulum controversa aptius infra evolvetur, ubi de potestate legifera R. Pontificis agetur et ubi de SS. Congregationum decretis.

(2) C. 10. X. de off. legati I. 30. PIRHING in h. t. n. 9.

(3) Ex sententia communiori contra quosdam. Cf. SUAR., *De leg.* l. IV. c. 4, n. 2. sq. c. 5. n. 1. sq.

(4) Cf. c. 1. de elect. I. 3. BENEDICTUS XIV, *De Syn. dioec.* l. II. c. 5. n. 6. 8. Cf. infra de Episc.

proprie dictas condere nequeunt, at tantum statuta : nam eorum potestas iurisdictionis solummodo circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem exerceri valet, ad modum potestatis domesticae, quae exercetur a Capitulo circa sua membra ([1]). In Ordinibus religiosis stricte dictis, de iure communi *Capitulis* vel *Congregationibus* praesertim generalibus competit potestas legifera ; non competit *Praelatis* nisi ex iure particulari, cum sit quaedam superior gubernatio quae illis concedi non solet ([2]).

Articulus III

De obiecto seu materia legis

13. **Principia.** R. Pontifex omnibus et singulis fidelibus praecipere potest, legislatores inferiores suis tantum subditis : en primus limes quo potestas legifera continetur. At praeterea determinatur et restringitur potestas cuiusvis legislatoris ecclesiastici, etiam supremi, per ipsum finem Ecclesiae. Potestas enim cuiusvis societatis perfectae sese ex-

([1]) Ferraris, *Bibl. prompta* v. *Cardinales* art. III. addit.

([2]) Piat Montensis, *Prael. iuris reg.* P. IV. c. 2. art. 3. ; Vermeersch, *De relig. Inst. et pers.* t. I. n. 423. ; Wernz t. III. n. 690. Distingui possunt etiam pro diversitate subiecti : legislatores *singulares* qui ut individuae personae, legislatores *collegiales* qui per modum collegii legem ferunt. Huiusmodi sunt : 1) *SS. Congregationes Romanae ;* 2) *Concilia*, sive oecumenica, sive provincialia, regionalia, nationalia ; 3) Capitulum cathedrale, sede episcopali vacante ; at post electionem Vicarii capitularis, per eum solum suam potestatem exercere potest ; et extra hunc casum nulla gaudet potestate legifera : nam pro legibus episcopalibus consilium, non consensus eius, requiritur et « latum... intercedit discrimen inter consilium et consensum », ait Benedictus XIV. (*De Syn. dioec.* l. XIII. c. 1. n. 6.) ; solummodo pro seipso statuta condere potest : at haec non sunt leges. (Cf. Wernz t. I. n. 94. III. cum not. 37.) ; 4) Capitula saltem generalia Ordinum religiosorum virorum, qui vere exempti sunt. (Wernz l. c. n. 94 ; Vermeersch. *De relig. Inst...* t. I. n. 401. 423. ; Bouix, *De Regul.* t. II. p. 411 sq.

tendit ad omnia et sola obiecta quae ad finem convenienter prosequendum necessaria sunt. Iamvero finis Ecclesiae est bonum supernaturale hominum procurandum: hinc potestas legifera Ecclesiae versatur *directe* circa actus vel res quae ad finem supernaturalem ordinantur, seu circa res fidei, morum, disciplinae; *indirecte* circa res quae quamvis *de se* ad talem finem non ordinatae, ex circumstantiis tamen necessariae fiunt ad eum convenienter prosequendum. Quaenam autem tales sint, quamvis ex discursu rationis magna ex parte possit intelligi, praecipue sumendum est ex traditione et communi doctrina Ecclesiae (1).

14. Exercebitur autem potestas Ecclesiae: nunc *praecipiendo* actus virtuosos, quorum positio sit *possibilis*, *utilis*, *iusta;* nunc *prohibendo* actus malos, vel etiam indifferentes at ex adiunctis periculosos, noxios; nunc *permittendo* actus indifferentes aut minus bonos (2); nunc *poenas statuendo* sive ad confirmandas leges morales, quae in conscientia obligant, sive ad supplendam istam obligationem pro lege poenali.

15. Actus *heroici* a Deo quidem praecipi possunt pro supremo suo dominio in homines, quos ceterum gratiae suae auxilio adiuvare valet; per legem vero humanam praecipi *de se* non possunt: nam lex huiusmodi moraliter possibilis dici nequit. Possunt tamen aliquando ob necessitatem communem praecipi, praesertim vero ob officium libere susceptum cui actus huiusmodi annectantur; ita v. g. cura animarum tempore pestilentiae a pastoribus heroicum quid exiget, nempe ut maneant et vitam periculo exponant.

(1) Cf. Suarez, *De leg.* l. IV. c. 12. n. 10. et nostras *Quaest. iuris eccl. publ.* p. 118. 132. sq. 145. sq. ubi vindicatur potestas Ecclesiae exigendi res natura sua temporales et de se ad finem societatis civilis ordinatas, aut circa illas aliquid decernendi, quoties talis provisio necessaria fit ad finem Ecclesiae.

(2) Lehmkhul, *Theol. mor.* t. I. n. 220. Actus pravos positiva legis civilis dispositione *tolerari*, non tamen *permitti* contingit; immunitatem seu tolerantiam huiusmodi non concedit Ecclesia.

16. Actus *interni*, qui proprie tales sunt, iuxta communiorem sententiam praecipi non possunt (1). At dantur actus interni qui necessarii sunt ad esse *physicum* vel *morale* actus externi, i. e. sine quibus vel *non erit* vel *talis* non erit; sic requiritur *voluntas* interna agentis ut actum exteriorem ponat, aliquando etiam necessaria erit determinata quaedam intentio interna ut actus sit moraliter talis, v. g. ut sit Sacramentum, contractus, etc. Cum ipse Status pro materia sibi concredita huiusmodi actus internos praecipere possit, v. g. pro iuramento praestando, dubium non est quin Ecclesia eos imperare possit. Quod autem *mere internos* per *legem* praecipere nequeat, inde probatur: 1) quod eius potestas legifera *per se* et *primo* ordinetur ad externum et commune fidelium regimen (argumentum convenientiae) (2); 2) quod de interioribus nec *iudicare* nec *coactionem exercere* valeat, unde inutilis apparet potestas leges ferendi, quibus praesto non esset iudicium nec coactio (3); 3) esto tandem inde non probetur invicte a Christo Domino talem potestatem Ecclesiae dari *non potuisse*, asserendum tamen videtur hanc *de facto concessam non fuisse:* talem enim Ecclesia nec usu nec declarationibus sibi vindicavit, quin potius a se abnuit, dicens: «Nobis datum est de *manifestis tantum* iudicare» (4).

(1) BENEDICTUS XIV., *De Syn. dioec.* l. IX. c. 4. n. 4. eam sententiam *communem* vocat, iuxta S. THOM. 1ª 2ae, q. 91. art. 4. et q. 100. art. 9.; SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 12. Item S. ALPH. l. I. n. 100.; WERNZ t. I. n. 98. OJETTI, *Synop.* v. *Lex.*; HERG.-HOLLW. n. 159. not. 5: contrarium tenent LA CROIX, ELBEL, BALLERINI-PALMIERI t. l. n. 308. sq. NOLDIN, *De princ.* n. 138.

(2) SUAREZ l. c. l. IV. c. 12. n. 13. 14. 10. 5. sq.

(3) S. THOM. 1ª 2ae. q. 91. a. 4.; q. 100. a. 1.

(4) C. 34. X. de simon. V. 3. (Innocentius III.) Quod argum. iuxta SUAREZ l. c. n. 7. sq. est omnium validius. Et re vera cum Ecclesia ut scopum etiam immediatum habeat singulos fideles ad vitam aeternam ducere, et ad hunc finem obtinendum actus *mere interni* multum conferre valeant, apte possent huiusmodi actus omnibus per legem praecipi; sanctio vero non omnino deesset, cum transgressio legis, per poenas ipso facto incurrendas, maxime censuras, puniri possit; unde tandem potestas interna praecipiendi dari *potuisset* Ecclesiae, at *de facto* ipsi, probabilius saltem, non fuit data.

Cum autem actus internos praecipere videtur, vel tantum ius naturale et divinum declarat, vel eos exigit ut conditiones ad gratias (fori interni), v. g. indulgentias, lucrandas, vel in virtute liberae promissionis (1).

Actus autem interni qui a multis dicuntur *mixti*, qui scl ab actu interno separabiles sunt, at multum conferunt ad bonum commune, ut intentio offerendi Missam pro populo, certe ab Ecclesia praecipi possunt (2).

17. Actus *praeteriti* a lege non attinguntur nisi exceptio et constitui possit et re vera constituatur (3). Quod evidens est pro lege *simpliciter praecipiente* vel *prohibente* et etiam pro lege quae *poena* plectit actum antea non prohibitum; si fuerit iam prohibitus, poena, arbitrio iudicis hactenus relicta, poterit per legem determinari etiam circa actus praeteritos, difficilius poena iam fixa mutari, quod solus R. Pontifex gravi de causa faciet. — Mera *declaratio* legis *naturalis* vel *divinae* evidenter actus anteriores attingit, non autem legis *humanae* declaratio. — Immo non repugnat leges *irritantes* ad praeterita extendi, at talis dispositio exprimenda erit, oportetque rem esse possibilem: sic matrimonium semel valide contractum nulla lege irritari potest.

Articulus IV

De subiecto passivo legis

18. *Subiectum* legis est is qui legem observare tenetur. Et legibus quidem Ecclesiae *universalibus* ligantur iure divino *omnes* (4) et *soli valide baptizati*, *habitualiter rationis*

(1) Noldin, *De Sacram.* n. 181.

(2) Bulot, *Comp. th. mor.* t. I. n. 93.; Lehmk, t. I. n. 223.

(3) Cf. c. 13. X. de constitut. I. 2.

(4) A legibus *de se* universalibus potest Ecclesia aliquos fideles exceptione quadam etiam largissima eximere. Sic convenit generatim inter auctores, Orientales ligari legibus Ecclesiae Romanae solummodo: 1) quoad

compotes. Nam per validum baptisma aliquis subditus Ecclesiae efficitur et talis subiectio, quae in charactere indelebiliter impresso fundatur, nunquam cessare potest. Desinet aliquis esse membrum Ecclesiae per apostasiam, haeresim etc., nunquam desinet esse subditus Ecclesiae : aliud enim est subiici auctoritati, aliud adnecti corpori Ecclesiae, ad quod praeter baptismum requiritur ut quis *externe* fidem rectam profiteatur, Sacramenta rite accipiat, hierarchiae obediat (1).

19. Hinc, quia baptismo carent, Ecclesiae legibus non subiiciuntur *infideles*, nec etiam *catechumeni* (saltem *directe*, at tantum *indirecte*, vel *conditionate*, quando praecepta observant, quae statuuntur ut baptismo accipiendo sese rite praeparent).

E contra subditi sunt Ecclesiae legibus, quamvis eius membra amplius non sint, *apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati* sive *vitandi* sive *tolerati*. Tenent tamen plures auctores Ecclesiam *posse* quidem, *nolle* tamen haereticos et schismaticos, praesertim qui tales nati sunt, legibus ligare quae potius ad sanctificationem personalem pertinent, ne inutiliter multiplicentur peccata. Melius dicendum videtur Ecclesiam eos suis legibus obligatos habere, at iudicium et coactionem erga eos non praetendere, cum impossibilia sint. Ratio autem allata non est tanti facienda : aut enim sunt *bona fide* et tum transgressio legis est mere *materialis*, quod in lege *humana*, et deficiente scandalo, magnum incommodum non infert ; vel sunt *mala fide* et tunc minime convenit eos a legibus eximi (sicut nec eximuntur ab obligatione sese cum Ecclesia quam primum reconciliandi) (2).

20. Legibus *particularibus* tenentur hi qui sunt *de territorio* legem ferentis, i. e. qui ibi domicilium aut quasi-

---

res fidei ; 2) ubi habetur potius legis divinae aut naturalis declaratio ; 3) quando *expresse* declarantur a lege attingi aut quando aliquid de ipsis determinate statuitur.

(1) Cf. *Quaest. iuris eccl. publ.* p. 111. p. 167.

(2) Cf. *Quaest. i. eccl. publ.* p. 167.

domicilium habent, ibique actualiter versantur aut versari censentur. Nam legislator particularis subditos suos tantum ligare potest nec ultra territorium, iuxta axioma receptum : « Extra territorium ius dicenti impune non paretur » (c. 2. de const. I. 2. in Sexto). At leges aliquando *personam* ligant independenter a *territorio* (sicut et *praecepta*) : tales sunt leges et statuta Superiorum regularium, qui ab Ecclesia iurisdictionem in suos subditos obtinent, non ratione territorii sed personae.

21. **Scholion.** — Proponi solent variae quaestiones circa modum quo lex legitime lata certas personas obligat.

Quaeritur I. [1] — *Teneturne Superior legem a se latam observare ?*

Res aliqua difficultate non caret. Vi coactiva obligari non potest Superior nec « tanquam praecepto directe sibi imposito » [2] : nam nemo seipsum cogere, nemo sibi ipsi obligationem proprie dictam imponere valet. Communiter tamen tenent auctores ipsum ligari : appellant alii ad quamdam legem divino-naturalem, quae alia non est nisi quaedam ratio *aequitatis* et *convenientiae* ut caput membris conformetur, ob exemplum dandum, scandalum vitandum : haec vera fit obligatio, at sub *veniali* tantum urget [3]; alii, cum Suarez, putant Superiorem ligari ex eiusdem virtutis motivo ac ipsi subditi, quia per legem quam tulit « constituitur certa regula virtutis quam ipse, ex vi rationis naturalis, sequi tenetur, quia ita praescriptum est ab auctore talis potestatis » [4] ; Deus scl. potestatem legiferam homini dare

[1] Ad quaestionem : utrum clerici ligentur legibus civilibus ? responsum habetur in *Quaest. iuris eccl. publ.* p. 225., ubi ostenditur clericos minime teneri de legibus civilibus, quae per abusum potestatis civilis circa res spirituales vel contra immunitates feruntur, teneri vero de legibus quae in materia, clericis et laicis communi, latae sunt nec sacris canonibus obstant, et tunc *probabilius* teneri ex ipsa efficacia legum civilium. Cf. Wernz t. I. n. 108. et not. 101.

[2] Suarez, *De leg*, l, III. c. 35. n. 26.

[3] Schmalz. l. c. in l. I. tit. 2. n. 36.

[4] Suarez, l. c, Lehmk. *Th. Mor.* I. n. 145.

non vult, quin simul obligetur caput cum membris: hinc talis obligatio sub gravi urgere potest.

22. **Quaeritur II.** *An et quomodo peregrini ligentur legibus loci ubi actualiter degunt?* — *Peregrini* (1), i. e. ii qu; actualiter versantur extra locum ubi *domicilium* vel *quasi-domicilium* habent, non ligantur legibus *particularibus* loci domicilii vel quasi-domicilii: nam lex per prius territorium respicit et aliunde iure suo usi sunt e territorio exeuntes; aliquando tamen, cum ob quamdam obligationem, maxime officii, in loco suae residentiae ipsis remanendum fuisset, per fictionem iuris censentur adhuc in patria praesentes: sic parochus, parochiam sine debita licentia deserens, legem residentiae violat et in poenam delicti fructus sui beneficii pro rata absentiae omittit.

Probabilius peregrini non ligantur legibus particularibus loci ubi degunt, nam non fiunt subditi illius loci (2).

At tenentur legibus *universalibus* a quibus per *privilegium* eximitur illorum patria, nam localia privilegia tantum praesentibus in loco favent: sic tenetur Gallus, extra Galliam degens, Missam audire die Circoncisionis vel Epiphaniae.

Insuper ligantur peregrini per leges quae *ordinem publicum* respiciunt, qualis est prohibitio arma deferendi, item per leges quae contractus regunt aut delicta puniunt; tandem per leges quae ratione boni communis speciatim pro peregrinis constitutae sunt (3).

(1) Noldin, *De Princip.* n. 149.
(2) S. Alph., *Theol. Mor.* l. I. n. 156.
(3) Wernz t. I. n. 107.

Articulus V

De promulgatione, vacatione et acceptatione legis

23. Lex dicitur *ordinatio rationis*, et intelligitur ordinatio *praeceptiva*, qua subditus, voluntatem Superioris cognoscens, ea se obligatum sentit. Inutiliter ergo lex fertur, si subditus eam ignorat vel ab obligatione indemnem se putat. Hinc merito nunc quaerendum est quandonam lex censenda sit sufficienter manifestata ut obliget, an statim tunc obligare incipiat, an forte aliquis subditorum consensus ad valorem legis praerequiratur, quibus quaestionibus respondetur per breves notitias de promulgatione, vacatione et acceptatione legis.

Promulgatio definiri potest *externa legis propositio a legislatore communitati solemniter facta.* Differt: 1) a privata *notitia* seu cognitione legis, quae potest haberi etiam ante promulgationem; 2) a *divulgatione*, qua lex iam promulgata diffunditur et ad omnium notitiam pervenit.

In ipsa definitione legis, a S. Thoma tradita, ut *elementum constitutivum* legis, indicatur *promulgatio:* haec, iuxta sententiam fere communem, necessaria est ad valorem legis, saltem ut *conditio essentialis;* vicissim, semel apte facta promulgatione, lex obligat.

Forma externa promulgationis non determinatur a natura rei sed ab ipso legislatore, saepe mediante consuetudine.

a) Leges *pontificiae* olim promulgatae habebantur « per affixionem ad valvas principum Urbis Basilicarum, praesertim Vaticanae ac Lateranensis » ([1]) aut etiam in Campo Florae; sed aliae etiam formae adhibitae sunt: sic statutum est, decretum « *Tametsi* » (Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de ref.) publicandum esse in singulis parochiis, ut ibi robur habe-

([1]) Cappello, *De Curia Rom.* t. I. p. 55.

ret. Vi Const. « *Promulgandi* » 29. Sept. 1908. lex pontificia nunc promulgata habetur per insertionem in ephemeridibus « Acta Apost. Sedis » et earumdem transmissionem ad Episcopos.

Tandem per usum universalem aut doctrinam communiter traditam praesumitur aut suppletur explicita promulgatio. At nequaquam requiritur ut leges pontificiae in unaquaque provincia ecclesiastica promulgentur, ut ibi obligent, quae sententia aliquorum Gallicanorum et Iansenistarum prorsus reiicienda est; multo minus requiritur Placitum Regium ut in aliqua regione vel publicari possint vel suum valorem sortiantur.

b) Leges *episcopales* iuxta modum ab ipsis Episcopis constitutum promulgantur, generatim per publicam lectionem in ecclesia cathedrali, per affixionem ad valvas eiusdem, aut per insertionem in ephemeridibus periodicis dioecesanis.

24. **Vacatio** vocatur tempus quod est vel esse potest inter promulgationem et actualem obligationem legis. Nisi aliter caveatur, lex statim a promulgatione obligat; quod non solum de lege *credendi* valet (patet enim definitionem fidei obligare statim ac noscitur), sed etiam de lege *agendi* (seu disciplinari).

Pro legibus *Praelatorum inferiorum* ius nil de vacatione dicit: hinc statim obligant, ut omnes fatentur (1). Pro legibus *pontificiis*, aliqui Canonistae, iure Romano innitentes, quo vacatio *duorum mensium* statuebatur, idem intervallum requirebant; at haec dilatio, quamvis nullo textu iuris canonici explicite reiiciatur, saltem contraria consuetudine est reiecta (2).

Potest tamen vacatio quaedam a lege ipsa determinari et praestat ita fieri quoad leges irritantes vel ius aliquod

(1) BENED. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 4. n. 2.; SUAR., *De leg.* l. III. c. 18. n. 9.

(2) SUAR. ib. l. IV. c. 15. n. 12.; WERNZ t. I. n. 101.; S. ALPH. l. I. n. 96. quaer. 2. probabilem habet sent. oppositam, at solido fundamento niti non videtur.

tollentes. Sic Decretum « *Ne temere* » de matrimonio, die 2. Aug. 1907. publicatum, obligare non incepit nisi a Paschate a. 1908.

Insuper in foro externo conceditur aliquod tempus, ab ipso iudice inferiori determinandum, intra quod *praesumitur* ignorantia subiectiva.

25. **Acceptatio** per ipsos subditos nequaquam requiritur ad valorem legis etiam societatis civilis, multo minus in Ecclesia, societate *hierarchica*, immo et *monarchica;* nec magis requiritur actualis legis *observatio,* quae eam non constituit sed tantum firmat, iuxta dictum Gratiani (post c. 3. dist. 4.): (Leges) firmantur cum moribus utentium approbantur » (1).

Si lex nociva vel minus utilis appareat, potest quidem *appellatio* fieri a legislatore ad eius Superiorem. Interim applicatio suspenditur, nisi tamen aliter cautum fuerit; sic statutum est decreta disciplinaria Episcopi, praesertim in visitatione lata, per appellationem non suspendi (2). A lege supremi Principis non datur *appellatio* sed *supplicatio* ut velit legem mutare; quae si ab Episcopo fiat, aut ab Episcopis in Synodo adunatis, dicitur *remonstratio* et interim suspenditur lex, ex benigna voluntatis Superioris interpretatione (3).

Articulus VI

De confirmatione legis

26. **Praenotandum.** — Lex a legislatore supremo in Ecclesia lata, a nullo confirmari debet nec potest: nam R. Pontifex nullum habet superiorem in terris, ne Concilium quidem oecumenicum (ut voluerunt Gallicani, Febro-

(1) Cfr. Suar. l. c. l. III. c. 19. n. 9.
(2) Trid. sess. 24. c. 10. de ref.
(3) Wernz t. II. n. 756. β.

niani etc.), multo minus ipsum populum christianum (iuxta placita Marsilii Patavini, Richerii, Protestantium, qui constitutionem Ecclesiae prorsus evertunt) ([1]). Si autem lex a legislatore inferiore lata fuerit, confirmatio a Superiore non repugnat et aliquando exigitur. De necessitate et effectibus eius hic aliquid dicendum est.

Definitio et divisio. — Confirmatio est *corroboratio legis per Superiorem legitimum eius qui legem tulit.*

I. *Essentialis* est vel *accidentalis*, prout requiritur vel non ut res statuta vim legis habeat. Confirmatio *essentialis* habenda est, quoties lex ab eo fertur qui potestate legifera vel *nullo modo* gaudet (v. g. Capitulum monialium) vel saltem *non complete:* cuiusmodi est Concilium oecumenicum, quod absque R. Pontifice iurisdictionem universalem nec iure divino nec iure ecclesiastico obtinet ([2]). Confirmatio *accidentalis*, quamvis necessaria non sit ut res praescripta vera lex fiat, ipsi tamen maius robur addit.

II. Ratione *formae*, confirmatio dicitur *specifica* vel *communis*. Prima post accuratum et diligens examen et modo absoluto conceditur. De intentione Superioris constabit per unam (vel plures) ex consuetis clausulis: *ex certa scientia, ex potestatis plenitudine, non obstante quacumque lege aut consuetudine,* vel alia simili formula.

Confirmatio in forma communi, quae tam diligens examen non requirit (quamvis de facto istud saepe praecedat), intelligitur modo conditionato data, scl. *si iuste, canonice, provide facta sit lex ;* tali confirmatio exercitium totius potestatis Superioris non implicat.

In dubiis tenendum est pro approbatione *communi*, quia altera est magis exorbitans et extraordinaria.

Utriusque confirmationis effectus non parum differunt ([3]). 1) Lex approbata in forma communi manet lex inferioris legislatoris, puta Episcopi; in forma specifica fit lex Superioris

([1]) Cfr. *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 146. sq.
([2]) SUAREZ l. c. l. IV. c. 6. n. 2.
([3]) SCHMALZGR. in l. II. tit. 30. n. 4. WERNZ t. I. n. 115.

confirmantis, v.g. R. Pontificis (1); — 2) approbatio in f. spec., non autem in f. comm., validat legem quae de se invalida esset ob aliquem defectum, (puta auctoritatis in praecipiente aut formae adhibitae etc.), nisi defectus sit insanabilis aut aliter caverit Superior; — 3) lex approbata in f. comm. mutari potest a Praelato qui eam tulit, non autem si approbata fuerit in f. spec., nisi expresse vel tacite Superior hanc facultatem concesserit (2).

Articulus VII

De interpretatione legis et epikeia

27. **Praenotandum.** — Lex verbis claris et perspicuis exprimenda est, quae legislatoris intentionem absque ambiguitate manifestent. Cum tamen non unum tantum aut alterum casum contempletur, sed innumeris casibus et adiunctis saepe valde dissimilibus applicanda sit terminis sat generalibus exprimatur oportet: hinc apparet necessitas sensum legis, verbis magis explicitis, aliquando explicandi, quo aptius casui considerato applicari possit: haec determinatio sensus dicitur *interpretatio* legis. Aliquam analogiam cum interpretatione praebet *epikeia*, quapropter de epikeia etiam hic aliquid dicendum videtur.

28. **Definitio et divisio interpretationis.** — Interpretatio est *genuina explicatio sensus in lege ab initio iam contenti sive comprehensi*. Hic sensus est quaerendus iuxta mentem legislatoris, non qualem forte apud se habuit, sed quam verbis legis manifestavit.

(1) Lex ab aliqua S. Congregatione lata, approbata in f. comm., *lato sensu* tantum *pontificia* dici debet, in quantum S. Congr. est R. Pontificis organum, non *stricto sensu*, nam non fit lex ipsius R. Pontif.; secus si approbetur in f. spec.

(2) Cf. Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 5. n. 9. sq.

Interpretatio dicitur *authentica* (sensu iuridico), si ab ipso legislatore procedit, et tunc vim obligandi habet : hinc etiam dicitur *necessaria ;* potest vel omnes ligare vel tantum aliquos, v. g. partes litigantes in aliquo iudicio, pro modo quo datur.

Interpretatio, quae a legislatore non procedit, et *non-necessaria* dicit potest, est *doctrinalis* aut *usualis : doctrinalis,* si a doctis et iurisperitis fit : haec aliam auctoritatem non habet quam proprii auctoris aut rationum ab ipso allatarum ; *usualis* a consuetudine procedit, quae, quando est iuxta legem, merito dicitur « optima legum interpres » (1).

II. Interpretatio a Superiore data dicitur *comprehensiva* vel *extensiva*, prout tantum explicat id quod in lege continetur, vel eam extendit ad casus antea non comprehensos : tunc est improprie dicta interpretatio, potius autem nova lex quae promulgatione indiget (2).

III. Ratione *modi* interpretatio dicitur *stricta*, si verba sumuntur sensu *magis proprio* quem in iure habent : *lata*, si *ampliori* sensu quem admittere possunt. Sic *Religiosi* stricto sensu sunt Regulares seu membra Ordinis votorum solemnium, *lato* sensu membra Congregationis religiosae (3).

29. **De epikeia.** — Epikeia, (epikia, epiikia, ἐπιεικεία, aequitas) est *benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex*

(1) Nota istam consuetudinem constituere *observantiam*, praxim, non adhuc *ius consuetudinarium*, quod obligationem novam constituat vel existentem tollat. Cf. infra n. 45. sq.

(2) Wernz t. I. n. 127.

(3) Regulae rectae interpretationis doctrinalis hae sunt : 1) verba accipienda sunt *cum effectu*, i. e. ita ut nil inutile aut vanum scriptum censeatur ; 2) accipienda secundum *propriam* significationem, aut *naturalem* quam ex usu hominum habent, aut *iuridicam*, si vox sit proprie iuridica, nisi inde absurdi aut iniusti aliquid sequatur ; 3) in dubio de vero sensu inspicienda sunt mens legislatoris, finis legis, circumstantiae. Quamvis enim *ratio legis non sit lex* (cf. S. Alphons. l. I. n. 200. circa med.), inservit tamen ad hoc ut voluntas legislatoris cognoscatur. Suarez, *De leg.* l. VI. c. 1. n. 11. sq. ; 4) lex poenalis et odiósa *stricte* est interpretanda, lex favorabilis *late*, iuxta Reg. Iuris 15. in Sexto.

ad casum particularem censetur non extendi, licet in verbis legis clare contineatur.

Differt ab *interpretatione* proprie dicta quae *explicat*, dum epikeia *restringit* verba legis. Non confundenda est cum *excusatione* per quam lex in casu particulari obligare cessat ex natura rei (ob impossibilitatem saltem moralem), *simul* cum voluntate legislatoris iam ab initio sufficienter manifestata (1). Epikeia ultra excusationem procedit: nam etsi verba legis obstant et in rigore iuris aliquis excusatus non est, *praesumitur* intentio benigna legislatoris, qui in talibus circumstantiis obligare non vult.

Per epikeiam exercetur *aequitas legis* quae est « prudens moderatio legis scriptae praeter rigorem verborum illius atque ita opponitur stricto iuri » (2).

Generatim uti non licet epikeia, ubi facultas Superiorem interrogandi suppetit, nec admitti solet in praxi fori civilis: sic iudex civilis parochum puniet qui duos concubinarios matrimonio iunxit, antequam matrimonium civile contraxerint, etsi unus in articulo mortis constitutus fuerit.

Articulus VIII

De effectibus legis

30. **Praenotandum.** — Ex ipso conceptu potestatis legiferae, vi cuius Superior eligit et auctoritativo modo sociis praescribit media quibus ad finem societatis obtinen-

(1) Wernz t. I. n. 119. At Suarez, *De leg.* l. VI, c. 7. n. 11. per modum unius sumere videtur excusationem et epikeiam ubi dicit: « Et ita tres modi vel rationes utendi epiikia distingui possunt, ut unus sit propter cavendum aliquid iniquum, alius propter vitandam acerbam et iniustam obligationem, tertius propter coniectatam legislatoris voluntatem non obstante potestate ». At potius dicendum est: in 1° casu haberi *cessationem* legis in particulari, in 2° *excusationem*, et tantum in 3° *epikeiam*. (Cf. Noldin, *De princ.*, n. 160).

(2) Wernz t. I. n. 48.

dum dirigentur, patet oriri pro subditis obligationes ea media adhibendi: primarius ergo et praecipuus effectus legis est *obligatio*, quae intelligitur vinculum quoddam ordinis moralis subditorum voluntatem constringens.

At non omnis lex eodem modo voluntatem ligat: pendet enim obligatio tum ab intentione Superioris praecipientis, tum ab indole ipsius legis, ut statim infra indicabitur.

Insuper praeter obligationem alium effectum valde notabilem producunt leges sic dictae *irritantes*, quae certos actus invalidos aut rescindibiles reddunt.

Haec omnia breviter tantum attingemus, pro ampliori tractatione auctores Theologiae moralis adiri poterunt (1).

31. **I. De obligatione a lege inducta.** — Haec diversa est:

1) pro diversa legislatoris *intentione*. Hic enim, pro potestate sua, consideratione finis obtinendi ductus, legem *moralem, poenalem, mixtam* constituere potest. Lex *moralis* obligat in conscientia ad *actum* ponendum aut omittendum, quin poena statuatur a transgrediente incurrenda (talis est lex ieiunii quadragesimalis, abstinentiae feriae sextae); lex *poenalis* obligat *disiunctive* ad *actum* aut *poenam*, scl. ad poenam subeundam, si actus positus non fuerit, saltem post sententiam Superioris poenam imponentis (huiusmodi sunt regulae plurium Ordinum religiosorum) (2); lex *mixta simul* ad *actum* et *poenam*: qui v. g. legem censura munitam violat (in materia gravi) grave peccatum committit et censuram, puta excommunicationem, incurrit.

2) pro *indole* ipsius legis. Si enim lex *absolute* fertur,

(1) Bucceroni t. I. n. 202. sq. 222. sq.; Noldin, *De princ.* n. 161, sq.; Lehmkuhl t. I. n. 239. sq. 309. sq.; Bulot t. I. n. 105. sq. 143. sq.

(2) Potestas Ecclesiae imponendi leges poenales constat ex iure publico (Rivet, *Quaest. i. e. publ.* p. 28); at ea potestate *vix* utitur, si regulas Ordinum religiosorum excipias, quae quidem sunt verae leges, ut bene probat Suar. l. V. c. 4. n. 4. Nimis tamen generalis nec satis fundata videtur sententia quam tenet Santi l. I. tit. 2. n. 29. tit. 4. n. 9. nullas alias leges poenales in Ecclesia existere. Cfr. Wernz t. I n. 112. not. 124.

quia res praecepta aut prohibita, simpliciter aut saltem in talibus adiunctis bona vel mala est, omnes pure et simpliciter eam observare tenentur, nisi intercedat excusatio vel dispensatio (de quibus infra loquemur n. 35. 38. sq.). Si autem lex potius in *suppositione* aut praesumptione quadam fundatur, quae etiam in praesentibus adiunctis verificari aut deficere valet, interest videre quomodo obliget, si quando *veritas* suppositionem illam evacuet. Unde apte quaeritur de obligatione legis quae fundatur sive in *praesumptione periculi*, sive in *praesumptione facti*. Relictis disputationibus et controversiis, doctrinam tantum communem hic exponemus (1).

Lex dicitur in *praesumptione periculi* fundari, quando prohibet aut praecipit actum, cuius positio vel omissio grave periculum communiter inducit; fundatur in *praesumptione facti*, quando dispositiones quasdam observari praecipit, quoties *aliquod* factum positum fuerit, eo quod tum *aliud* factum *praesumatur* locum habuisse, de cuius existentia difficulter *directe* constare potest.

Lex in *praesumptione periculi* fundata urget, etsi periculum in casu particulari desit: sic manet pro Titio prohibitio legendi libros in Indice relatos, etsi periculum pro ipso desit. At dices: ratio cur lex lata fuit, cessavit; ergo et lex ipsa cessare debet. *Resp.* 1) ratio legis non est lex; 2) nec ratio legis totaliter cessat, nam scopus legislatoris est « non tantum punire culpam, sed homines reddere cautiores » (2); unde 3) adhuc manet voluntas legislatoris urgens legem, quae quidem voluntas est rationabilis.

Lex in *praesumptione facti* fundata non urget, ubi constat factum, de cuius existentia praesumebatur, locum non

(1) Inveniuntur tractatae apud auctores Theologiae moralis, citatos in pagina praecedenti, variae quaestiones quae circa legis obligationem oriuntur: utrum et quando sub gravi, vel sub levi urgeat? quo modo obligationi legis satisfiat? ad quae media adhibenda teneatur qui lege obligatur? Cf. v. g. Bucceroni t. I. n. 213. sq.; Noldin, *De princip.* n. 171. sq.

(2) Ita S. Alphonsus, *Theol. mor.* l. I. n. 100.; Wernz t. I. n. 109.; D'Annibale t. I. n. 208. Cfr. infra n. 36.

habuisse: sic qui vere debitum contraxit, etsi absolutus per sententiam iudicis, manet debitor.

A praesumptione tum periculi tum facti prorsus differt *fictio iuris* quae est « legis adversus veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio » (1): sic canonicus poenitentiarius censetur in choro praesens et distributiones lucratur quando actu confessiones audit. Ut patet, lex quae fundatur in fictione iuris *non requirit*, quin immo *excludit rei veritatem* (si poenitentiarius actu confessiones audit, nequit tunc in choro canere); tantummodo exigitur ut conditiones verificentur pro quibus lex constituta est: sic canonicus ille, si domi laboret, distributiones minime lucrabitur.

Lex ecclesiastica fundata tum in praesumptione facti tum in fictione iuris urget etiam in foro interno (2).

32. **II. De irritatione actuum.** — Alter effectus legis ecclesiasticae, non omnis, sed eius quae irritans dicitur, est invalidos aut rescindibiles reddere actus aliquos qui, solo iure naturae spectato, validi sunt.

Distinguitur enim: 1) lex quae statuit actum iam a principio nullum esse et ea quae actum sententia iudicis invalidandum esse praecipit;

2) lex simul *irritans et prohibens* (haec facit actum simul invalidum et illicitum), vel *irritans non prohibens* (actus non est illicitus, at invalidus);

3) lex *mere* irritans vel irritans *poenalis*, prout nullam aut aliquam culpam in agente supponit.

Et lex quidem irritans ferri solet ad vitandas fraudes, pericula, non praecise ad puniendam culpam; at cum irritatio sit gravamen, potest statui in poenam delicti.

Lex *canonica* irritans actum, ratione boni communis procurandi aut periculi communis vitandi, facit actum ipso iure nullum (sic leges de impedimentis dirimentibus matrimonii); lex irritans *civilis* non solet actum irritare in foro conscientiae at tantum in foro externo et civiliter, donec sententia

(1) CALVINUS, *Lexic. iurid.* v. *Fictio iuris*.
(2) NOLDIN, *De princ.* n. 170.

iudicis intervenerit, nisi tamen clara intentio legislatoris manifestetur aut ipsum bonum publicum hoc requirat.

Si lex statuit *formam* vel *solemnitates* ad valorem requisitas, idem videtur dicendum: si ratione *periculi communis* statuitur haec forma, tunc actus sine debita forma positus est ipso iure nullus; si in praesumptionem *facti* (i. e. *fraudis* commissae) statuta fuit, deficiente facto (fraude), probabiliter actus valet usque ad sententiam iudicis (1).

Tandem lex irritans *poenalis* actum non invalidat nisi culpa commissa fuerit; hinc si propter ignorantiam agentis culpa abfuerit, actus valet; si solam *poenam* ignorabat agens et *reatum culpae* incurrit, probabilius etiam poenam incurrit: practice in foro externo actus supponitur invalidus (2).

Articulus IX

De causis quae legis obligationem tollunt

33. **Praenotandum.** — Cum lex sit ordinatio *rationis*, creaturis *rationabilibus* imposita, non caeca *necessitas* entia *irrationabilia* cogens, clarum est applicationem eius mutabili hominum conditioni prudenter accommodandam esse. Praeter casum enim in quo quis legitime desinet esse subditus legislatoris, fieri potest: 1) ut observatio legis, quae de se bona et utilis manet, *aliquibus* subditis *impossibilis* aut *iniqua* fiat; 2) ut *ipsa lex*, mutatis adiunctis, *desinat* esse *ad bonum commune*, ipsumque aut impediat, aut saltem minus apte procuret. In variis istis casibus legis obligatio cessabit pro *aliquibus* aut pro *omnibus* subditis, *sine* vel *cum* interventu legislatoris: quae omnia accurate sunt distinguenda.

(1) D'Annib. t. I. n. 213.

(2) Suar. l. V. c. 22, n. 4. contra Sanchez. Cf. Wernz t. IV. n. 521.; Noldin, *De princ.* n. 168.

Quando obligatio legis cessat *ex parte subditi*, habetur *exemptio* aut *excusatio;* spectata *ipsa lege*, obligatio cessabit vel *intrinsece* sine interventu Superioris vel *extrinsece* per auctoritatem legislatoris qui legem aut totaliter tollit (per *abrogationem*, *revocationem*), aut quoad quosdam subditos (per *dispensationem*).

34. **Exemptio** habetur ubi quis desinit esse subditus illius qui legem tulit: ad hoc sufficit generatim (1) ut exeat e territorio in quo lex viget, etiamsi *in fraudem legis* exierit, scl. ad hoc praecise ut ab ea observanda sese eximat, nisi tamen per fictionem iuris censeatur adhuc praesens: hoc verificatur quando quis, v. g. canonicus, parochus, praesertim ob officium implendum, sine licentia Superioris, locum suae residentiae relinquere nequit.

Patet neminem eximi posse a legibus Ecclesiae universalibus, cum territorium Ecclesiae orbem terrarum amplectatur (2).

35. **Excusatio** habetur quando ille qui subditus manet, ab impletione tamen legis hic et nunc absolvitur: ad hoc sufficit ut impediatur *physice* vel saltem *moraliter*, si nempe res praecepta tam gravis ipsi evadat ut actus heroicus exigatur.

Advertendum est a lege naturali *negativa* nullum malum vel periculum excusare: nam res intrinsece mala nunquam licita evadere potest. At lex *affirmativa* positiva sive divina sive humana non obligat *per se* cum gravissimo incommodo (cf. supra n. 15. de actibus heroicis, utrum et quando a Superiore praescribi possint).

In casu *exemptionis* aut *excusationis* alicuius subditi, lex ipsa manet ceterosque subditos obligare pergit; at desinere potest obligatio propter ipsius legis desitionem quae variis modis et varia amplitudine habebitur. Nam potest lex: 1) ab intrinseco cessare; 2) a Superiore tolli et quidem sive pro tota communitate sive pro aliqua persona in particulari.

(1) Excipe leges quae potius personales sunt quam territoriales v. g. regulas Ordinum religiosorum etc.

(2) Cf. *Quaestion. i. eccl. publ.* p. 68. 69.

36. **Cessatio ab intrinseco** habetur, quando lex cessat modo universali et constanti esse ad bonum, a fortiori si nociva evaderet: hoc autem provenire potest: 1) a mutatione in *materia*, i. e. in re praecepta quae initio iusta, possibilis, mutatis postea circumstantiis, iniqua vel nimis onerosa (moraliter impossibilis) evadit; 2) a cessatione *causae finalis*, si scopus ob quem lex lata fuerat, iam plene obtentus est vel amplius obtineri nequit. Requiritur tamen ut finis totalis et adaequatus legis pro tota communitate et modo constanti cessaverit. Si finis legis pro aliquo subdito vel aliquibus tantum cessat, et *negative* tantum, i. e. re praescripta manente possibili et etiam utili his subditis, probabilius ligati manent (1); si autem *privative* (contrarie) cesset, ita ut res praescripta omnino inutilis vel moraliter impossibilis evadat, non amplius ligantur (2).

37. **Cessat lex ab extrinseco,** quando a Superiore competente tollitur, vel modo universali per *abrogationem* aut actum similem, vel quoad personas particulares per *dispensationem;*

Abrogatio legis sensu proprio dicitur actus quo Superior simpliciter legem tollit seu supprimit; si tantum aliquid demit (vel addit) habetur *derogatio* (*subrogatio*); si legem contrariam ponit, est *abrogatio.*

Revocatio legis fit *implicite* quando lex nova inducitur cum priore incompossibilis. At leges vel consuetudines particulares per legem generalem contrariam non tolluntur, nisi hoc exprimatur (3).

Revocare vel abrogare legem potest is qui eam tulit, eius successor vel superior; *convenit* ut promulgetur revocatio, ita ut modo uniformi procedatur et ad vitandum scandalum quod subirent subditi, videntes legem non amplius observari quam abrogatam nesciunt.

(1) Suarez. *De leg.* l. VI. c. 7. n. 5.; S. Alph. l. I. n. 199.; Noldin. *De princ.* n. 174.

(2) Ita omnes Doctores, teste S. Alph. l. c.

(3) Cf. infra de consuetudine n. 49.

Articulus X

De dispensatione legis

De dispensatione legis, ob speciale momentum, articulus distinctus ponendus videtur.

38. **I. Definitio et divisio.** — Dispensatio definitur: *relaxatio legis in casu particulari*. Supponitur ergo lex manere (hinc discrimen cum abrogatione etc.) et talem hominem de se adhuc ligare (inde discrimen cum exemptione vel excusatione), quamvis Superior possit rationabiliter ipsum ab obligatione relaxare.

Divisio. — Dispensatio est: 1) *absoluta* si simpliciter datur sine expressione ullius conditionis, secus *conditionata* dicitur; 2) *valida* vel *invalida*, prout effectum suum iuridicum (relaxationem vinculi moralis) producit vel non; 3) *licita* vel *illicita*, prout rite et rationabiliter conceditur vel contra; 4) *expressa* vel *tacita* prout explicite datur aut ex aliqua circumstantia prudenter colligitur. At dispensatio *praesumpta* admitti nequit, nam voluntas Superioris observantiam legis urget, donec ipse hanc voluntatem positive retractaverit. Hinc discrimen cum *licentia* quae aliquando praesumi potest (1).

39. **II. De subiecto activo et passivo dispensationis.** — Potestate *propria* dispensat omnis Superior in legibus suis, suorum praedecessorum, suorum subditorum (2). Potestate *delegata* (seu derivata), ex commissione sui Superioris, dispensare potest inferior in legibus eiusdem. Quae potestas delegata, si *in iure* continetur vel *ex consuetudine* inferiori

(1) Cf. rationes huius discriminis evolutas apud Suarez, *De leg.* l. VI. c. 13. n. 10.

(2) Dummodo in eos plenam iurisdictionem etiam in ordine legislativo habeat. Archiepiscopus non habet iurisdictionem, respectu suorum suffraganeorum, nisi in casibus appellationis vel visitationis, hinc nequit dispensare in eorum legibus nisi hac occasione.

obtingit, variis nominibus appellatur ab auctoribus: *delegata sed quasi-ordinaria*, *ordinaria inferior*, *vicaria ordinaria*, et *cum* ipso *munere* acquiritur. Minus proprie ordinaria diceretur, nam hoc nomine designari solet potestas, quae alicui competit *vi proprii muneris* et *in* hoc *munere* continetur (1).

Delegatio quae *directe* et *explicite* a Superiore procedit. maiori vel minori cum amplitudine traditur, tum ratione *temporis* pro quo conceditur (perpetua, ad decennium, ad triennium), tum ratione *extensionis* ad personas vel causas (2).

In specie: I. *R. Pontifex* dispensat potestate ordinaria et propria (3) in omnibus Ecclesiae legibus sive pontificiis suis. suorum praedecessorum), sive conciliaribus (etiam Conciliorum oecumenicorum), necnon in legibus omnium Praelatorum inferiorum (4).

II. *Episcopus* dispensat: 1) iure *proprio* in legibus suis suorumve praedecessorum;

2) potestate *delegata* in legibus pontificiis:

a) ex *delegatione* ab ipso iure vel consuetudine obtenta, in casibus frequenter evenientibus et saepe dispensatione egentibus. ut sunt vota (non reservata), ieiunia, abstinentiae; — in casibus urgentibus, quando scl. necessitas vel evidens utilitas habetur et periculum est in mora nec facilis patet recursus ad Papam; — in casibus dubiis (an dispensatione egeant) — in materia levi; — in irregularitatibus et censuris (non tamen specialiter reservatis) occultis.

(1) Cf. infra in tract. de hierarchia iurisdict. n. 193

(2) An et quomodo subdelegari possit cf. eodem. n. 193.

(3) R. Pontifex, potestate *vicaria*, quam nomine Dei, ut vicarius Christi, exercet, aliquas obligationes remittere potest quas homo propria voluntate contraxit et quae ipsum, vi legis naturalis, erga Deum, aliquando etiam erga homines ligant. Limites talis potestatis ex revelatione, saltem implicita, cognoscuntur. Effectus sic explicatur a SUAREZ et aliis: vi potestatis in voluntatem subditorum, quam Deus, ob bonum commune, concedit Summo Principi et capiti societatis ecclesiasticae, is permittere potest subditis ut suam voluntatem *retractent:* hinc *mutata* materia et remisso debito contracto. *cessat* obligatio. Cf. SUAREZ l. II. c. 14. sq.

(4) Cf. infra de potestate legifera R. Pontificis.

b) ex delegatione immediate a R. Pontifice accepta in aliis casibus, pro amplitudine facultatum sibi concessarum.

3) In legibus Concilii provincialis subditos suos dispensare potest, ut generatim admittunt doctores cum SUAREZ (*De leg.* l. VI. c. 15. praes. n. 7.); quae potestas vi consuetudinis aut ex tacita voluntate Concilii Episcopo datur.

III. *Parochus*, cum per se nulla potestate in foro externo gaudeat, nullam quoque potestatem propriam dispensandi habet, at ex consuetudine, potestate delegata dispensare valet quoad casus frequentes aut quotidianos, in ieiuniis, abstinentia etc.

IV. *Praelati* regulares fere eadem potestate dispensandi erga subditos gaudent, qua ipse Episcopus erga dioecesanos. Confessarii regulares nil nisi ex delegatione possunt; vi privilegiorum, huiusmodi delegatio ipsis conceditur ut dispensent in votis non reservatis, iuramentis, et, in ordine ad petendum debitum, sive in voto castitatis sive in affinitate ex incestu cum consanguineis alterius coniugis.

40. **Quaeritur** 1) *An Superior secum ipso dispensare possit?* Probabiliter affirmandum est ipsum sese dispensare posse etiam *directe:* nam dispensatio est actus iurisdictionis voluntariae, quae non exigit necessario personarum distinctionem (1).

2) *Quis vagos et peregrinos dispensare valeat?* Vagi dispensari possunt eodem modo ac proprii subditi per Episcopum et parochum. Et idem probabiliter dicendum est de peregrinis, nisi agatur de causa personali et perdurante quae ad forum externum spectat (2).

41. III. **De causis ad dispensationem requisitis.** — Ad *liceitatem* semper requiritur *aliqua causa*, ut dispensans sit prudens administrator potestatis qua gaudet; *ad validitatem* vero nulla *causa* requiritur, si *dispensans* sit *legislator* aut eius *Superior*; at *causa iusta* et *sufficiens* exigitur si

(1) WERNZ t. I. n. 123.

(2) WERNZ l. c. not. 166. Dissentit NOLDIN, *De princ.* n. 183.

quis in lege *sui Superioris* dispenset : nam is non censetur potestatem dispensandi inferiori concessisse nisi interveniente iusta causa.

Ex parte inferioris requiritur ut desit *obreptio* aut *subreptio* circa *obiectum* dispensationis et causam *motivam* (1). adsint vero *formalitates* a iure essentialiter requisitae.

42. **IV. De cessatione dispensationis.** — Cessat : 1) *revocatione* expressa *concedentis*, si potestate *propria* in lege sua vel suorum inferiorum dispensavit, etsi revocatio haec irrationabilis aut iniusta esset ; non autem si potestate *delegata* dispensaverit, nam Superior non censetur ipsi suam communicasse potestatem nisi ut ea rationabiliter utatur ; 2) *renuntiatione dispensati*, quoties obligatio ex eius voluntate pendet ; secus si a *lege*, tunc enim renuntiatio acceptari debet a Superiore : cum enim dispensatio obligationem legis pro dispensato sustulerit, is eam sibi denuo imponere nequit ; 3) *cessante totaliter causa* dispensationis, si haec ad seriem actuum extenditur, nisi expresse constet de dispensatione absoluta et in perpetuum a Superiore competente facta. Communiter enim *non censetur velle* (immo si sit *delegatus, nec potest*) dispensationem protrahere, ubi causa amplius non subsistit. Dispensatio unico actu perficienda, qui actus nondum positus est, quando cessat causa motiva, valet si Superior *absolute* dispensare intenderit, secus non valet (2).

(1) Cf. infra de rescriptis in fine quaest. de R. Pontifice. *Subreptio* est reticentia illius quod deberet exprimi, *obreptio* est allegatio falsi. Causa *motiva* intelligitur quae ipsum *Superiorem* ad *concedendum*, non *subditum* ad *petendam* dispensationem efficaciter movet.

(2) Cf. NOLDIN, *De princip.* n. 189. ; LEHMKUHL. *Theol. Mor.* n. 269.

SECTIO II

De legibus in specie

Praenotandum

43. Absoluta disputatione de legibus ecclesiasticis in genere, tractandum esset de legibus in specie. Hic autem solummodo ius *positivum humanum* quo Ecclesia regitur considerandum venit; supra enim n. 7. de jure *naturali* et *positivo divino*, quatenus fontes sunt iuris ecclesiastici, sufficienter pro intento nostro sermonem habuimus.

Inter legislatores humanos *primum* et *praecipuum* locum obtinet *R. Pontifex*, qui est « fons unde in Ecclesia ordinarie et perenniter praesertim leges universales dimanant » (Wernz t. I. n. 137.). Is vero, praeter leges universales, quas condit ut supremus Princeps et pastor totius gregis Christi, leges etiam particulares vel ordinationes pro determinato territorio ferre valet, quin immo et praecepta imponere, quibus personae singulares attinguntur, vel dispensationes concedere, quibus tum communitates particulares tum privati ab observatione legum communium aut particularium absolvuntur: habet enim potestatem « ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles » (1). Leges a R. Pontifice latae variis nominibus designantur: *Constitutiones*, *Decreta*, *Decretales;* ordinationes, quae negotia aut personas particulares respiciunt, *Rescripta* plerumque audiunt.

Saepe autem in hodierna disciplina utitur R. Pontifex opera *SS. Rom. Congregationum* tum in condendis ordinationibus etiam universalibus (et dicuntur *Decreta* SS. Congr.),

(1) Const. « *Pastor aeternus* « Conc. Vat. sess. 4. cap. 3. Denzinger-Bannwart n. 1831.

tum in solvendis quaestionibus particularibus (et sunt *Responsa* SS. Congr.).

Praeter R. Pontificem alii sunt legislatores in Ecclesia, imprimis vero *Concilia oecumenica* quorum decreta totam Ecclesiam ligant, dummodo sint a R. Pontifice approbata; alia etiam *Concilia (plenaria, provincialia)* leges pro territorio magis restricto ferre valent.

Sunt etiam *Episcopi* vel qui potestatem episcopalem aut quasi-episcopalem obtinent, necnon alii *Superiores* vel *singulares* vel *collegiales* v. g. in Ordinibus religiosis (1).

Tandem ius scriptum non est unicum ius quo Ecclesia regitur, nam existit etiam ius *traditum* (traditione divina), necnon *ius consuetudinarium*, moribus et usu populi introductum.

44. Postquam de legibus actum est, quibus constituitur sive ius universale totius Ecclesiae Catholicae, sive ius particulare, quo aliqua regio vel Congregatio regitur, logice venit considerandum ius illud, quod potius per modum *exceptionis* constituitur, eximens nempe certas regiones aut communitates ab observatione legum communium: tale ius praesertim in *Concordatis* et *privilegiis* continetur.

Ut autem in hac expositione otiosae vitentur repetitiones, satius visum est si remitterentur quaestiones de ambitu et exercitio potestatis legiferae variorum Superiorum ad loca ubi de his Superioribus ex professo tractabitur. Sic v. g. ubi de R. Pontifice sermo fiet, dicetur de ambitu potestatis eius legiferae; ubi de SS. Congregationibus, dicetur de valore eorum Decretorum, et ita porro. De Concordatis vero in *Quaestionibus iur. eccl. publ.* (p. 193. sq.), iam egimus. Unde hic quaedam tantum de *consuetudine* et *privilegiis* addenda veniunt.

(1) Cfr. supra n. 8.

Articulus I

De consuetudine

45. **Notiones.** — Consuetudo spectari potest *materialiter* vel *formaliter*. *Materialiter* spectata (tunc dicitur etiam *usus, observantia*) est actus a communitate frequenter, libere et uniformiter repetitus; *formaliter* est ius quod ex tali observantia oritur, accedente consensu quodam legislatoris. Sic accepta definiri potest: *ius non scriptum, diuturno communitatis usu introductum, aliquo legislatoris consensu firmatum.*

Consuetudo multipliciter a *praescriptione* differt: 1) Haec est in favorem alicuius *contra ius certum* alterius, consuetudo est in favorem boni communis; 2) praescriptio *dominium* transfert, consuetudo *legem* inducit; consequenter 3) praescriptio, praeter possessionem satis diuturnam, *titulum* et *bonam fidem* exigit; neutrum ex his requirit consuetudo.

Differt etiam tum a « *stylo Curiae* » qui est modus uniformis *procedendi* in tribunalibus, tum ab « *auctoritate rerum similiter iudicatarum* » quae designat constantem modum *dirimendi causas* in tribunalibus circa unam et eamdem materiam. Inde quidem potest aliqua obligatio pro iudicibus enasci taliter *procedendi* vel *iudicandi*, quae non immerito dicitur consuetudo *iudicialis* per oppositionem ad alias consuetudines *extraiudiciales* ([1]).

46. **Divisio.** — Praeter divisionem statim indicatam consuetudinis *iudicialis* et *extraiudicialis*, distinguitur: 2) ratione *extensionis*, consuetudo ecclesiastica *universalis, generalis, specialis*, prout viget in tota Ecclesia, vel in tota aliqua provincia ecclesiastica, vel in quadam minore communitate quae

([1]) Wernz t. I. n. 187. II.

tamen legis sit capax, ut est dioecesis, non autem parochia, familia; consuetudo *specialissima* quae privatas personas aut communitatem legis incapacem regit, non constituit verum ius *legale;* 3) ratione *relationis ad legem:* consuetudo *secundum ius*, quae legem explicat, interpretatur; *praeter ius*, quae aliquem agendi modum tamquam obligatorium imponit; *contra ius*, quae legem existentem totaliter aut partialiter tollit; 4) ratione *temporis*, per quod duravit, consuetudo *longi* temporis (seu *ordinaria* quae est 10. aut 40. annorum) *longissimi* (100. ann.), *immemorialis*, cuius initii *memoria* non existit (1).

47. **Conditiones requisitae ad ius consuetudinarium introducendum.** — Ut consuetudo legem *abrogandi* vel *introducendi* vim habeat, debet esse: 1) rationabilis, 2) a communitate per actus certis qualitatibus ornatos inducta, 3) consensu Principis approbata, 4) « *praescripta* » i. e. quae tempore requisito duraverit (2).

1) Debet esse *rationabilis:* nam sese habet ad modum legis, quae est ordinatio *rationis* ad *bonum* commune: hinc versari debet circa rem *possibilem, utilem, iustam* (3), sive quaestio sit de introducenda nova obligatione (per consuet. *praeter* legem) sive de tollenda lege existente (per cons. *contra* ius). In specie *verum ius* constituere nequit consuetudo quae esset contra legem *naturalem* aut *positivam divinam*, aut contra legem ecclesiasticam, quando ad peccatum induceret, vel esset eversiva potestatis Ordinis aut iurisdictionis. Et si positive prohibita fuit a legislatore, tanquam « *corruptela* », induci nequit, nisi mutatis adiunctis malitia cessaverit (4).

2) Induci debuit ab aliqua *communitate* (vel saltem a maiore eius parte), quae sit subiectum capax legis accipiendae, qualis est provincia ecclesiastica, dioecesis, Ordo reli-

(1) Cfr. NOLDIN, *De princ.* n. 205. not. 1.
(2) Cfr. SCHMALZGR. in l. I. tit. 4. n. 5.
(3) Supra, de legibus, n. 13.
(4) Infra n. 48.

giosus etiam monialium. Ex parte communitatis requiruntur actus continuo, libere, publice positi, cum animo se ligandi vel subtrahendi ab obligatione.

3) *Consensu aliquo legislatoris firmata sit oportet.* Quae conditio, maxime ubi de lege ecclesiastica agitur, omnino requiritur. Quidquid sit de theoriis circa originem auctoritatis in societate civili excogitatas, certum est omnem auctoritatem in Ecclesia, societate inaequali, directe a Christo hierarchiae ecclesiasticae fuisse commissam (1).

At consensus potest esse vel *expressus* quo legislator explicite consentit ut consuetudo fiat lex: consuetudo sic approbata ab alia lege non differt, nisi occasione qua ortum habuit; at certe talis consensus non necessario requiritur, sed sufficit consensus saltem *tacitus* quo legislator, sciens consuetudinem, eam non reprobat, sed ratam habet; quin immo sufficit consensus *praesumptus* seu *legalis*, qui est voluntas quaedam Superioris *antecedens* (quae scilicet cognitionem *formalem* consuetudinis praevertit), cadens in omnes consuetudines rationabiles et eas ratas habens, utpote quae in bonum populi derivant et influunt. Huiusmodi consensum sufficere certum est ex communi Canonistarum doctrina, innixa cap. ultimo 11. X. de consuet. I. 4. (2).

4) *Praescripta* debet esse seu quae *tempore requisito duraverit.* Clarum est nullum temporis spatium requiri, si Princeps consuetudinem *expresse* vel etiam *tacite* at *publice* approbaverit: sed tunc non tam ius consuetudinarium quam lex nova aut e contra legis existentis revocatio habetur; si autem consensus tantum *legalis* intervenit, aliquod tempus requiritur: nec enim populus se obligatum vel ab obligatione exemptum arbitrari potest, nisi actus fuerint frequentes et satis diuturni, nec Princeps *rationabiliter* approbaret ius novum condi vel antiquum tolli, vix ac communitas taliter agere incipit. Ceterum caput 11. X. de consuet. I. 4. consen-

(1) Cfr. *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 53. contra scholam « *historicam* » quae consuetudinem habet pro causa iurium *efficiente.*

(2) SCHMALZ. l. c. n. 15. SANTI l. c. n. 16.

sum legalem non tribuit consuetudini nisi « *legitime sit praescripta* ». Nullibi autem definitur quamdiu durare debuerit ut *praescripta* dici possit: ergo per deductiones canonicas, analogiam iuris, sententiam doctorum, tempus illud erit determinandum.

Si consuetudo sit *secundum* vel *praeter legem,* ex disciplina hucusque vigente sufficit decennium continuum et non interruptum (1). Idem probabiliter, iuxta sententiam non paucorum (2), est tenendum de consuetudine contra legem: comprobatur haec sententia: 1) ex analogia iuris civilis; 2) quia iura promptiora sunt ad *solvendum* quam ad *ligandum*; 3) tandem quia argumenta fautorum sententiae negantis, immerito innituntur locis iuris quae de *praescriptione* loquuntur. Ob discrimen autem inter praescriptionem et consuetudinem clare patet cur haec facilius et celerius quam illa introduci valeat (supra n. 45.).

48. **De effectibus consuetudinis.** — Consuetudo *iuxta legem,* quando nil aliud est nisi *observantia* legis clarae, eam *firmat,* iuxta dictum Gratiani: « *leges... firmantur, cum moribus utentium approbantur* » (post c. 3. Dist. 4); simulque eam *interpretatur*, ostendens verum legis sensum, hinc axioma: *consuetudo est legum optima interpres* (3). Si autem sensus legis sit dubius, consuetudo quae determinat et obligatorie imponit sensum legis, interpretationem *authenticam* constituit, et verum ius consuetudinarium inducit.

Consuetudo *praeter ius* novam obligationem imponit, et inducere potest legem praeceptivam, irritantem, poenalem.

Consuetudo *contra ius* legem humanam contrariam sive scriptam, sive consuetudine inductam totaliter aut partialiter tollit; nil obstat quominus obligationem ad *poenam* tollat,

(1) Wernz t. I, n. 190. cum Suarez, *De leg.* l. VI. c. 15. n. 2. sq. contra paucos.

(2) Wernz l. c. cum Lugo, *De iust. et iure.* Disp. VII. n. 94., Schmalz. l. c. n. 10. et aliis, contra Suarez l. c. c. 18. n. 11. 12.

(3) Cfr. L. 37. Dig. de leg. I. 3.

manente obligatione *in conscientia* (tunc lex *mixta* fit *moralis*) aut vicissim (lex fit mere *poenalis*).

Quaeritur utrum consuetudo abolere possit legem quando clausulis munita fuit quae omnem consuetudinem in futurum excludant, forte etiam eas ut *corruptelas* reprobent. Respondendum est saltem consuetudinem *immemorialem* huiusmodi leges abolere posse; clausulae enim *difficiliores* reddunt consuetudines contrarias, *maiorem vigilantiam* ne introducantur excitant, at eas omnino impedire nequeunt, si per decursum temporis bonae et utiles fiant. Si tanquam *corruptelae* prohibitae fuerunt, patet eas praevalere non posse nisi *mutatis circumstantiis,* res bona evaderet; hinc contra ius *naturale* aut *divinum positivum* nunquam poterunt introduci (1).

Disputatur inter Canonistas utrum decreta disciplinaria Tridentina valeant consuetudine abrogari. Sententia solide probabilis tenet ea saltem consuetudine immemoriali abrogari posse (2).

49. **De abrogatione consuetudinis.** — Si sit *universalis,* per legem *universalem* abrogatur; si sit *particularis,* generatim non abrogatur per legem universalem, sed requiritur *clausula* aliqua *derogans,* v. g. « *non obstante quacumque consuetudine* ». Ratio est quia talis consuetudo ius quoddam *particulare* constituit, quod efficaciam iuris *generalis* non impedit, quod proinde Superior tollere non censetur, nisi suam voluntatem manifestaverit.

Consuetudo *immemorialis* non tollitur nisi per clausulam quae eam speciatim exprimat, v. g. « *non obstante qualibet consuetudine, etiam immemoriali* », vel quae consuetudines contrarias ut *corruptelas* condemnet.

(1) Wernz t. I. n. 191. Cfr. supra n. 47.
(2) Bargilliat t. I. n. 117; Wernz t. I. n. 194.

Articulus II

De Privilegiis

50. **Notiones et definitiones.** — Privilegium spectari potest *obiective* vel *subiective: obiective* est actus auctoritativus quo aliquis favor conceditur; differt a *licentia* quam etiam privatus concedere potest quoad res et bona sua (v. g. ut quis deambulet in praedio ipsius) et a *donatione* qua quis de suo largitur; *subiective* est ipse favor concessus.

Hinc definiri potest privilegium obiective spectatum: *lex privata specialem favorem contra vel praeter ius commune concedens.*

Dicitur *lex*: 1) quia est norma quaedam obiectiva, qua alicui licet, modo ordinario et stabili, contra vel praeter ius commune agere; 2) quia aliis imponit obligationem non impediendi talem modum agendi; — *privata*, quia non toti communitati, sed vel privatis personis vel alicui particulari communitati quae est pars totius communitatis, conceditur.

Subiective spectatum, privilegium est *favor specialis et permanens a Superiore concessus contra* vel *praeter ius commune.*

Dicitur *permanens* quia non datur ad unum vel alterum actum aut ad brevissimum tempus, sed cum aliqua stabilitate; — *a Superiore:* nam solus Superior concedere potest ut quis contra legem agat vel solus concedere favorem qui velut aliquid *suum* sit (sensu n. 51. 52. indicando); — *contra* vel *praeter ius* commune: unde minus proprie dicuntur privilegia illae praerogativae quae ex iure communi competunt sive Episcopis, sive clericis (privilegium fori, canonis), sive Ordinibus religiosis.

Privilegium differt a *dispensatione* quae: 1) *est semper contra legem, non ita* privilegium, et in hoc habetur praecipuum discrimen; 2) concedi potest *toti communitati*, privilegium autem non nisi *personae singulari* (physicae vel morali), secus *lex tolleretur;* quae tandem 3) non solet esse

nisi ad actum transeuntem. dum privilegium est favor permanens.

51. **Divisio.** — Privilegia *ratione materiae* dividuntur:

1) in privilegia *contra legem*, v. g. exemptio a quodam tributo; *praeter legem*, quo favor aliquis conceditur, qui nulli legi opponatur. At ne privilegium sit mera declaratio libertatis quae omnibus competit, Superior concedere debet aliquid de suo, seu, ut ait D'Annibale « Princeps, salva lege, meram gratiam concedit et velut aliquid suum » (1). Sic esset merus lusus si Princeps concederet Titio ut libere deambularet per vias civitatis, quod omnibus licet; at erit privilegium « facultas absolvendi a peccatis, immo et a reservatis, nam concedens, *ius* tribuens quod sibi soli competit, *praeter*, *non contra* legem agit » (2).

2) in *favorabilia* et *odiosa:* per priora favor conceditur quo nemini incommodum creatur (v. g. ius recitandi Breviarium hora 1ª); per alia alicui nocetur, vel incommodum creatur (talis est *exemptio Regularium*). At saepe privilegia quoad aliquid odiosa inter favorabilia tamen numerantur, v. g. si in remunerationem concessa fuerint (sic *exemptio* praedicta).

3) *Ratione subiecti* cui conceduntur sunt *personalia* vel *realia: personalia directe* et *immediate* conceduntur *personae* ob dignitatem propriam, scientiam, etc.; *realia* directe et immediate conceduntur *rei*. — Personae quidem semper adnectuntur sive personalia, sive realia, at haec mediante aliqua *re* (dignitate, munere, loco: quae omnia verbo « res » exprimuntur). Sic privilegia realia sunt: indulgentiae annexae ecclesiae, privilegia dignitati clericali annexa (privilegium fori, canonis), vel Ordinibus religiosis concessa.

4) *Ratione causae* ob quam conceduntur sunt *gratiosa, remuneratoria, onerosa: gratiosa* ex mera gratia, sine intuitu meritorum praecedentium conceduntur; *remuneratoria*, intuitu meritorum; *onerosa* inducunt obligationem reciprocam ex iustitia commutativa.

(1) D'Annibale, *Summ. Th. Mor.* t. I, n. 227.
(2) D'Annibale l. c. not. 4.

Onerosa dicuntur etiam *conventionalia,* quia ex pacto oriuntur; sunt tamen privilegia ex eo quod libere ineatur pactum et favorem concedat, etsi postea favor revocari nequeat (1).

5) *Ratione modi* privilegium datur « *motu proprio* » vel *ad instantiam.* « *Motu proprio* » concessum, excluderet omnem postulationem praecedentem; at etiam hac intercedente, potest dici « *motu proprio* » concessum, ad significandum benevolentiam Principis fuisse causam concessionis, non instantiam (forte importunam!). Et sic datum, difficilius impugnari potest ob *subreptionem* vel *obreptionem.*

6) *Ratione finis* habetur privilegium *commune* vel *privatum,* prout *directe, primario, principaliter* spectatur bonum commune (saltem coetus cui conceditur), vel e contra bonum singulorum. Sic privilegia canonis, fori, (*late* privilegia), sunt *communia,* quia per prius bonum communitatis christianae vel saltem coetus clericalis spectant.

52. **De Concessione privilegiorum.** — *Solus legislator,* eius successor aut superior, concedere potest privilegium: Si enim agitur de privilegio *contra legem, hi soli* legem *tollere* possunt; si *praeter legem,* supponitur ex antea dictis, *Superiorem* concedere *auctoritative* (non mera liberalitate quae etiam privatis congruit) *aliquod ius sibi proprium* et simul imponere aliis obligationem non turbandi privilegiatos in usu; atqui solus Superior hoc facere potest.

Privilegium conceditur vel *directe,* per legitimum Superiorem; vel *indirecte,* per *communicationem privilegiorum:* hoc iam supponit aliquod privilegium generalius; « quidquid aliis concedam, habebis ut tibi concessum »; — tunc omne privilegium quod deinceps aliis conceditur, huic etiam accrescit. Sic habetur pro Ordinibus mendicantibus: quidquid uni ex illis, vel etiam alicui Congregationi aut Collegio conceditur, omnibus Mendicantibus accrescit (2).

(1) Wernz, t. I, n. 158.
(2) Cfr. Vermeersch, *De relig. inst. et pers.* t. I. n. 352.

Potest tamen aliquando concedi privilegium uni a quo ceteri declarentur exclusi (1).

Privilegium *contra legem solis subditis* conceditur: sive quia talis concessio est actus iurisdictionis qui in solos subditos exerceri potest — sive quia, ut dispensetur quis a lege, debet legi subiacere; atqui non subiacet legi talis legislatoris nisi eius subditus (2).

Privilegium *praeter legem* etiam non *subditis* concedi potest: nam est favor quo Princeps aliquid de suo concedit; hoc potest cum quolibet agere.

Ad *validitatem* concessionis non requiritur causa: nam semper valide dispensat Superior in lege propria; ad *liceitatem* vero requiritur causa: nam si privilegium *contra legem* datur sine causa, laeditur iustitia legalis et distributiva; si de privilegio *praeter legem* agitur, Princeps agit ut prodigus.

53. **De usu et renuntiatione privilegiorum.** — Privilegio communi, i. e. ratione boni communis concesso, nemo renuntiare potest v. g. privilegiis canonis, fori (quae ceterum sunt *lato* tantum *sensu* privilegia).

Privilegio privato, personae privatae concesso in bonum proprium, potest quis non uti: nam nemo tenetur uti favore sibi concesso, nisi tamen per accidens ille non-usus in damnum alterius cederet.

Privilegio privato, communitati quidem, at in favorem singulorum concesso, nemo uti tenetur nisi Superior, ad observantiam regularem et uniformitatem, usum ejus praeciperet. At singuli non possunt proprie huic privilegio renuntiare, quia *directe* non *ipsis* at *communitati* concessum est: unde, quidquid velit vel faciat privatus, manet ius hoc faciendi penes communitatem, et ipse, ut eiusdem membrum, retinet illud ius.

54. **De interpretatione privilegiorum.** — Interpretatio privilegii *favorabilis* est *late* facienda, ita tamen ut iniusti-

(1) Cfr VERMEERSCH l. c. n. 518. not. 2.
(2) WERNZ t. I. n. 159. II.

tiam non inducat, nec extendatur ad eas res aut personas quae manifeste in eo contentae non sunt; sic v. g. privilegium canonis non extenditur ad aedituos laicales nec ad pueros altari ministrantes.

Privil. *odiosum* est *stricte* interpretandum, i. e. ita ut incommodum alterius non augeatur. Attamen latae interpretationis sunt, etsi forte odiosa, privilegia a Superiore concessa « *motu proprio* » — vel *remuneratoria* — vel ad *bonum commune* data. Sic exemptio Regularium, cum sit privilegium tum ad bonum commune (immo quodammodo ad bonum ipsius Rom. Pontificis), tum remuneratorium, sustinenda est nisi contrarium probetur.

Attamen semper observanda sunt verba nec arbitrarie mutanda.

55. **De cessatione privilegiorum.** — I. Cessant *intrinsece* seu ipso facto: 1) per cessationem causae *finalis* in contrarium, si agatur de privilegiis odiosis tractum successivum habentibus; non autem si agatur de privilegiis omnino gratuitis aut remuneratoriis (nisi insuper istud fieret iniustum, nocivum privilegiato vel aliis);

2) interitu *personae* cui concessum est privilegium personale, vel *rei* v. g. ecclesiae cui indulgentia annectebatur, non autem per translationem alio, nec per iniustam suppressionem;

3) elapso tempore vel cessante conditione, si privilegium ad tempus vel conditionate est concessum (1).

Quaeritur. *An privilegium per non-usum vel usum contrarium cesset?*

Resp. Si agitur de privilegio aliis *oneroso*, dummodo non-usus fuerit liber, occasione oblata et privilegiati potestate non impedita, et tantum elapsum fuerit tempus ut contra ipsum praescriptio habeatur (2). *Affirmative.*

At privilegia *favorabilia* per non-usum non amittuntur, nisi ex circumstantiis appareat voluntas renuntiandi. Ratio

(1) NOLDIN, *De Princ.* n. 197.
(2) Cfr. WERNZ t. I. n. 162. III.

est quia: 1) potest quis non uti favore, illum tamen retinere velle; 2) nemo contra ipsum praescribit, cum privilegium istud nemini onus et incommodum positivum creet.

Per *abusum* etiam perdi potest, i. e. si inde sumitur peccandi occasio, sed tunc generatim requiritur *revocatio* concedentis.

Privilegia cessant *extrinsece:* 1) *renuntiatione* libera, dummodo privilegiatus *possit* et *velit* renuntiare. Nam nequit quis renuntiare nisi privilegio quod in proprium favorem concessum est, non privilegio quod communitati concessum, multo magis quod in *iure* inscriptum est (ut est privilegium canonis); renuntiatio *tacita* habetur per non-usum vel usum contrarium (ut supra dictum est); et renuntiatio quidem *expressa* concedenti manifestanda et ab ipso probanda est; sufficit pro *tacita* ut ius illam praesumat et permittat;

2) *revocatione expressa* vel *tacita* Superioris: *expressa* fit per certas formulas quibus vis maior vel minor inest. Clausula generalis: « non obstantibus privilegiis », intacta relinquit privilegia concessa: 1) in remunerationem; 2) cum clausula ea non revocari nisi speciali mentione facta; 3) a Concilio generali data. Clausulae speciales: « non obstantibus quibuscumque privilegiis » - vel « privilegiis etiam speciali atque individua mentione dignis (1) non obstantibus », tollunt omnia privilegia.

Tacita revocatio fit per novam legem ipsis contrariam; at huiusmodi lex tollit quidem privilegia in iure communi contenta non autem specialia, nisi eorum mentio specialis fiat: tunc habetur revocatio *expressa.*

3) Morte concedentis privilegium cessat, si 1) concessum fuerit ad tempus vitae — vel « *ad beneplacitum nostrum* », non autem si dicatur « *ad beneplacitum S. Sedis* »; si 2) contineat gratiam faciendam et res adhuc sit integra. Secus privilegium non cessat.

(1) Cf. v. g. Decretum S. C. de Relig. 5 Aug. 1913. in Act. Ap. Sed. 1913. p. 431. quo omnibus Religiosis permittitur ut a quolibet confessario, ab Ordinario approbato, absolutionem peccatorum etiam in proprio Ordine reservatorum accipiant.

PARS II

De fontibus cognoscendi iuris canonici

Articulus I

De fontibus cognoscendi in genere (1)

56. **Praenotandum.** — Dictum est iam ab initio (n. 3) sub nomine *fontium* iuris canonici venire: 1) *conditores* legum ecclesiasticarum; 2) *media* per quae notitia harum legum ad nos transmittitur. Legislatores enim sunt origo ex qua procedit seu dimanat lex quoad existentiam, sunt *causae efficaces* legis, unde merito dicuntur fontes *existendi* seu *essendi* legis; *instrumenta* vero seu *media* quibus lex cognoscitur, fontes *cognoscendi* apte nuncupantur.

Ad quaestionem de fontibus existendi pertinet lato modo totus tractatus de legibus, magis proprie articulus de auctore legum (supra n. 6.-12.); nunc de fontibus cognoscendi agendum est.

57. **Definitio.** — *Lato sensu,* fontes *cognoscendi* dicuntur *omnia media* per quae legum ecclesiasticarum cognitio suppeditatur; *strictiori sensu, libri* vel *scripta* quibus leges illae

(1) Consulendi sunt praesertim: Phillips, *Kirchenrecht*, t. IV (trad. Crouzet, *Du droit ecclés. dans ses sources*); Tardif, *Histoire des sources du droit canonique;* Wernz, *Ius Decretalium*, t. I. tit. XI. sq.; Walter, *Kirchenrecht;* Laurin, *Introductio in Corpus iuris canonici.*

continentur. Sic sensu lato fontes sunt: libri *historici*, *paraenetici* seu *exhortatorii*, libri *apologetici*, quibus Ecclesia contra adversarios sese tuetur, quin et *inimicorum* libri, in quibus non raro instituta Ecclesiae exponunt, ut ea impugnent. Stricto sensu fontes cognoscendi sunt libri ad hoc praecise scripti ut ad legum cognitionem ducant, praesertim collectiones illae legum ecclesiasticarum quibus nomen « *Corpus iuris canonici* » est attributum.

58. **Divisio.** — 1) Ratione *auctoritatis* dividuntur collectiones legum ecclesiasticarum in *authenticas* et *non authenticas*, cui notioni insistere praestat ob rei momentum. *Authentia* de qua hic agitur est authentia *iuridica*, quae confundenda non est cum *historica* seu *litteraria*. Haec, quae etiam *genuinitas* dicitur, in hoc consistit quod *liber* aliquis suo *vero* referatur *auctori*, *collectio* aliqua *illi* qui eam *confecit*. Collectio, quae alii ac suo vero auctori refertur, dicitur *spuria* vel *apocrypha*; si tamen de collectione *iuridica* agitur quae, etsi non vero collectori attributa, documenta tamen vera et genuina saltem quoad substantiam contineat, potius dicitur *pseudepigrapha*; si quoad partem principalem iuridicis fictionibus constat, *spuria* vel *apocrypha* dicitur: sic collectio nunc dicta « *Pseudo-Isidori Decretales* » ([1]).

Authentia iuridica habetur si qua legum collectio ab auctoritate legitima vel prodiit vel saltem confirmata et comprobata fuit, ita ut omnibus partibus vim legis universalis tribueret. Hinc non sufficit ut auctoritas legitima: aut 1) incitaverit privatum auctorem ad opus tale concinnandum, vel opus iam factum laudet; aut 2) existentem collectionem *privatam* iubeat non amplius mutari, (ut factum est a Gregorio XIII. pro Decreto Gratiani); aut 3) declaret omnes textus ibi contentos esse genuinos. At requiritur talis actus auctoritatis publicae quo illa collectio subditis vere *promulgetur*: et ad hanc promulgationem sequitur quod *singulae leges* ibi contentae quoad *partem dispositivam*, i. e. qua aliquid statuitur seu praecipitur, vim legum universa-

([1]) Wernz l. c. n. 196.

lium obtineant, etsi forte ex fontibus spuriis transcriptae fuerint: hoc sensu authenticae sunt Decretales Gregorii IX., Bonifacii VIII., Clementinae.

2) Ratione *ordinis* seu *systematis* habentur collectiones *chronologicae* et *systematicae*, prout documenta connectuntur secundum tempus quo a legitima auctoritate condita sunt, vel iuxta *ordinem* materiarum seu *naturam iuridicam* rei ibidem contentae. Collectiones chronologicae, utpote faciliores et imperfectiores, primae exstiterunt, v. g. collectiones canonum Conciliorum generalium aut particularium Africae, Galliae; dein Collectiones Dionysii Exigui, Hispana, Pseudo-Isidoriana. Systematicae non nisi saec. VIII. vel IX. aliqua perfectione institui coeperunt, sic collectio « Anselmo (Mediolanensi) dedicata » (saec. IX.), collectio Anselmi Lucensis saec. XI. orta. At postea ordo is systematicus omnino invaluit.

3) Pro *materia* distinguuntur collectiones *canonum* et *decretalium*. Primae referunt canones Conciliorum oecumenicorum, generalium vel particularium; aliae epistolas vel rescripta RR. Pontificum, quibus aut lex pro universa Ecclesia aut pro regione determinata, aut decisio quaedam particularis tradebatur. Decretalium collectiones ante Dionysium Exiguum vix inveniuntur, canonum collectiones antiquiores sunt et iam a saec. IV reperiuntur (1).

4) Pro *auctoritate* a qua prodierunt distinguuntur collectiones legum ab *Ecclesia* et legum ab *auctoritate civili* in materia tamen ecclesiastica latarum. Quae leges, nisi ab Ecclesia acceptatae fuerint, nullius sunt valoris, quippe quae ab incompetente legislatore sunt latae. Praeter collectionem Ioannis, Scholastici Antiocheni (circa 540.-550), quae canonibus ecclesiasticis in 50. titulos distributis compendium quoddam addidit 87. capitulorum ex Iustiniani novellis excerptorum, habemus *Breviarium Alaricianum Wisigothorum* (a. 506.), in quo leges continentur quae in regno Wisigo-

(1) Maassen, *Geschichte d. Quellen... d. can. Rechts*, p. 78. sq. 321; Wernz t. I. n. 204.

thorum Hispanico Ecclesiam et sacerdotes obligabant, et collectiones dictas « *nomocanones* », quae legibus ecclesiasticis *(canonibus)* et legibus civilibus (νόμοις) circa easdem materias ecclesiasticas latis constabant, inter quos eminet nomocanon quem PHOTIUS auctum expolitumque in sua collectione inseruit, et alter, minus recte IOANNI SCHOLASTICO attributus, forte quia et ipse 50. titulos continet, in quibus post singulos canones insertos vel saltem citatos referuntur leges civiles correspondentes (1).

Addi possunt; libri *poenitentiales* qui poenitentias pro certis delictis continent; libri *formularum*, quibus formulae seu typi pro documentis rescribendis adhibentur; libri *liturgici* quibus leges liturgicae referuntur, inter quos eminent *Ordines Romani.*

59. Si *in specie* inquiratur de *fontibus cognoscendi* legum quibus Ecclesia regitur, respondendum est variis fontibus *existendi* correspondere varios fontes *cognoscendi.* Qui brevi compendio sic innui possunt, hos praesertim prae oculis habentes qui collectioni Gratiani antecesserunt:

Iuris naturalis fons cognoscendi est ipsa *ratio;* at saepe per Ecclesiam passim in suis legibus data est istius iuris authentica interpretatio.

S Scripturae fontes sunt omnes et singuli libri Veteris et Novi Testamenti, prout in Tridentino sunt recensiti, at iuxta materiam ibi contentam: proinde Vetus Testamentum quoad *quaedam* (doctrinalia, moralia, non autem caeremonialia vel iudicialia), Novum Testamentum quoad *omnia*, sub interpretatione Patrum et Ecclesiae (2).

Traditionis divinae fontes sunt omnia documenta et monumenta quibus haec manifestatur: Conciliorum acta, Patrum opera, acta Martyrum, libri liturgici et poenitentiales, historia, archaeologia, etc. (3).

Ius apostolicum nullibi invenitur certo descriptum: nam

(1) WERNZ l. c. 205. 207.
(2) Cfr. supra n, 7. de auctore legis.
(3) WERNZ l. c. n. 198.

collectiones illae duae quae « *Constitutiones Apostolicae* » « *Canones Apostolorum* » inscribuntur, sunt spuriae. De tempore compositionis illarum non certo constat: utrum scil. duplex illa collectio circa initium saec. V. composita fuerit ab unico auctore, (uti tenet D. FUNK); an 6. priores libri Constitutionum Apost. iam saec. III. in Syria compilati sint, dein 7^us^, tandem 8^us^, adhuc ante Nicaenum I. Octavo libro Constitutionum Apostolicarum accedunt, tanquam caput ultimum, Canones Apostolorum, qui sunt praescriptiones breves, sub forma praeceptorum ab Apostolis per S. Clementem transmissorum, quibus varia de Ordinationibus, de vita et honestate clericorum, de ieiunio, matrimonio, delictis, constituuntur (1). Hi canones 50. tantum in Ecclesia Latina habebantur, 85. apud Graecos; a Gelasio Papa in decreto a. 496. ut apocryphi reiecti, ab Ecclesia Orientali per Concilium Trullanum a. 692. accepti sunt (2): manent adhuc fons iuris pro Catholicis Rituum Orientalium.

Canones Conciliorum particularium trium priorum saeculorum perierunt: at existunt acta 10. Conciliorum oecumenicorum a Nicaeno I. (a. 325) ad Lateranense II (a. 1133.), necnon multorum Conciliorum particularium quorum plures canones ab Ecclesia, partim consuetudine, partim expressa RR. Pontificum approbatione, tamquam leges universales sunt recepti (3). Canonum Conciliorum particularium Ecclesiae Orientalis iam a saec. IV. collectiones inceptae sunt. Hi canones, prout integre referuntur vel saltem indicantur in actis Concilii Trullani, Codicem quemdam exhibent legum quibus Ecclesia Orientalis adhuc regitur. De Conciliis oecumenicis vel particularibus, post Gratianum habitis, non desunt collectiones de quibus infra (n. 106.) agetur.

Decretales Rom. Pontificum in eorum *Regestis*, Romae asservatis, continebantur, quorum multa infeliciter sunt destructa; manent integra Regesta a tempore Innocentii III.

(1) KIRCH, *Enchir.* n. 624 sq.
(2) TARDIF l. c. p. 52.; MAASSEN l. c. n. 534. sq.
(3) WERNZ l. c. n. 203.

usque ad S. Pium V. Nec deerant in variis Ecclesiis collectiones epistolarum Rom. Pontificum, praesertim ad has ecclesias directarum, v. g. in Thessalonicensi et in Arelatensi Ecclesia (1).

Articulus II.

De collectionibus chronologicis genuinis

A) De collectione Dionysii Exigui

60. **Praenotandum.** — Inter collectiones chronologicas, quae toto medio aevo maiorem nactae sunt celebritatem, omnium praestantissima est collectio Dionysii Exigui. Quamvis enim ante ipsam non defuerint collectiones quaedam canonum Conciliorum et rudimenta quaedam collectionum epistolarum Rom Pontificum, sicuti iam n. 58. 59. adnotavimus, his omnibus praestitit collectio Dionysiania, utpote quae multo magis completa et accurata in documentis, sive colligendis sive referendis apparebat, praesertim cum in forma ultima, ab ipso auctore data, tum Concilia tum decretales Pontificum continere incepit.

61. **De ipsa collectione Dionysiana.** — Dionysius enim monachus duplicem collectionem confecit, canonum unam, decretalium alteram, quae postea in unam redactae maximam celebritatem sunt nactae.

Dionysius ille. « Scytha natione, sed moribus omnino Romanus », ut ait Cassiodorus (2), qui et aeram Incarnationis D. N. Iesu Christi in Occidentem induxit, et cyclos Alexandrinos ac methodum terminos paschales ope istorum cyclorum definiendi ad Latinos transtulit, cum Romam venisset post mortuum Gelasium (a. 496.), rogatus a Lauren-

(1) Wernz n. 201-202.; Maassen p. 766. sq.

(2) Zallinger, *Institutiones iuris eccl. publici et priv.* lib. subsid. II. n. 195. sq.

tio quodam et praesertim a Stephano, Episcopo Salonitano, ad novam quamdam canonum Conciliorum collectionem conficiendam se accinxit. Existebat duplex collectio canonum Conciliorum Orientalium, una quae *hispanica* vel *Isidoriana* dicebatur, eo quod putabatur, falso quidem, a S. Isidoro in Hispania confecta, altera quae *Itala* et forte *prisca* nuncupabatur. Utraque erroribus in translatione documentorum graecorum scatebat. Dionysius 50. priores Canones Apostolorum primus, ut videtur, in latinum transtulit (Maassen l. c. n. 534.); dein canonum 7. Conciliorum Orientalium novam et multo accuratiorem translationem confecit, scilicet Concilii Nicaeni I. (a. 325), Ancyrani (a. 314.), Neo-Caesariensis (a. 314-325?), Gangrensis (ante a. 350.), Antiocheni (a. 341.), Laodicaeni (a. 348-381), Constantinopolitani I. (a. 381); necnon et Chalcedonensis (a. 451.); et hoc ordine suam collectionem instituit:

1) 50. canones Apostolorum;

2) canones 7. Conciliorum Orientalium ordine chronologico (1), praeter Nicaenum quod honoris causa primum est positum;

3) canones Concilii Sardicensis (a. 343) qui ab ipso hoc Concilio etiam latine dati fuerant;

4) acta varia Conc. Carthaginiensis (a. 419);

5) acta Concilii Chalcedonensis.

Quae collectio circa a. 500 data, inter a. 514. et 523. ab auctore denuo publicata est, Chalcedonensi Concilio immediate post. 7. alia inserto et post ipsum, Sardicense, ad-

(1) Non immerito putantur collecti fuisse iam ante Nicaenum I. canones Ancyrani et Neocaesarienses, quibus accedentes Nicaeni I. canones, honoris causa praepositi sunt; accesserunt postea alia 4. Concilia et seriem continuam canonum unica numeratione ab 1. ad 165. constituerunt. Quam numerationem adhibet adhuc Dionysiana, cum proprios numeros habeant Chalcedonenses et Sardicenses: paulatim vero mos invaluit canones citandi iuxta ordinem in unoquoque Concilio, qui ordo tandem in editionibus posterioribus solus invenitur. Cf. Maassen l. c. n. 88.

ditis pluribus actis secundae sessionis Concilii Carthaginiensis a. 419 (1).

Approbatione, collectioni canonum data, exstimulatus Dionysius, « ad praeteritorum Sedis Apostolicae praesidum constituta colligenda » sese accinxit, decretales scilicet RR. Pontificum a Siricio (a. 395.-398.) ad Anastasium II. (a. 496.-498.) colligendo. Epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem plura continet et magni momenti de primatu R. Pontificis, baptismo haereticorum, coelibatu clericorum, monachorum Ordinatione; in ultima epistola, scl. S. Anastasii II. ad Anastasium Imperatorem, agitur de schismaticorum Ordinatione. Plures tamen epistolas Rom. Pontificum Dionysius omisit, quae in collectionibus coaetaneis vel fere (Frisingensi, Quesnelliana) inveniuntur.

Haec *decretalium* collectio, quae sub Symmacho Papa (a. 498.-514,) absoluta fuisse videtur, postea ab ipso Dionysio cum *canonum* collectione coniuncta, magnam nacta est celebritatem tum in Ecclesia Romana tum in aliis. Decretalibus a Dionysio collectis aliae S. Anastasio II. posteriores, plures etiam non genuinae, in collectione paulatim additae sunt.

Quae collectio ampliata et ab Hadriano I. (a. 772-795.) paululum modificata, ab eodem Pontifice Carolo Magno a. 774. donata est et ab Aquisgranensi Synodo a. 802. sub nomine « *Codex Canonum* » solemniter recepta. Inde iam saepius nomine *Collectionis Hadrianae* seu *Dionysio-Hadrianae* est insignita (2).

B) De Collectione hispana

62. — Huius collectionis auctor ignotus mansit: in primitiva forma scripta fuisse videtur post Conc. Toletanum IV (a. 633.); accesserunt postea alia documenta (3). Nullo argumento probatur a S. Isidoro Hispalensi originem ducere:

(1) MAASSEN l. c. n. 571.
(2) WERNZ l. c. n. 210.
(3) MAASSEN l. c. n. 714. sq.

nam nec ex eius scriptis aliquid huiusmodi colligi potest, nec ullus ante Pseudo-Isidorum (i. e. ante medium saec. IX., ut nunc certo constat), huius collectionis paternitatem S. Isidoro attribuit.

Immo probabiliter in Italia orta est (sic MAASSEN l. c. n. 74). Existit ceterum alia collectio *hispana*, saec. VI. exeunte vel VII. ineunte confecta, quae canones Conciliorum et decretales compendiose refert. A qua ut haec nostra distinguatur, dici solet *magna hispana*.

63. **I^a pars** constat: 1) ex collectione 10. Conciliorum Orientalium, iuxta versionem latinam quae *hispana* seu *Isidoriana* dicitur. Quae versio Dionysio valde probabiliter nota fuit; at, ut videtur, *alia* vel *aliis* graecorum canonum collectionibus usus est ad versionem suam conficiendam (1). Post Conc. Constantin. I. veniunt octo canones disciplinares Concilii Ephesini a. 431.; Sardicenses canones post Gangrenses inserti sunt.

Huic collectioni accesserunt successive Concilia plura Africae, Galliae, Hispaniae, quae hoc ordine inscribuntur:

2) Octo Concilia *Africana*, ab a. 348. ad a. 419. Praeter septem *Carthaginiensia* refertur Conc. *Milevitanum* a. 402., cui attribuuntur non pauci canones Synodorum quae Carthagine a. 405., 407., 418. habitae sunt (2). Ceterum cum saepe in Conciliis posterioribus canones Conciliorum praecedentium repeterentur, qui deinde in collectionibus, ad vitandas inutiles repetitiones, ultimo tantum Concilio adscribebantur, saepe perquam difficile fit canonem aliquem ad veram eius originem referre.

3) Decem Concilia *Galliarum* ab *Arelatensi I.* (a. 314.) ad *Aurelianense V.* (a. 549.). Arelatense I., ob frequentiam Episcoporum fere totius orbis christiani, celeberrimum mansit.

4) Decem et quatuor Concilia *Hispaniae* ab *Illiberitano* (a. 300.-306?) ad *Toletanum IV.* (a. 633.).

(1) MAASSEN l. c. n. 567. sq.
(2) MAASSEN l. c. n. 144.

In editionibus posterioribus illius collectionis accesserunt alia Concilia hispanica ita ut usque ad numerum XXX. pervenerint, quorum celeberrima sunt Toletana quae non minus quam XVII. numerantur; ultimum a. 694. celebratum fuit.

Ordinem fere chronologicum adhibet haec collectio, at simul geographicum, cum successive variarum regionum et civitatum Concilia exhibeat.

64. II[a] pars praeter decretales a Dionysio Exiguo exhibitas, multo plures refert (104. pro 39.); incipiens ab epistola scripta a. 378. a S. Damaso (366.-384.) sistit in epistola scripta a. 599. ad Reccaredum regem a S. Gregorio M. (590.-604.).

Pleraeque epistolae quae paulatim, usque ad medium saec. VII., collectioni accesserunt, Episcopis Hispaniae sunt directae.

C) De collectione Photiana

65. Ipse Photius hanc collectionem ex antiqua alia collectione, quam pluribus documentis auxit, circa a. 883. adornavit, quo tempore iterum Constantinopolitanam sedem occupabat (877.-886.), a qua a. 867. depositus fuerat

Continentur in hac collectione: 1) canones Apostolorum 85., qui omnes post Conc. Trullanum ut leges ab Ecclesia Orientali accepti, etiam nunc ipsos catholicos ligant, nisi tamen per subsequentia documenta in aliqua re ipsis derogatum fuerit;

2) canones decem Conciliorum Orientalium, qui iidem sunt ac in versione hispana;

3) canones Concilii Carthaginiensis a. 419. quos solos canones Ecclesiae Occidentalis admiserunt Graeci;

4) canones 102. Conc. Trullani (a. 692.). Quod Concilium habitum in *Trullo*, seu secretario palatii imperialis, etiam *Quinisextum* dictum est, eo quod defectus Conciliorum oecumenicorum V. et VI. (Constantinopolitanorum II. et III.) supplere intendebat. Erravit Gratianus putans hos canones

ad VI. Conc. oecum. pertinere et proinde ab Ecclesia universali admittendos esse, dum nullam auctoritatem in Ecclesia Romana unquam habuerunt (1);

5) canones 22. Conc. Nicaeni II. (a. 787.);

6) canones 17. Pseudo-Synodi Constantin. a. 867. (2);

7) *decisiones canonicae*, quae sunt brevia quaedam effata Patrum aut Episcoporum Ecclesiae Orientalis, necnon et S. Cypriani, qui solus ex Occidentalibus citatur;

8) canones alterius Pseudo-Synodi Constantin. a. 879.;

9) *nomocanon* in 14. titulos divisus.

Articulus III

De collectionibus spuriis saeculi IX (3)

66. Saeculum IX. dici potest *aetas aurea* collectionum canonicarum spuriarum, sive ob numerum illarum quae tunc ortae sunt, sive ob celebritatem quam obtinuerunt. Inter celebriores numerandae sunt: *Capitularia Benedicti Levitae*, *Capitula Angilramni Metensis* et *Decretales Isidori Mercatoris*, quae nunc dici solent *Pseudo-Isidori Decretales*. Cum nemo amplius dubitet collectiones illas esse apocryphas, multa nihilominus incerta manent circa auctores, tempus et praesertim locum earumdem compilationis, necnon circa scopum ab auctoribus intentum. Inter omnes maiorem celebritatem nacta est collectio Pseudo-Isidoriana maioremque

(1) Cfr. c. 16. D. 16. cum nota Correctorum Romanorum.

(2) Vering, *Lehrbuch des kath. u. prot. Kirchenrechts*, § 15. IV.

(3) Circa collectiones illas et praesertim Pseudo-Isidorianam consulendi sunt: Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianae* in prolegomenis; Simson, *Die Entstehung der Pseudo-Isidorischen Fälschungen in Le Mans*, Leipzig, 1886; Fournier, *La question des fausses Décrétales*, Paris, 1889; idem im *Dictionnaire Apologétique de la foi catholique* v. *Décrétales* (*Fausses*); De Smedt, *Les fausses Décrétales, l'épiscopat. franc et la cour de Rome*, in *Etudes*, IV^e. sér. t. VI.; Tardif, *Histoire des sources du Droit canonique*, p. 140.-158.; Scherer, *Kirchenrecht*, t. I. § 50; Phillips, *Kirchenrecht*, t. IV. § 173.-176.

influxum exercuit: hinc ipsi magis insistendum. At antequam adducantur argumenta ob quae eius genuinitas merito impugnata fuit et de aliis incertis sententia quaedam modeste proponatur, praestat aliquid breviter de aliis duabus collectionibus dicere.

A) Capitularia Benedicti Levitae

67. Apud Francos nomine *capitularium* designabantur leges quae cum consensu *diaetae regni* conditae erant; quando circa res ecclesiasticas versabantur, vim legis non obtinebant nisi assentiente Ecclesia. Initio saec. IX. existebat collectio *Capitularium Ansegisi, Abbatis Fontellanensis* († 833), quae quatuor libris constabat: primus leges circa res ecclesiasticas sub Carolo M. latas comprehendebat; secundus easdem sub Ludovico Pio et Lothario I.; tertius et quartus leges de rebus civilibus respective sub iisdem imperatoribus. His quatuor adiunxit Benedictus tres alios cum quatuor appendicibus circa res ecclesiasticas multas: iura S. Sedis, Primatum, Episcoporum, res ecclesiasticas earumque contra spoliatores tuitionem. At huius collectionis Benedicti saltem tres quartae partes sunt spuriae.

Auctor se iactat esse Benedictum, diaconum Moguntinum, qui suam collectionem composuisset iussu Otgarii, Archiepiscopi Moguntini, ex capitularibus in archivo a Riculfo Archiepiscopo († 813) depositis nuperque ab Otgario inventis.

Scopus eius, iuxta Scherer (*Kirchenrecht*, t. I. § 50. p. 217.), esset iurium et iurisdictionis Ecclesiae defensio contra vim et conatus tum laicorum, tum clericorum qui ad saecularem potestatem recurrebant.

Orta videtur haec collectio inter a. 847. et 850. et citatur tum in Statutis dioecesanis Hincmari Rhemensis a. 852. tum in Concilio *Carisiacensi* a. 857. ([1]).

([1]) Hinschius l. c. p. CXXXVIII.; Scherer l. c. p. 217.

B) Capitula Angilramni Metensis

68. Haec *capitula* quae numerantur tum 71., tum 72. 80. 81. pro variis editionibus, sunt breves sententiae de rebus ecclesiasticis variis, praesertim de Episcoporum et clericorum accusationibus.

Auctor se fingit esse Angilramnum, Episcopum Metensem, qui Romam veniens in Caroli M. comitatu, ab Hadriano I. a. 785. haec accepisset capitularia. Quae omnino falsa videntur: sive quia nullum huius operis vestigium, quod valde utile ad plures controversias dirimendas exstitisset, ante medium saec. IX. deprehenditur; sive quia magnam praebet similitudinem cum Pseudo-Decretalibus Isidori. Videtur opus paulo posteriori tempore ac Capitularia confectum fuisse et scopum eumdem prosequi, in specie vero Episcopi spoliati defensionem et restitutionem (1).

C) Decretales Pseudo-Isidori

69. **De contentis in hac collectione.** — Sub duplici forma exstitit illa collectio. Prior continebat: in I[a] parte 50. canones Apostolorum; 60. decretales Rom. Pontificum a S. Clemente Rom. ad S. Miltiadem († 314) inclusive, quae omnes sunt spuriae et ex his 60. videntur 58. ab ipso auctore confectae; in II[a] parte canones Conciliorum, iuxta collectionem hispanam, adiunctis canonibus authenticis (aliquando tamen additamentis quibusdam auctis) variorum Conciliorum, necnon documentis totaliter apocryphis, v. g. donatione a Constantino S. Silvestro facta.

In secunda redactione, quae primam omnino evacuavit, praemittuntur tria documenta apocrypha et « ordo de celebrando Concilio » etiam spurius; post canones Conciliorum in II[a] parte relatos, adduntur decretales Pontificum, incipiendo a S. Silvestro, successore S. Miltiadis, usque ad

(1) Scherer l. c. p. 218,

S. Gregorium M., addita una epistola S. Gregorii II. (715.-731.) necnon variis epistolis ipsis Pontificibus directis. Ex his 120. documentis 45. vel 46. sunt apocrypha. Genuina partim ex collectione *hispana* partim ex Quesnelliana sunt excerpta (1).

70. **De fatis huius collectionis.** — Iam ab initio magnam celebritatem nactae sunt *Decretales Isidori* et usque ad Gratianum ex ipsa desumpta sunt documenta quibus collectiones systematicae conflabantur. Huius celebritatis ratio, praeter nomen Isidori Hispalensis cui attribuebatur, praesertim in eo habetur quod omnibus collectionibus anterioribus haec multo magis completa et absoluta videbatur. Quamvis iam saec. XIII, magis adhuc saec. XV, dubia contra eius authenticitatem mota fuerint, saeculo tantum sequenti fraus integra ab Erasmo, a Centuriatoribus Magdeburgensibus aliisque doctis viris detecta est. Inde, praeter paucos cum Turriano quem acriter et etiam docte Calvinista Blondel impugnavit, causae desperatae patrocinium nemo suscipere ausus est.

Argumenta contra genuinitatem tum aliorum documentorum tum maxime decretalium, quae in hac tantum collectione reperiuntur, haec fere sunt: 1) nullum vestigium illorum ante hoc tempus habetur: prima vice a. 853. in contestatione duorum clericorum Suessoniensium, deinde a. 857. in Concilio Carisiacensi citatae sunt quaedam ex his decretalibus; Romae a Nicolao I. a. 865. prima vice adhibentur; — 2) uniformitas styli in omnibus documentis apparet; — 3) loca integra cum scriptis saeculorum subsequentium apprime concordant, v. g. Pseudo-Clementina 41. cum Regula S. Benedicti c. 4. n. 1. sq.; — 4) plures « *anachronismi* » deprehenduntur.

Cum autem 1) primis vicibus in Galliis citata inveniatur, 2) multa loca Conciliorum particularium Galliae, Aquisgranensis, Meldensis, Moguntinae, Parisiensis contineat, necnon 3) terminos adhibeat tunc temporis vix alibi ac in Gallia

(1) Cfr. Wernz l. c. n. 213.

usu habitos, quales sunt « *missus* » pro legato, « *senior* » pro domino feudi, satis verosimiliter iudicatum est originem illi collectioni dedisse illam Galliae partem, quae a Rheno ad Mare Britannicum extenditur; at varii varia loca huic origini assignant: Moguntium (ita FRATRES BALLERINI et alii); Rhemos, praesertim ad resistendum Hincmaro Archiepiscopo (HINSCHIUS c. p. CCVIII sq. cfr. WERNZ l. c. n. 216, IV.); vel civitatem Cenomanensem (SIMSON, FOURNIER, alii).

Iuxta hypothesim clar. SIMSON, clericus unus vel clerici quidam ex familiaribus Episcopi Cenomanensis Aldrici (832.-856.), post confecta documenta historica spuria, quibus nomen *Chronica Cenomanensia,* etiam ad documenta canonica conficienda manum admoverunt: et primo quidem adulterata pro suo intento collectione hispana (de qua supra n. 62. sq.), successive tres collectiones spurias *Benedicti, Angilramni* et *Isidori Mercatoris* concinnassent, primo quidem loco Capitularia Benedicti dein Capitula Angilramni vel forte primam Pseudo-Decretalium editionem, ultimo tandem loco alteram et auctiorem editionem fabricantes. Suam sententiam D. SIMSON fulcit ex magna analogia quam inter se et cum *Chronicis* praebent variae illae collectiones, necnon ex historicis adiunctis, quae originem illam Cenomanensem comprobarent simulque scopum auctoris detegerent. Turbata nempe fuerat tota hierarchia ecclesiastica in provincia Turonensi ob praepotentiam et usurpationes ducis Britonum Nomenoe, Episcopi legitimi aut in exilium acti, aut iniuste accusati et spoliati, bona Ecclesiae surrepta; resistere voluerunt Cenomanenses, qui et ipsi ad provinciam Turonensem pertinebant. Quae hypothesis ingeniosa et ultimis temporibus a pluribus eruditis viris comprobata, limites tamen probabilitatis non praetergreditur.

71. **Scopus.** — Iniuriosa vero et gratuita suppositio *Febronii* et sequacium eius, iuxta quos Romae vel in Italia confecta fuisset collectio Isidoriana ad tuendas vel adiuvandas R. Pontificis usurpationes, nunc plane antiquata et derelicta est, tum ob interna criteria supra relata, tum ob posteriorem apparitionem in documentis Romae ortis. (Cfr.

HINSCHIUS l. c. p. CCVII., WERNZ l. c. n. 216, SCHERER 350 p. 221).

Scopus saltem principalis auctoris, si hypothesis D. SIMSON admittatur, fuisset vindicare et tueri, quo efficaciori modo posset, iura Ecclesiae contra usurpationes tunc frequentissimas.

Verosimile enim non est collectorem scopum aliquem particularem et restrictum habuisse, v. g. defensionem Episcoporum quorumdam contra vindictam Ludovici Pii (1): cur tam ingens opus concinnasset quod plures annos requirebat? Nec credendum videtur ipsi auctori, asserenti se voluisse « canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et in multis unum facere » (2). Ad talem scopum, saltem si unicus habetur, non recurritur ad falsificationem et suppositionem tot documentorum.

Potius ergo annuendum est D. SIMSON, etiamsi ceterum hypothesis eius circa originem Pseudo-Decretalium relinque retur, scopum saltem *principalem* auctoris fuisse vindicationem et tuitionem iurium Ecclesiae, necnon personarum et bonorum ecclesiasticorum contra usurpationes et tyrannidem praesertim virorum laicorum potentium.

Hoc intentum suum Pseudo-Isidorus obtinere conatus est:

1) documenta afferendo quibus *defensio personarum* et *bonorum* apte procuraretur.

Contra viros ecclesiasticos agebant potentes praesertim per viam accusationis, qua semel intenta sine ullo scrupulo eos a suis sedibus et beneficiis eiiciebant et spoliabant. Isidorus declarat iudicia simplicium clericorum tribunali ecclesiastico prorsus reservari, Episcoporum iudicia Concilio provinciali, quod tamen eos deponere nequit, antequam negotium ad R. Pontificem fuerit delatum, nisi forte a Ponti-

(1) Ita recte HINSCHIUS l. c. p. CCXIII, CCXVI.

(2) Hunc fuisse verum eius scopum admittunt HINSCHIUS l. c. p. CCXVI; PHILLIPS, KR. t. IV. p. 69. Aperte negat SCHERER § 50. p. 221, necnon WERNZ n. 216. V. (saltem quatenus fuerit unicus eius finis).

fice licentiam in antecessum concessa fuerit. Ceterum causae illae *maiores* ad R. Pontificem sive *immediate* sive via *appellationis* semper deferri possunt.

Accusationis *procedura* minutatim est constituta. Axioma saepius repetitur quod postea praevaluit sub forma classica: « *spoliatus ante omnia est restituendus* », qua regula, tanquam summa iniustitia condemnatur privatio sedis episcopalis ante iudicium regulare facta.

2) Ad *bona ecclesiastica* tuenda Isidorus summa vehementia contra eorum spoliatores invehitur, declarans haec sacrilege usurpari, cum e donationibus fidelium accreverint, Deo ipsi data fuerint nullaque ratione huic destinationi subtrahi debeant; spoliatores ipsos severissimis condemnationibus obnoxios evadere.

3) Ut autem contra potentium usurpationes fundamentum et fulcrum resistentiae habeatur, R. Pontificis privilegia invocat. Ipse est iudex supremus in Ecclesia, qui in causis maioribus directe et immediate iudicat aut saltem ultimam fert sententiam; qui iurisdictionem exercet in Episcopos, sive singulos sive in Concilia adunatos, quorum Conciliorum, etiam regionalium, celebratio sine eius assensu et independenter ab eo haberi nequit. Quo luce clarius patet falsas Decretales non modo R. Pontificis potestatem extollere non intendere, quin imo eius potestati, ad independentiam Ecclesiae in Gallia tuendam, inniti non potuisse, nisi haec jam ab omnibus agnita admissaque fuisset (ita merito FOURNIER, SCHERER l. c. p. 221. etc.). Ceterum haec R. Ponficis suprema potestas multis antiquioribus documentis vel *signate* vel saltem *exercite* manifestatur.

4) Ut melius Ecclesiam tueretur, debuit auctor eam a periculo internae anarchiae praeservare: hinc vera eius constitutionis principia in lucem ponere satagit: 1) summa instantia subordinationem cleri et fidelium erga Episcopos revocat; — 2) missionem parochorum inculcat, qui *ad vitam* deputati, parochiam regunt, cuius basis est territorialis; — 3) *chorepiscopos* impugnat, quos parasitarum instar habet, sicut et Episcopos *pagorum* aut non ad determinatam

civitatem consecratos; — 4) ipsos Metropolitanos deprimit, quos ab Episcoporum provinciae coetu dependentes facit, non eiusdem provinciae *rectores,* quasi regimen aliquod *monarchicum* exercentes.

5) Quod si tandem doctrinalia plura proponit Isidorus, non tam ad fraudem tegendam quam ex eodem reformationis scopo facit, morem ceterum Conciliorum suae aetatis sequens, quae saepius de populo christiano in fide rite instruendo agunt.

72. **De influxu Pseudo-Decretalium.** — Ab exaggerationibus in utramque partem est cavendum. Falso enim a quibusdam praetenditur eas nullum exercuisse influxum, cum e contra: 1) constet non paucos Archiepiscopos et Episcopos et ipsum Imperatorem Carolum Calvum contra plures earum allegationes protestatos esse; 2) per tria tam saecula late divulgatae, omnibus collectionibus posterioribus documenta praebuerint; 3) tam saepe allegatae etiam in Curia Romana fuerint. At adhuc magis exaggerant qui per illas totam ecclesiasticam disciplinam substantialiter mutatam et subversam fuisse contendunt (ita CENTURIATORES, FEBRONIUS, VAN ESPEN, quorum ceterum opinio nunc omnino derelicta et explosa iacet). Dici debet disciplinam antiquam quoad *quaedam,* non quoad *multa,* in Pseudo-Decretalibus mutari, at generaliter potius approbari et corroborari. Quae autem nova proponebantur, aut admissa non sunt, v. g. necessitas consensus R. Pontificis ad Concilia *quaelibet* celebranda eorumque acta rata habenda, exclusio laici ab accusatione clerici; aut, si approbata sunt, hanc approbationem propter similes sanctiones legum civilium aut antiquos canones particulares nacta sunt: talis est limitatio iuris accusandi Episcopos vi depositos et spoliatos ante restitutionem [1].

[1] VERING, *Kirchenrecht* § 17. n. 4. et not. 1. Haec dispositio habetur ex Syn. Rom. III sub Symmacho a. 501. et iuri Romano innititur. Cfr. Corpus iur. can. ed. FRIEDBERG ad c. 3. C. III. q. 1. ubi dicit hoc caput confectum fuisse « ad Theod. Cod. l. IX. tit. 10. c. 3. ».

Influxus Pseudo-Decretalium in *scientiam* iuris canonici magnus fuit, eo quod omnes subsequentes collectiones inde materiam suam traxerunt; Decretum Gratiani multa adhuc inde excerpta continet, quaedam etiam, licet pauca Decretales Gregorii IX.

Articulus IV

De collectionibus Pseudo-Isidoro posterioribus (1)

73. Inter collectiones illas, quae, a saec. IX. plus quam 50. ortae, magni sunt momenti quia per ipsas transmissa est doctrina canonica et quia Decreti Gratiani immediatus fons existunt, celebriores quasdam innuisse satis erit. Qui plura velit adeat Wernz l. c. n. 218 sq., Scherer KR. t. I. § 53., Friedberg in edit. Decreti Grat. p. xlii sq.

Praecipuae collectiones quibus usus est Gratianus, in suo opere concinnando, sunt:

Collectio Anselmo II. Mediolanensi (888.-897.) dedicata, saec. IX. exeunte adornata;

Reginonis abbatis Prumensis, *Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis,* circa a. 910.;

Burchardi, Episcopi Wormatiensis, *Decretum*, vel *Collectarium canonum,* quod opus magnam celebritatem consecutum est; huius sententiae breves et concisae, ab auctoribus adoptatae, aliaeve earum formam imitantes, dictae sunt *brocardica;*

Anselmi Lucensis (1073.-1086.), *Collectio* in 13 libros divisa, opus magnae aestimationis;

Ivonis Carnutensis († 1117), *Decretum* (quod forte alii auctori est attribuendum), et *Panormia* quae et ipsa ordine systematico, meliore quam qui in Decreto usurpatur, documenta refert;

(1) Cfr. De Ghellinck, *Le mouvement théologique du XII. siècle.* Paris 1914, praes. c. 1. § 3. et c. 5.

Cardinalis Gregorii, *Polycarpus*, initio saec. XII concinnatus;

Algeri, Scholastici Leodiensis († circa 1130.), *Liber de misericordia et iustitia*, ante a. 1121. scriptus, qui, in tres partes divisus, normam praebuit divisionis quam Gratianus in suo Decreto servavit.

Sunt praeterea aliae collectiones, obiecto magis particulares, libri poenitentiales, liturgici, de matrimonio, de ordine iudiciali, libri formularum, v. g. *Liber diurnus Cancellariae Romanae,* qui inter 685. et 752. confectus fuisse videtur.

Appendix. De Iure civili seu Romano [1]

74. **Praenotandum.** — Antequam ad Decretum Gratiani transeamus, aliquid dicendum videtur de *iure Romano*, seu de *iure civili* (quod verbum, sine addito adhibitum, semper *ius civile Romanum* designat). Magnum enim momentum habet per respectum ad ecclesiasticam legislationem [2], tum 1) quia non paucas legum civilium dispositiones Ecclesia *tacite* vel *expresse* approbavit et admisit, tum 2) quia non raro collectiones iuris ecclesiastici formam et methodum collectionum iuris Romani, praesertim Codicis Iustinianei, imitatae sunt; meliorem tamen et magis logicum materiarum ordinem secuta est collectio Gregorii IX., etsi nondum omni ex parte perfectum.

75. **De iure Romano ante Iustinianum.** — Tempore Hadriani Imperatoris (117.-138.) existebant innumerae leges, originis et generis valde diversi: antiquae *leges* praesertim celeberrima *Lex XII Tabularum, plebiscita, senatus-consulta, constitutiones Principum, edicta praetorum, auctoritates pru-*

[1] Laurin, *Introductio in Corpus Iuris canon.*, in appendice; Wernz l. c. I. n. 227. seq.

[2] Hinc Melchior Canus, *De locis theol.*, l. X. c. 8. effatum refert: « Il legista senza capitolo (i. e. sine cognitione ss. canonum) vale poco; ma canonista senza legge (ignorans ius civile) vale niente ».

dentum (i. e. effata quaedam iurisperitorum quae quasi vim legis obtinebant), *ius consuetudinarium:* quae leges duobus millibus voluminum manuscriptorum continebantur. Hadrianus aliquam compilationem legum antiquarum per Salvium Iulianum confici curavit.

Ab Hadriano ad Constantinum M. multa edicta Principum promulgata sunt ex quibus duas collectiones privatas compilaverunt Gregorius et Hermogenes. Tandem Imperatores christiani numerosas Constitutiones publicaverunt, quas Theodosius II (408.-450.) colligi, compendiari et ordine systematico disponi iussit. Inde originem habuit a. 438. Codex Theodosianus qui etiam a Valentiniano III (425.-455.) pro Imperio Occidentali approbatus et promulgatus est; libros XVI, divisos in titulos, continet, ex quibus praesertim ultimus liber qui est de personis et rebus ecclesiasticis sed etiam libri III., IX., XV. iuri canonico inserviunt. Notatu dignum est ius Romanum et et in specie Codicem Theodosianum, etiam destructo Imperio Romano Occidentali a. 476., non omnem amisisse valorem, nam: 1) clerus eo uti perrexit, de consensu victorum, etiam in rebus suis civilibus; 2) leges *Barbarorum* multa ex iure Romano desumpserunt, sive pro omnibus civibus constituerentur, sive solos cives originis Romanae ligarent, ut Lex Romana Wisigothorum, Lex Burgundiorum, quae adhuc sub Francis usum et valorem aliquamdiu retinuerunt; leges autem Iustinianeae parvum influxum extra Italiam exercuerunt (1).

76. **De iure Iustinianeo.** — Iustinianus (527.-565.), iam ab initio longi sui regni, ad reformationem iuris Romani manus admovit. Triboniano, suo ministro et insigni iurisperito, operam commisit totius iuris imperatorii in unum Codicem redigendi, praesertim Codicem Theodosianum et collectiones Gregorii et Hermogenis adhibendo, qui *Codex* (*vetus*) a. 529. prodiit et promulgatus est exhibetque ius ab Hadriano ad Iustinianum. Anno sequenti Tribonianus, a 16. iurisperitis adiutus, novum opus aggressus est, quod die

(1) LAURIN l. c. § 22; SCHMALZGRUEBER l. c. Prooem. n. 185. sq.

16. Dec. 533. promulgatum, vocatum est *Pandectae* (παν δέχομαι, quia omnia capita iuris continet) seu *Digesta* (quia certo ordine *digestam* doctrinam legalem exhibet). Illud opus, quod pulchriores sententias antiquorum iurisperitorum de omni re iuridica continet, quibus vis legis universalis tribuitur, constat 7. partibus et 50. libris, et a Glossatoribus postea in tria volumina divisum est, quibus nomina sunt: Digestum vetus cum 24 libris, Dig. infortiatum vel infartiatum (i. e. maioris molis) cum 15.; Dig. novum cum 12. libris. Iam die 21. Nov. 533. promulgatae erant *Institutiones*, quibus compendiose exhibentur principia iuris (relictis applicationibus) de personis (lib. I.), de rebus (II. et III.), de actionibus (IV.); Institutiones illae, ex Pandectis praesertim collectae, quasi introductionem quamdam in studio iuris iuvenibus praebere debebant, simul tamen vim legis sicut Pandectae, obtinebant. Utraque collectio a die 30. Dec. 533. obligare incepit.

Hoc tamen labore non contentus Iustinianus novum *Codicem* meliori ordine dispositum, in quo Constitutiones interim ab ipso publicatae sedem obtinerent per eumdem Tribonianum confici iussit. Qui *Codex* dictus *novus*, vel *secundae* seu *repetitae praelectionis* (i. e. evulgationis, editionis), die 16. Nov. 534. promulgatus, vim obligatoriam a die 29. Dec. 534. obtinuit.

Post publicatum *Codicem novum*, multae Constitutiones a Iustiniano prodierunt, quae nunquam in collectionem quamdam authenticam redactae sunt; collectiones *privatae* vel integras referebant Constitutiones quae *novellae* dicebantur, (v. g. *Authenticum*, sub ipso Iustiniano confectum) ([1]), vel compendiose eas exhibebant (v. g. *Epitome* latina Iuliani, paulo ante *Authenticum* confecta). Tres aliae postea prodierunt: prima saec. VI., sub Tiberio II. 578.-582.; altera

([1]) Notare praestat Institutiones, Pandectas, Codicem latino sermone fuisse scripta, novellas nunc latino, nunc graeco, nunc utroque; *Authenticum* novellas originaria lingua transcriptas referebat, at ad nos sub hac forma non pervenit, sed omnes latina lingua transcriptas vel translatas continens.

saec. XII., ultima a. 1571. ab Antonio Contio exarata, quae postea in editionibus iuris R. communiter inserta est et dividitur in 9. collationes et 168. novellas.

Sub nomine *Corporis iuris civilis* veniunt omnes illae collectiones Iustinianeae. Quod nomen, iam saec. XIII. aliquando adhibitum, inde a fine saec. XVI. editionibus iuris Romani apponi incepit, ut communis titulus, per oppositionem ad Corpus iuris canonici. (Cfr. infra n. 79.).

77. **Vis obligativa iuris Romani.** — Constitutiones Iustinianeae pro solo Imperio Orientali publicatae, postea ad Africam et Italiam extentae sunt, quando has regiones sibi subiecit Iustinianus: destructa vero dominatione Byzantina, vim suam retinuerunt in Italia pro clero et Romanis. Serius vero influxum magnum denuo exercere coeperunt in aliis Occidentis partibus, praesertim ob celebritatem Universitatis Bononiensis ad quam, ex omnibus Europae partibus, iuris studiosi a fine saec. XI. confluxere.

Ius Romanum de se Ecclesiam non ligat: lex enim civilis auctoritatem in ea non obtinet nisi *canonizata* fuerit, i. e. ab ea admissa. Immo non paucae leges violationem iurium Ecclesiae constituunt; nec desunt leges quae etiam iuri naturali contradicunt, v. g. quod servi matrimonium proprie dictum contrahere nequeant (L. 3. Cod. de incestis et inutilibus nuptiis. V. 5.) vel quae casus divortii admittunt. At nihilominus ius Romanum substantialiter saltem spiritu vere christiano intime imbutum dicendum est.

78. **Modus allegandi.** — Olim citabatur numerus legis cum §, signum collectionis, rubrica tituli; aliquando post numerum tum legis tum §, primum vocabulum addebatur, raro autem numeri libri et tituli, qui nunc e contra semper adiunguntur. Digesta hoc modo allegantur: L. 31. § 3. ff. (1) (aut D.) de donat. — vel L. donationes 31. § Eiusmodi 3.

(1) Notatio ff., vice D. pro Digestis, a pluribus explicatur per incuriam librariorum qui nimis litteram D producentes et linea horizontali dividentes ad signandam breviationem; hinc ad ff. transierunt. Cfr. SCHMALZ. l. c. Prooem. n. 200; LAURIN l. c. § 15.

ff. de donat. XXXIV. 5. et legitur: lege trigesima, § tertia, *Digestis*, de donationibus, libro XXXIV. titulo 5.

Codex sic citatur: L. (sancimus) 21. Cod. de sacr. Eccl. I. 2. et legitur: lege 21., *Codice*, de sacrosanctis Ecclesiis, libro primo, titulo secundo.

Institutiones: § (Servi) 4. Inst. de iust. et iure I. 1., et legitur: § quarta *Institutionum*, de iustitia et iure etc.

Novellae: Novel. 89. praef. (epil.); — vel Novel. 89. c. 12. pro. § 1., et legitur: Novella 89. in praefatione, (epilogo); vel capite 12. in prooemio § prima.

Articulus V

De Corpore iuris canonici

79. Si ius ecclesiasticum secundum diversa tempora spectatur, dividi solet in ius *antiquum*, *novum*, *novissimum: antiquum* a primordiis Ecclesiae ad Gratianum exclusive; *novum* a Gratiano ad Tridentinum exclusive (melius diceretur ius medii aevi); *novissimum* a Tridentino usque ad nos (melius vocaretur ius novum).

« *Corpus iuris canonici* » quod ius novum (medii aevi) quoad magnam partem continet, *sex* constat collectionibus, quae tempore, origine et valore multum inter se differunt.

Ex eo quod dicatur Corpus iuris canonici, falso inferretur *omnia* et *sola* ibi contenta vim legum ecclesiasticarum universalium habere: nam 1) non pauca ibi contenta talem vim non habent; 2) multa decreta, decisiones, ibidem non inserta, non minorem propterea valorem obtinent.

Nomen illud a privatis invectum ad designandum complexum illarum *collectionum*, quae solae in scholis et in iudiciis adhibebantur, paulatim vulgo receptum, etiam a Gregorio XIII. Const. « *Cum pro munere* » 1. Iul. 1580. adhibitum est, donec tandem a. 1671. editioni Lugdunensi affixum fuerit

et deinceps, ut nomen proprium, illis collectionibus complexive sumptis attributum manserit (1).

Sex collectiones quibus constat Corpus iuris canonici sunt: Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX., Decretales Bonifacii VIII. seu Liber Sextus, Decretales Clementinae, Extravagantes Ioannis XXII, Extravagantes Communes. Ex his collectionibus tres tantum sunt *authenticae* sensu *iuridico*, nempe Decretales Gregorii IX., Bonifacii VIII. et Clementinae. De singulis partibus Corpori iuris singillatim est agendum.

A) Decretum Gratiani

80. **De auctore, titulo et scopo Decreti.** — Gratianus, natus Clusii (Chiusi) in Hetruria, fuit monachus Camaldulensis in monasterio Bononiensi S. Felicis, et per multos annos ius canonicum in Universitate Bononiensi docuit; huius labori fructus fuit opus laudatum quod circa a. 1127. inceptum, a. 1150. vel paulo ante absolutum est (2).

Iuxta plures auctores, titulus ab ipso Gratiano suo operi datus est: « *Concordia discordantium canonum* », qui iam in antiquis codicibus invenitur; alii tenent Gratianum praefixisse titulum « *Decreta* » (3); serius vero dictum est « *Decretum Gratiani* », quod nomen ipsi nunc semper attribuitur.

De scopo. — Praeter scopum, ipso titulo primitivo (vel antiquissimo) manifestatum, scl. conciliandi inter se canones prima fronte discrepantes, videtur auctor sibi finem proposuisse collectionem aliquam conficiendi prioribus magis ordinatam eisque tum integritate et plenitudine, tum exactae et rectae doctrinae expositione praestantem.

Quem duplicem scopum praestitit non tantum melius eligendo et disponendo documenta canonica, sed etiam per sua *dicta*, quae sunt adiunctiones quaedam in quibus suam

(1) Wernz t. I. n. 263. not. 22.
(2) Laurin l. c. § 14. v. f.
(3) Ita v. g. Laurin l. c. § 15.

sententiam proponit, et doctrinam canonicam effert quam praeferendam arbitratur; haec dicta vel praecedunt et annuntiant varios canones et decretales, quae dictam doctrinam continent, vel ea sequuntur, doctrinam resumunt conciliationemque certam vel probabilem ostendunt.

81. **Divisio Decreti.** — Tres partes continet, quorum tertia forte initio ultima quaedam sectio partis secundae exstitit, a qua in vetustissimis codicibus separata non est. Gratianus ipse totum Decretum in varia capita (postea dicta canones) divisit, et secundam partem in causas (seu casus iuridicos) et quaestiones (1). Aliae vero divisiones sunt Gratiano posteriores, ad maiorem commoditatem a glossatoribus aut librariis introductae.

Nunc enim prima et tertia pars in *distinctiones* (101. et 5.) et *partes distinctionum* dividuntur; secunda pars in *causas*, causae in *quaestiones* et quaestiones in varias *partes*. Infima divisio, sive distinctionum sive quaestionum, est in *canones*. Distinctiones, partes sive distinctionum sive quaestionum, canonum numeratio sunt Gratiano posteriores, ad commoditatem maiorem introductae (2). Divisiones tum a Gratiano tum post ipsum introductae distinctionum, causarum, quaestionum, etc., logice factae sunt ob argumenta diversa in his partibus contenta, quae generatim per aliquod *dictum* Gratiani sufficienter designantur. Ipsis capitibus seu canonibus solet aliquod *summarium*, ab ipso Gratiano appositum, praemitti, quo canonis argumentum breviter exponitur (dicuntur *rubricae* canonum, eo quod in codicibus antiquis minio depictae inveniuntur). Summarium sequitur *inscriptio historica* qua indicatur canonis origo vera (aut quam talem putavit Gratianus). Praeter canones Gratiani non pauci alii paulatim introducti sunt quorum numerus et discrimen a genuinis non est absolute certum, qui dicuntur

(1) LAURIN l. c. § 21.

(2) WALTER, *Kirchenrecht.* § 101.; SCHERER t. I. § 54.; FRIEDBERG in edit. Corp. iur. can. p. IX. XII.; aliter BOUIX, *De princ. iur. can.* p. 478. cum DEVOTI, *De iur. can. univ.*, t. I. p. 371.

paleae: illius nominis origo a variis auctoribus varia praetenditur (1).

82. **Ordo rerum.** — Accurata et perfecte logica materiarum distinctio in Decreto Gratiani non invenitur. Non deest tamen aliquis ordo systematicus.

In 1ª parte tractat de notionibus tum iuris in genere tum iuris canonici in specie (dist. 1.-20. incl.), deinde de personis: de S. Ordinatione et clericorum dotibus et obligationibus (21.-59.); de Praelatis ecclesiasticis, eorum dotibus et mutua subordinatione (60.-101.).

In 2ª parte, de iudiciis ecclesiasticis agit et de causis quae ad ea referuntur: multa agitat quae *praesertim* ad consecutionem, dimissionem beneficiorum seu ecclesiarum pertinent (causae 1.-10.), administrationem eorumdem tum in temporalibus (11.-15.), tum in spiritualibus (21.-26.), interim introducta quaestione de Ordinibus religiosis sive quoad disciplinam interiorem sive quoad relationes cum Episcopis et parochis (16.-20.). Succedunt quaestiones de matrimonio (27.-36.). At, occasione data, in Causa 33. inseruit Gratianus integrum aliquem tractatum de poenitentia, qui pro quaestione 3ª illius causae ponitur et postea in distinctiones 7. divisus est.

In 3ª parte agit de ceteris rebus quae ad cultum divinum aut hominum sanctificationem pertinent: de ecclesiis et oratoriis, festis, ieiuniis, Eucharistia, Baptismo et Confirmatione. Quae pars, cum a consecratione ecclesiarum initium sumat, postea dicta est *de consecratione.*

83. **Modus Decretum allegandi.** — In 1ª et 3ª parte citatur *canon*, deinde *distinctio:*

can. 3. dist. 15. aut c. 3. D. 15.

et legitur: canone tertio distinctionis 15ª.

(1) *Paleae*, per oppositionem ad genuinum Gratiani *frumentum?* aut quia insertae (saltem plures), a PAUCAPALEA, Gratiani discipulo? aut quia olim ipsis praeficiebatur inscriptio « *P. alia* », postea in « *Palea* » corrupta? Cfr. LAURIN l. c. § 16. p. 29. 30. § 18. p. 31.; DE LUCA, *Praelec. iur. can.*, t. I. p. 137.

Prima verba canonis olim sola allegabantur; v. g. cap. Sancta Romana; nunc aut omittuntur aut inseruntur hoc modo:

c. Sancta Rom. 3. D. 15.

Ut distinguatur 3ª pars a 1ª, adduntur verba: *de consecratione*, v. g.:

c. 1. D. 4. de cons.

et legitur: canone primo, distinctionis 4ªe de consecratione.

In 2ª parte allegantur *canon, causa, quaestio*, adiectis aut suppressis primis canonis verbis, v. g.:

can. Si quis C. XVII. q. 4.; aut: can. Si quis 29. C. XVII. q. 4.

aut tandem expeditiori modo: c. 29. C. XVII. q. 4.

et legitur: canone 29° causae 17ªe, quaestione 4ª.

Si locus citandus desumitur ex tractatu de poenitentia, qui quaestionem tertiam causae 33ªe constituit, post numerum *canonis*, loco indicationis *causae* et *quaestionis*, ponitur: *de poenitentia*, addita indicatione distinctionis.

c. Ne forsitan 74. de poen. D. 1. aut. c. 74. de poenitentia D. 1.

et legitur: capite Ne forsitan 74ª de poenitentia, distinctione 1ª.

Ut appareat fons unde locus desumptus est, sic enuntiari solet:

c. 40. C. XXVII. q. 1. = Conc. Later. II. (a. 1139.) c. 7. 8.

Dictum Gratiani indicari potest ante vel post caput aut distinctionem quam praecedit vel sequitur, v. g.:

Grat. (Dict. Grat.) init. D. 3.; Grat. ad c. 1. D. 1.; Grat. post c. 2. D. 3.

N. B. — Iste modus allegandi Decretum Gratiani hoc habet commodi, quod brevitati claritatem coniungat et periculum erroris excludat. Si enim invenitur indicatio *canonis* et *distinctionis* sine ullo addito, intelligitur locus ex 1ª parte excerptus; si addatur *de consecr.*, ex 3ª; si *de poen.*, in 2ª p. causa 33ª, quaest. 3ª (i. e. in tractatu de poenitentia); si *causa* (C.) et *quaestio*, in 2ª parte.

84. **De valore et auctoritate Decreti.** — Vix in lucem edita, summo omnium plausu recepta est collectio Gratiani: in Scholis legi et commentari, in tribunalibus adhiberi coepta est; ex ea et non aliunde Conciliorum canones, Rom. Pontificum decreta, SS. Patrum sententias unusquisque petere incepit. Ita omnibus apparuit canonum perfectus et absolutus codex ut ab ipsis Rom. Pontificibus: « Sacri canones » « Decreta » nominaretur.

Estne vere authenticus Codex, quem nempe Rom. Pontifices ita approbaverint ut singula ibi contenta vim legis universalis pro Ecclesia habeant?

Huic quaestioni alii aliter respondent: triplex praesertim est sententia: 1ª quam post plures antiquos canonistas recentius propugnavit Bouix (*De princ.* cap. 13) simpliciter affirmat; 2ª (Tarquini, De Luca) affirmat cum aliqua restrictione; 3ª simpliciter negat et est nunc communis.

Arguit prima sententia: 1) ex *approbatione* praesertim Gregorii XIII. 2) ex *consuetudine* et *usu* fori quae aut probant Decretum habitum fuisse ut authenticum, aut certe vim collectionis authenticae ipsi attribuerunt.

Secunda sententia eisdem argumentis utitur, quibus tamen vim minorem tribuit, dicens Decretum non attingere vim collectionis authenticae, ei tamen proxime accedere.

Confutatur utraque sententia, si animadvertitur:

1) Gregorium XIII per verba: « ut quae emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur » (1), authenticitatem iuridicam tribuere non intendisse. Ratio ergo cur verba tam solemnia adhibuerit, haec fuisse videtur: ob maximam aestimationem in qua habebatur Decretum et constantem usum in foro, opportunum visum est, si textus quidam uniformis adhiberetur, correctis etiam, quantum fieri potuit,

(1) Const. « *Cum pro munere* » 1. Iul. 1680., et Const. « *Emendationem* » 2 Iun. 1682.

Ostendit Laurin l. c. § 29. approbationem Eugenii III., quae ab aliquibus praetenditur, inter fabulas esse relegandam.

mendis quae in textibus a Gratiano allatis deprehensa fuerant;

2) *consuetudinem* et *usum* fori, quales a fautoribus sententiae affirmantis finguntur, non existere (1). Potuerunt quidem aliquos canones leges facere at nunquam totum Decretum, praesertim cum tot locis spuriis sit refertum.

Unde admittenda est 3ª sententia, quam suo tempore iam communem esse testabatur BENEDICTUS XIV (*De Syn. dioec.* l. VII. c. 15. n. 6.) dicens: « Gratiani Decretum, quantumvis pluries Rom. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet, quin immo inter omnes receptum est, quidquid in eo continetur, tantum auctoritatis habere quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret ». Quae conclusio brevi effato exprimi solet: documentum e Gratiani Decreto decerptum « tantum valet quantum extra ».

In specie: 1) loca authentica Decreti, si sint leges particulares, non fiunt ex insertione in Decreto leges universales Ecclesiae;

2) loca spuria nullam habent auctoritatem, nisi in specie probentur vim legis obtinuisse per consuetudinem, approbationem subsequentem R. Pontificis, etc.;

3) inscriptiones historicae canonum saepissime falsae sunt;

4) valor « dictorum » Gratiani, est valor ipsius auctoris collectionis, non valor legalis.

85. **De influxu Decreti.** — Maximus fuit influxus Decreti, praesertim ob celebritatem quam obtinuit schola iuris canonici Universitatis Bononiensis, etiam prae schola iuris civilis eiusdem Universitatis. Hinc scientia iuris canonici a Theologia separari coepta est, gradus academici distincti dati sunt etc. In hac schola praelegebatur Decretum Gratiani, *decretistae* (doctores decretorum, canonistae) suis *glossis*, *summis*, *casibus* illud explicaverunt, diviserunt, applicaverunt. Glossae seu explicationes et interpretationes tum *margi-*

(1) WERNZ t. I. n. 235. post SUAREZ, *De leg*, l. IV. c. 5. n. 7.

nales, tum *interlineares* codicibus manuscriptis additae sunt, ex quibus paulatim orta est *glossa ordinaria*. Haec a IOANNE TEUTONICO (circa a. 1210.-1215.) composita, serius (circa a. 1246.) a BARTHOLOMAEO BRIXIENSI reformata, postea in editionibus typis mandatis constanter fuit repetita.

Postquam vero arti criticae accuratior data est opera, non pauca menda in Decreto irrepsisse deprehensa sunt. Inde correctiones ab ANTONIO AUGUSTINO († 1586.), BERARDI († 1768.) privata auctoritate introductae, aliae a « *correctoribus Romanis* » iussu Gregorii XIII. factae, quae licet non nimium laudandae sint, suo tamen valore non carent. Nuper autem editiones criticae magna eruditione confectae sunt, at non raro notis doctrinae catholicae plus minusve infensis foedatae: inter quas eminent editiones BOEHMER et RICHTER, FRIEDBERG, quae tamen textum primigenium restituentes, non textum correctorum Romanorum, Catholicis minus utiles factae sunt.

B) Decretales Gregorii IX.

86. **De origine huius collectionis.** I. *Collectiones Gratiano posteriores quae Decretalibus viam pararunt.* — Non multo post publicatum Decretum Gratiani, duo Concilia oecumenica celebrata sunt, nempe Lateranense III. (a. 1179.) et IV. (a. 1215.), multaeque constitutiones Rom. Pontificum prodierunt, praesertim sub Alexandro III. (1159.-1181.) et Innocentio III. (1198.-1216.), qui ambo inter illustriores Ecclesiae legislatores recensentur.

Prima, quae BERNARDUM PAPIENSEM auctorem habuit (circa 1187.-1191.), perfectiorem ordinem ac praecedentes praebebat, qui ordo postea in ceteris et in ipsis Gregorii IX. Decretalibus adoptatus est, nempe cum divisione materiarum in quinque libros, cum titulis et capitibus ordine chronologico in singulis titulis dispositis [1].

[1] LAURIN l. c. § 59.

Quinque compilationes antiquae se invicem excipiunt, quoad ordinem chronologicum documentorum.

Prima exhibet plura documenta utilia a Gratiano omissa, nec non Constitutiones Rom. Pontificum post Gratianum editas usque ad Clementem III. (1187.-1191), praesertim Decretales Alexandri III. et canones Concilii Lateranensis III.

Secunda, quae tamen ordine temporis post *tertiam* confecta est [1], alia documenta exhibet, sive omissa in prima, sive ipsi posteriora, ad tempus usque Innocentii III.

Tertia continet constitutiones Innocentii III. usque ad a. 1210.

Quarta eiusdem Pontificis constitutiones inde ab a. 1210. necnon decreta Conc. Later. IV.

Quinta constitutiones Honorii III. (1216.-1227.).

Si de valore iuridico illarum collectionum quaeritur, dicendum est saltem tertiam et quintam, probabiliter etiam quartam, esse iuridice authenticas, cum auctoritate Innocentii III. et Honorii III. compilata fuerint et missae ad archidiaconum Bononiensem cum his verbis: « mandamus..... quatenus eis (decretalibus) solemniter publicatis, absque ullo scrupulo dubitationis utaris atque ab aliis recipi facias, tam in iudiciis quam in scholis » [2].

Citari solent hoc modo: Comp. (Cpl.) II. (aliquando Extr. II.) c. 1. de cognat. spir. IV. 6. quibus verbis indicatur caput primum tituli 6^{1}. libri 4^{1}. secundae compilationis.

87. II. *Decretalium ipsarum origo historica et scopus.* — Collectio quae vulgo dicitur « Decretales Gregorii IX. », iussu et auctoritate huius Pontificis (1227.-1241.) confecta est a viro sancto et illustri canonista, S. Raymundo a Peñaforte O. P., qui eiusdem Pontificis capellanus et Poenitentiarius Maior exstitit. Motiva vero in Const. « *Rex pacificus* », qua promulgatum est opus 5. Sept. 1234., sic enuntiabantur: « ad tollendam confusionem in iudiciis et ad com-

[1] Laurin l. c. § 66.

[2] Sunt verba Honorii III., quibus quintam compilationem promulgabat. Cfr. Scherer I. p. 248.; Laurin l. c. § 67.

munem, maxime studentium, utilitatem » : constitutiones enim et decreta aut passim inveniebantur in variis illis collectionibus dispersae, nec semper inter se concordantes, aut etiam extra illas vagabantur et incerti valori manebant. Voluit ergo Gregorius IX. *complere*, *ordinare*, *breviare*, ad *concordiam revocare* documenta illa (1).

Varia nomina obtinuit haec collectio; ab ipso Pontifice dicta est « *compilatio* », mox cum addito « *nova* » vel « *sexta* », per oppositionem ad *quinque* compilationes *antiquas;* frequentius vero « *liber extravagantium* », quia extra Decretum Gratiani vagabantur; aut « *Decretales* », « *Decretales Gregorii* »; qui mos praevaluit et adhuc nunc viget. Indicium tamen antiquae designationis per nomen « *extravagantes* », habetur in littera X. (aliquando, raro nunc ë) quae adhibetur in citationibus collectionis Gregorianae et significat *extra* Decretum (2).

Promulgata est collectio per Const. « *Rex pacificus* » 5. Sept. 1234. missam ad Universitatem *Bononiensem*, probabiliter etiam ad *Parisiensem ;* quae missio auctoritativa, ut sufficiens promulgatio merito haberi poterat.

88. **De ordine rerum in Decretalibus.** — S. Raymundus, ex quinque compilationibus antiquis, canones Conciliorum Lateran. III. et IV. et decretales Rom. Pontificum post Gratianum promulgatas excerpens, ea documenta ordine chronologico disposuit iuxta materiam variorum librorum et titulorum. pro divisione iam in compilationibus adoptata; addidit pauca capita (9.) quae in his desiderabantur, plura vero (191. ad 196.) ex decretalibus Gregorii IX. Documenta autem adhibita non semper intacta transcripsit (3):

(1) WERNZ t. I. n. 239., ubi confutat gratuitam et iniuriosam suppositionem, quam post SCHULTE resumpsit FRIEDBERG, Proleg. p. IX., nempe Gregorium sibi proposuisse pro scopo « Rom, pontificatus auctoritatem potestatemque » amplificare.

(2) WERNZ t. I. n. 106. not. 1.

(3) LAURIN l, c. § 75. p. 138. not. 3. et p. 246. not. 7. qui merito carpit SCHULTE, qui S. Raymundo has mutationes probro vertere non erubuit: idem enim in ipsis Digestis, iussu Iustiniani, praestiterat Tribonianus.

non raro enim superflua resecavit; inscriptiones tamen antiquas retinuit. *Titulos* praemisit, non autem *summaria capitum* (unde a Gratiano differt), quae postea a commentatoribus aut glossatoribus sunt addita.

Quinque libros complectitur collectio Gregoriana qui hoc versiculo exprimuntur:

Iudex, iudicium, clerus, sponsalia (connubia), crimen.

In libro I. post titulos 4. de fontibus existendi, plerique tituli sunt de magistratibus ecclesiasticis, hinc nomen *iudex*, qui hic lato sensu intelligendus est, nempe de quocumque habente in Ecclesia iurisdictionem seu potestatem subditos regendi.

Liber II. (*iudicia*) est de iudiciis et ea refert quae ad iudiciorum instructionem et applicationem spectant.

Liber III. (*clerus*), de clero saeculari et regulari, quoad mores et bona, tractat, necnon de rebus ecclesiasticis quoad alienationem, venditionem, locationem, permutationem.

Liber IV. agit de *sponsalibus* et *matrimoniis*.

Liber V. de *criminibus* contra ordinem ecclesiasticum commissis et de poenis infligendis agit: sic de simonia (tit. 3.), de haereticis, schismaticis, apostatis (7.-9.), de usura (19.). Explicit cum duobus titulis qui sic citari solent: V. S. (de verborum significatione), ubi diversi modi interpretandi leges et privilegia traduntur; R. I. (de regulis iuris), quae sunt brevia effata, praesertim SS. Patrum vel Rom. Pontificum, quibus axiomata quaedam proponuntur in iudiciis utilia.

89. **De modo citandi.** — Fere idem est modus allegandi Decretales ac allegandi Decretum. Indicatur *caput* per numerum vel etiam per verba initialia (addito aut reticito numero) quae notatio per sola verba initialia olim frequenter usurpabatur, postea *titulus* per verba initialia; nunc, ad maiorem commoditatem solet adiungi indicatio numeri tum *libri* tum *capituli*. Saepe etiam invenitur signum Decretalium, X., ante titulum, post caput, v. g.:

(Caput) (cap.) C. quia propter (notatio antiqua)
C. 42. de electione
C. 42. X. de electione I. 6.

Non est necessarium litteram X. inserere: eo ipso enim quod praeter titulum et caput nil aliud indicetur, statim apparet locum ex Decretalibus Gregorii IX. desumptum esse.

90. **De vi et valore iuridico Decretalium Gregorii IX.** — Tria puncta magni momenti sunt proponenda, ut quaestio de valore iuridico collectionis Gregorianae recte intelligatur. I. Haec collectio est *authentica* sensu *iuridico:* i. e. omnia documenta ibi contenta quoad partem suam *dispositivam* (qua scl. aliquid *decernitur*, non simpliciter refertur seu narratur aut disputatur), habent vim *legis universalis* pro Ecclesia. Quidquid sit de genuinitate eorum; sint necne auctoris vel temporis cui attribuuntur, sint etiam apocrypha aut spuria, assumuntur a R. Pontifice pro enuntiatione suae voluntatis, promulgantur ab ipso et auctoritate eius promulgationis fiunt lex ecclesiastica universalis, qua omnes fideles ligantur (1.)

II. Extensio tamen huius authenticitatis limitatur ad ea quae in forma primigenia collectionis habebantur, scl.: 1) ad ipsa capita; 2) ad titulorum inscriptiones (seu *rubricas*) quae, quando sensum completum praebent, praeceptivum aut prohibitivum, vim legis habent, unde axioma: « *a rubro ad nigrum valet argumentum* ». Sic v. g. rubrica tit. 9. lib. III.: *ne sede vacante aliquid innovetur,* auctoritative prohibet ne, mortuo Episcopo, aliquid fiat in praeiudicium iurium Sedis episcopalis. Si rubrica sensum completum non praebet, v. g. *de dolo et contumacia* (l. II. tit. 14.), meram indicationem de contentis in titulo praebet.

Summaria capitum vim legis non habent, nam posteriori tempore sunt addita; nec *partes decisae*, quas scl. S. Raymundus ut inutiles resecaverat, quae tamen serius, maioris claritatis gratia, in variis editionibus sunt insertae.

Inscriptiones historicae capitulorum, quae ceterum saepe falsae aut corruptae sunt, etsi a S. Raymundo positae, vim tamen legis non habent, nam formam praeceptivam aut prohi-

(1) Summopere praestat haec recte intelligere et probe retinere.

bitivam non habent (1) « attamen possunt existere subsidia interpretativa capitum » (LAURIN l. c. § 92.).

III. Insuper illa collectio est *exclusiva*, eo *saltem* sensu quod omnes decretales Rom. Pontificum, quae in *quinque compilationibus antiquis* continebantur et a Gregoriana exclusae manserunt, inter leges ecclesiasticas universales amplius numerandae non sint (2).

Inde tamen nil detrahebatur auctoritati sive canonum Conciliorum; — sive decretalium, quae in Decreto Gratiani continebantur; — sive consuetudinum particularium, quae tunc in Ecclesia legitime vigebant.

91. **De fatis collectionis Gregorianae.** — I. Collectio Gregoriana, post authenticam promulgationem, statim facta est Codex legum tum in scholis tum in iudiciis. Nec immerito magnis laudibus fuit cumulata, quia iuxta finem quem Gregorius sibi proposuerat, constitutiones et leges, compilationibus praecedentibus dispersas, ordinavit, breviavit, ad concordiam revocavit.

Non tamen omnis labis est expers sive ex parte perspicuitatis sive ex parte formae seu ordinis. Et 1°. quidem, propter ipsam methodum electam, colligendi nempe decretales aut alia documenta, quae saepissime ad casum specialem originarie spectabant, non semper satis constat quaenam verba legem constituant, quaenam ad expositionem historicam vel rationes allatas pertineant; immo non raro lex ipsa non satis clare enuntiatur.

(1) Cfr. tamen DE LUCA, *Prael. iur can.*, t. I. p. 124.; SANTI, *Prael. iur. can.*, l. I. tit. I. n. 14. qui post SCHMALZGRUEBER, Prooem. n. 303. aliquam authenticitatem iuridicam his inscriptionibus tribuunt, v. g. ad ordinem praecedentiae statuendum inter plures enumeratos: sic ex inscriptione c. 23. de appellationibus (l. II. tit. 28) « Patriarchae Gradensi et S. Vitalis Presbytero Cardinali » concludunt primum dignitate praestare alteri.

(2) Non tamen probatur, licet affirment plures, propter verba Const. « *Rex pacificus* », « ut hac *tantum* compilatione... utantur », leges universales quae forte tunc temporis vigebant, sed neque in Decreto Gratiani neque in compilationibus antiquis contentae erant, abrogatas censendas esse. Nam tandem haec verba non sunt tam rigide interpretanda. Cfr. WERNZ t, I. n. 242. not. 90.

2°. Quanquam ordo Decretalium praestet ordini ipsius iuris Romani et collectionum canonicarum anteriorum, sat multa adhuc incommoda et imperfectiones praebet (sic v. g. de irregularitatibus nullus existit titulus specialis).

II. Sicut Decretum Gratiani, ita Decretales Gregorii IX. mox *glossis, commentariis, casibus* illustrari coeperunt.

Glossa Bernardi De Botone (dicti Parmensis, † 1263.), paulum aucta ex commentariis Ioannis Andreae († 1348.), iam ante a. 1474. habita est ut *glossa ordinaria*, quae longe plurimis editionibus typis mandatis fuit inserta.

Inter commentatores eminet Henricus Segoviensis, seu a Segusia, generatim dictus Cardinalis Hostiensis.

Partes decisae a textu in multis editionibus additae sunt, separatae a textu, et merito quidem, nam nullum valorem legalem habent (apud Friedberg in textu, at typis italicis).

Summaria a glossatoribus capitibus addita sunt.

Correctiones sub Gregorio XIII. factae sunt in editione a. 1582. publicata.

C) Liber Sextus seu Decretales Bonifacii VIII

92. **De origine historica huius collectionis.** — Rom. Pontifices, Gregorii IX. successores, novis constitutionibus thesaurum legum ecclesiasticarum auxerunt; insuper saeculo XIII. duo Concilia oecumenica Lugduni celebrata sunt (a. 1245. et 1274.). Praeceperant quidem Pontifices ut decretales ipsorum, iuxta propriam materiam, suo loco insererentur compilationi Gregorii IX.; immo Innocentius IV. (1243.-1254.) indicem quemdam suarum decretalium Archidiacono Bononiensi miserat, prohibens ne aliae tanquam suae adhiberentur aut glossis ornarentur (1). Hae tamen praescriptiones Rom. Pontificum non videntur effectum sortitae, et variae collectiones confectae sunt. Bonifacius VIII. (1294.-

(1) Tardif, *Les sources du droit canon.*, p. 200; Scherer, *KR.* § 54. t. I. p. 251.

1303.), et ipse canonista, novam aliquam collectionem conficiendam curavit, quae tum ex eius decretalibus, tum ex collectionibus illis privatis coalesceret, additis nonnullis locis in Decretalibus Gregorii omissis.

Opus a pluribus canonistis confectum (1) per Bullam « *Sacrosanctae Romanae Ecclesiae* » (3. Mart. 1298.), ut Codex *authenticus* promulgatum est; quae Bulla ad Universitates Bononiensem et Parisiensem (forte etiam ad Tolosanam, Aurelianensem, Patavinam, Salmanticensem) directa est. Nomen ab ipso Bonifacio VIII. accepit « *Liber Sextus* ».

93. **De eius divisione et ratione allegandi.** — Eadem est divisio ac Decretalium Gregorii IX. nempe in *libros, titulos, capita.* Immo tituli easdem (vel fere) retinent *rubricas*, saepe tamen sub numeris diversis, quia plures tituli ex defectu materiae in Sexto non occurrunt.

Modus citandi est idem, cum addito « in Sexto » (in 6°, in VI.), v. g.:

Cap. Ubi periculum 3. de electione I. 6. in Sext. (est de electione R. Pontif., constituta disciplina Conclavis).

94. **De vi et valore iuridico libri Sexti.** — Constat ex ipsis verbis Const. « *Sacros. Rom. Eccl.* » hunc librum promulgatum esse tamquam *authenticam* (iuridice) collectionem, *universalis* vis, *exclusivi* valoris. Clare enim ibi exprimitur abrogatas esse non tantum omnes decretales his contrarias, etiam in Decret. Gregorii IX. contentas (quod ceterum evidens est); sed et decretales omnes Bonifacii antecessorum post Decr. Gregorii publicatas, in libro Sexto non insertas de verbo ad verbum ant *non reservatas* (scl. quae quamvis non transcriptae, declaratae sint suum valorem servare) (2). Si quae autem constitutiones Bonifacii VIII. ante a. 1298 pro-

(1) Hi fuerunt Gulielm. a Mandagotto, Embrodun. Archiep., Berengarius Fredoli, Episc. Biterensis, Richardus Petronius de Senis; legistae Dino de Rossonibus, seu Mugellano, attribuuntur Regulae Iuris 88. post quas opus explicit.

(2) Cfr. v. g. c. 1. de renuntiatione I. 7. in Sext., ubi declaratur suum valorem retinere constitutionem Coelestini V., qua statuerat R. Pontificem suam dignitatem libere abdicare posse. LAURIN l. c. § 119. et not. 2.

mulgatae in libro VI. insertae non fuerint, abrogatae non declarantur; at patet eas magnum momentum habere non posse.

De vi iuridica *rubricarum, summariorum, inscriptionum historicarum* eadem omnino dicenda sunt ac pro Decretalibus Gregorii IX.

95. **De fatis huius collectionis.** — Prodierunt etiam *casus, commentaria, glossae*, inter quas glossa IOANNIS ANDREAE quae *ordinaria* evasit.

In editionibus recentioribus (v. g. FRIEDBERG), adduntur aliquando in notis ipsae constitutiones a Bonifacio adhibitae; partes enim *decisae* vix suppleri possunt, quia saepissime ipse textus sat profunde mutatus et valde abbreviatus est, conclusionibus pluribus resectis. Ex quo factum est librum Sextum perfectius formam Codicis alicuius legalis attigisse, quibus multae controversiae dirimuntur.

D) Clementinae

96. **De origine huius collectionis.** — Eadem ratio quae Bonifacium VIII. ad novam collectionem adornandam impulerat, Clementem V. (1305.-1314.) movit ut ipse authentico quodam Codice tum proprias decretales, tum Concilii Viennensis (a. 1311.) decreta colligeret. Iuxta probabiliorem sententiam primam aliquam collectionem iam a. 1313. in Consistorio promulgatam *ipse* Clemens revocavit, emendavit, mutavit et auxit, itemque Universitatibus denuo mandare inceperat, cum morte praeoccupatus est. Cum de valore huius collectionis dubitatio orta esset, Ioannes XXII. (1316.-1334.) Constit. « *Quoniam multa* » 25. Oct. 1317. efficaciori modo eamdem publicavit, non novam quamdam plane immutatam et a se correctam, ut quidam putant (1).

97. **De eius nomine, divisione, modo allegandi.** — Ioannes XXII. eam « *librum Septimum* » nominaverat, ad

(1) Cf. FRIEDBERG Proleg. LVIII. sq.; SCHERER t. I. p. 253.; WERNZ t. I. n. 248., qui assertionem ipsius IOANNIS ANDREAE merito ratam habent.

imitationem collectionis Bonifacianae. At praevaluit auctoritas glossae et dicta est « *Constitutiones Clementis V.* » aut simpliciter « *Clementinae* ».

Divisio et modus allegandi idem est ac pro Decretalibus et libro Sexto; additur in fine citationis: Clement. aut in Clem.; v. g.:

Cap. Saepe contingit 2. V. S. V. 2. in Clem., i. e. capite 2°. de Verborum signif. l. V. tit. 2. in Clementinis.

98. **De vi et valore Clementinarum.** — Clementinae sunt *authenticae* iuridice et valoris *universalis*. At *non* habent vim *exclusivam:* unde omnes decretales post a. 1298. promulgatae suum valorem non amiserunt.

De *rubricis, summariis, inscriptionibus historicis*, eadem valent quae dicta sunt pro aliis collectionibus Decretalium.

Glossa *ordinaria* auctorem habet IOANNEM ANDREAE.

E) Extravagantes et Extravagantes communes

99. **De earum origine historica.** — Iam ab a. 1325. in appendice ad Clementinas apponi solebant 20. constitutiones Ioannis XXII., quae propterea *extravagantes* (scl. extra collectionem ipsam positae) dicebantur. Serius vero aliae constitutiones 70. (69.) inscribi coeptae sunt in codicibus manuscriptis aut editionibus typis mandatis; dicebantur et ipsae *extravagantes* cum addito *communes* seu *vulgatae* (sive quia *communiter* aut *vulgo* occurrebant in editionibus, sive quia ex variis Pontificibus [*communes*] originem habebant). CHAPPUIS, licentiatus in iure et corrector in typographia Parisiensi, ex his extravagantibus duplicem collectionem confecit: primam ex 20. constitutionibus Ioannis XXII., ordine quodam systematico digestam, cum 14. titulis sub iisdem rubricis ac in Decretalibus; tituli vero capita habent summariis distincta; alteram, in libros, titulos, capita, secundum Decretalium ordinem. Vacat quidem liber IV. ex defectu materiae, at retinuit ultimus liber numerum V. Utramque collectionem inseruit CHAPPUIS in editione 1500. eamque a. 1503. aliquibus decretalibus ditavit.

100. **De valore iuridico illarum collectionum.** — Ex ipso modo quo compilatae fuerunt, patet eas non habere authenticitatem iuridicam; sunt collectiones mere *privatae*. Nihilominus magnum discrimen inter illas et Decretum Gratiani intercedit: genuinae enim sunt constitutiones ibi contentae. Verum ergo valorem habent; at ex insertione in collectione nullam vim novam acceperunt nec factae sunt leges universales (1).

101. **Scholion.** *De loco quem occupant sex collectiones, quibus nomen Corpus iuris canonici datum est, inter fontes cognoscendi legum ecclesiasticarum.* — A tempore quo duae collectiones Extravagantium cum quatuor praecedentibus collectionibus (Decreto Gratiani et Decretalibus Gregorii, Bonifacii et Clementis) uniri coeptae sunt, et postquam nomen Corpus iuris canonici a privatis invectum, auctoritate Gregorii XIII. comprobatum, tandem nomen proprium harum collectionum complexive sumptarum factum est, nulla alia illis coniuncta est et clausum dici potest Corpus iuris canonici (2).

At nequaquam eo sensu est clausum quo Corpus iuris civilis (i. e. Romani) a quo dupliciter differt: 1) omnia in Corpore iuris civilis contenta habebant vim legis universalis pro Imperio Romano; 2) erat fons *unicus* cognoscendi leges vigentes tempore Iustiniani, ceteris omnibus tum Reipublicae tum Imperatorum legibus abrogatis. In Corpore iuris canonici nec omnia vim legis universalis habent, nec continentur omnes leges ecclesiasticae universales quae tunc

(1) Wernz t. I. n. 251. ostendit immerito asseri a De Angelis omnes Extravagantes esse constitutiones generales pro tota Ecclesia.

(2) Neque enim *Inslitutiones* quas I. P. Lancelottus († 1590.), ad imitationem Institutionum Iustiniani concinnaverat, neque *Liber Septimus* Petri Matthaei († 1621.), neque *Decretales Clementis VIII,* quae tamen ussu et auctoritate plurium Pontificum praeparatae fuerant (et aliquando *Liber Septimus* dicuntur), approbationem aliquam aut insertionem auctoritativam in Corpore iuris canonici obtinuerunt. De Decret. Clementis VIII. cfr. Schmalz. Prooem. n. 287. sq.; Wernz t. I. n. 266. 267,; Sentis, *Clementis PP. VIII. Decretales*, Prolegom. p. 8. sq.

vigebant quando clausum est. Insuper evidenter patet potestatem legislativam ecclesiasticam postea sese exercuisse novas leges condendo.

Unde tria sunt notanda: 1) *Authenticae* sensu iuridico non sunt nisi Decretales Gregorii IX., Bonifacii VIII. (liber Sextus) et Clementinae. Documenta in aliis tribus collectionibus contenta alium valorem non habent nisi eum quem vi originis obtinent: si *apocrypha*, nullum, nisi forte ob consuetudinem aut approbationem posteriorem; si *genuina*, *universalem* vel *particularem*, pro extensione et comprehensione a legislatore eis originarie attributa.

2) Praeterea valorem suum retinent quoad extensionem et comprehensionem originariam, etsi in Corpore iuris non inserta: *a*) canones Conciliorum; *b*) decretales omnes Rom. Pontificum post a. 1298. publicatae (1).

3) Leges, quae post clausum Corpus iuris canonici auctoritate Rom. Pontificum vel Conciliorum oecumenicorum prodierunt, ad fontes essendi pertinent; ad fontes autem cognoscendi monumenta quibus ad nos transmissae sunt. De his nunc aliquid est dicendum, distinguendo legislationem quae Concilium Tridentinum antecessit, ab ea quae a Tridentino aut post ipsum inducta est.

Articulus VI

De fontibus cognoscendi « Corpore iuris canonici » posterioribus

102. **De fontibus Concilio Tridentino anterioribus.** — Fontes ex quibus legislatio ante-tridentina hauriri potest sunt praesertim: Acta Conciliorum generalium; — Concordata; — Regulae Cancellariae Apostolicae.

(1) Probabiliter vim servant decretales ante a. 1234. promulgatae quae in compilationibus antiquis insertae non fuerant; in rigore iuris etiam valorem retinent decretales Bonifacii VIII. ante a. 1298. publicatae nec insertae in libro Sexto.

1) **Acta** disciplinaria *Concilii Constantiensis* (1414.-1418.) et *Conc. Basileensis* (postea *Florentini*) (1438.-1445.), in quantum fuerunt a Rom. Pontificibus approbata, nec non Acta Conc. Lateranensis V. (1512.-1517.) ad legislationem ecclesiasticam universalem pertinent: at non omnino liquet quaenam statuta horum Conciliorum sint vere legalia et omnes ligent; ceterum non sunt tanti momenti (1).

2) **Concordata** cum principibus Germaniae a Martino V. Constantiae (a. 1418.), et ab Eugenio IV. (1446.-47.) inita; cum Friderico III. a Nicolao V. a. 1448. Viennae in Austria; tandem cum Francisco I., rege Galliae, a Leone X. (a. 1516.) ad fontes iuris particularis pertinent (2).

3) **Regulae Cancellariae Apostolicae,** quae tempore Ioannis XXII. (1316.-1334.) ortae, sub aliis Pontificibus, praesertim Nicolao V. (1447.-1455.) non parum immutatae sunt, aliud non sunt nisi instructiones quaedam officialibus Cancellariae Ap. datae circa modum conficiendi Litteras Apost. At cum non *formam externam* tantum aut *stylum* concernant, sed etiam *internam* litterarum *materiam*, quatenus hae litterae secundum has regulas *intelligendae* sunt et *interpretandae*, hinc non immerito inter leges ecclesiasticas connumerantur (3).

Sunt triplicis generis: 1) *expeditivae* seu *directivae* praescribunt formam servandam in actis et negotiis per litteras expediendis;

2) *beneficiales* seu *reservatoriae* concernunt beneficia ecclesiastica, praesertim quoad illorum reservationem Rom. Pontifici;

3) *iudiciales* ad ordinem iudicialem observandum, praesertim in appellationibus, spectant.

Facile intelligitur quomodo illae regulae ad legislatio

(1) Prümmer, *Man. i. eccl.*, I. q. 50.

(2) Cfr. Nussi, *Conventiones*..... p. 15. sq. 20. seq.; Wernz t. I. n. 166. 257.

(3) Regularum Cancellariae optimum commentarium confecit Riganti Cfr. Wernz t. I. n. 252. et not. 123.

nem ecclesiasticam universalem pertineant: nam Rom. Pontifex ob supremam, universalem et simul immediatam iurisdictionem in omnes ecclesias, pastores, fideles, negotia, per Cancellariam cum toto orbe tractans, his regulis agenda circa negotia huiusmodi auctoritative determinat.

Regulae Cancellariae, etsi Romae tantum promulgatae, valorem tamen legis universalis certo habent. Hoc tamen singulare est quod vim obligatoriam non servent nisi ad vitam Rom. Pontificis; at a successore semper reassumuntur: immo, ex declaratione Urbani VIII., denuo ligare incipiunt a die quae sequitur assumptionem novi R. Pontificis, quin nova promulgatio requiratur.

Animadvertendum est his Regulis per varia Concordata non parum fuisse derogatum in variis regionibus, praesertim quoad reservationes.

103. II. **De fontibus iuris canonici a tempore Conc. Tridentini.** — Ius ecclesiasticum a Concilio Tridentino et deinceps constitutum vocari solet ius novissimum; melius diceretur ius novum (1). Comprehendit tum decreta Concilii Tridentini, quae dicuntur de reformatione, tum constitutiones Rom. Pontificum.

I. **Leges disciplinares Tridentinae** quibus efficaciter incepta est vera reformatio disciplinae ecclesiasticae per legitimam auctoritatem, maximi sunt momenti. Earum tamen collectio quaedam authentica, ab auctoritate Ecclesiae publicata et sancita, non existit; at continentur in collectionibus privatis, de quarum conformitate cum exemplari nullum habetur dubium.

Haec decreta confirmata sunt et promulgata a Pio IV. per Const. « *Benedictus Deus* » (26 Ian. 1564.) et vim obligatoriam sortiri debuerunt a die 1. Maii 1564.; quae promulgatio plane sufficiens fuit ut totam Ecclesiam ligarent (2).

(1) Cfr. supra n. 79.

(2) Aliqui auctores, vg. SCHMALZG. Diss. prooem. n. 360. promulgationem in provinciis minus recte requirunt; at decretum « *Tametsi* » de clandestinis matrimoniis debuit in singulis parochiis publicari. Cfr. WERNZ t. I. n. 260.

Si de *vi* et *valore* Decretorum Tridentinorum quaeratur, dici debet: 1) ius vigens in Ecclesia non sustulerunt, nisi in quantum ipsis contrarium fuisset; 2) adhuc vigent, nisi sublata fuerint per posteriores constitutiones Rom. Pontificum aut per legitimam consuetudinem: probabile est enim consuetudinem rationabilem ea tollere posse (1).

N. B. — In schematibus Concilii Vaticani plura decreta disciplinaria continentur: at propter interruptum Concilium approbari et publicari non potuerunt.

II. **Constitutiones Rom. Pontificum,** inde a tempore quo collectae sunt Extravagantes communes, in nulla authentica collectione continentur, nisi excipias Bullarium Benedicti XIV. quod aliquo sensu authenticum dici potest: nam auctoritate eiusdem Pontificis confectum est qui insuper Bullas ibidem contentas (saltem in primo volumine) genuinas declaravit; at nullo modo valorem documentorum immutavit, nec has Bullas leges universales Ecclesiae fecit (2).

Articulus VII

De collectionibus non authenticis

104. Quae huc usque dicta sunt de fontibus cognoscendi legum ecclesiasticarum, aut collectiones concernebant sive *authenticas* iuridice sive saltem aliqua Ecclesiae approbatione donatas, aut illa documenta quibus simpliciter Acta genuina aliquorum Conciliorum aut series Regularum quarumdam exhibebantur (supra n. 102.-103.).

At praeterea existunt *collectiones* aliae quae, licet non *authenticae* sensu *iuridico,* magnae tamen sunt utilitatis,

(1) Cfr. supra n. 48; Aichner, *Comp. iur. eccl.* 917.

(2) Nuperrime Smus D. N. Pius PP. X. declaravit omnia documenta inserta in 4. tomis suorum Actorum plenissime promulgata esse, perinde ac si in commentario officiali inserta verbo ad verbum fuissent. Acta Ap. Sed. t. V. p. 558.

dummodo ex eis exacte hauriantur leges ecclesiasticae. Sunt praesertim *Bullaria*, collectiones *Conciliorum*, collectiones *decretorum* SS. Romanarum *Congregationum*.

105. **Bullaria.** — Ut iam nomen indicat, *Bullaria* continent Bullas Rom. Pontificum, sed insuper alias etiam epistolas sub forma minus solemni prolatas. A medio saeculo XVI. institui coeptae sunt tales constitutionum pontificiarum collectiones (1).

Inter auctores huiusmodi collectionum, praesertim commemorandi sunt:

Laertius Cherubini, cuius *Bullarium Romanum novissimum* continuarunt Angelus-Maria Cherubini, eius filius, Angelus a Lantusca et alii; sub forma ampliori continet constitutiones Rom. Pontificum a S. Leone Magno ad Clementem XII. († 1740) inclusive;

Mainardi maiori adhuc cura *Bullarium Magnum* Romae confecit, quod constitutiones eorumdem Pontificum continet;

Cocquelines etiam *Bullarium Magnum* eorumdem Pontificum confecit; cuius tamquam continuatio haberi possunt: Bullarium Benedicti XIV. (1740.-1758.) et Bullarium cura Barbéri et Spetia confectum Romae (1835.-1857.), quo constitutiones Clementis XIII. et R. Pontificum usque ad Pium VIII. (1829.-1830.) exhibentur.

Magis completa maiorique cura critices confecta est *Bullarum, diplomatum et privilegiorum Rom. Pontif. Taurinensis editio* (a. 1857. sq.), acta usque ad Benedictum XIV. exclusive continens;

Bullarii Romani continuatio, Prati typis mandata, constitutiones sequentium Pontificum usque ad Pium VIII. continet.

Existunt praeterea collectiones Actorum Gregorii XVI., Pii IX., Leonis XIII., Pii X. usque ad a. 1909.

Valor documentorum in his collectionibus contentum

(1) Cfr. Ortolan, in *Dictionn. de Théol. cath.* v. *Bullaires* t. II. col. 1243. sq.

idem est ac extra: hinc aliqua constitutio non erit lex universalis nisi: 1) genuina sit; 2) ad totam Ecclesiam directa fuerit.

106. **Collectiones Conciliorum.** [1] — Post varia tentamina colligendi acta Conciliorum tum generalium tum particularium, aliquas collectiones sat amplas publicaverunt Surius Carthusiensis (a. 1567.); Binius, Canonicus Coloniensis, (cuius altera collectio, graeco-latina, prodiit Parisiis a. 1636. in 9. vol.). Successit amplissima *Collectio Regia* quae tomis 37. regia charta regiisque typis Parisiis a. 1644. prodiit; cuius novam editionem publicaverunt Labbe et Cossart (17. vol. a. 1671. sq.) sub titulo: « *Sacrosancta Concilia ad Regiam collectionem exacta* »; infeliciter auctores non ausi sunt ad manuscripta plene redire et textus servaverunt saepe minus accurate a Surio et Binio exhibitos. Alteram ampliorem editionem publicavit Coleti (23 vol.), cui accessit supplementum a Mansi adornatum (6. vol.).

Ipse Mansi († 1769.) curavit alteram editionem ingentem, omnium magis completam, at sane imperfectionibus et mendis non vacuam, nec sufficiente *critices* cura habita, quae insuper non attingit nisi ad a. 1439. Titulus operis est « *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio* ». (Florentiae-Venetiis a. 1759.-1798. 31 vol.). Continuationem inceperunt Martin et Petit sub titulo: « *Collectio Conciliorum recentioris Ecclesiae universae* » (Parisiis 1905. sq.).

Collectioni Mansianae eruditione et cura critices praestat opus Hardouin: « *Acta Conciliorum et epistolae decretales ac constit. SS. Pontificum ab a. Chr. 34. usque ad a. 1714.* », Paris, 1715.; at minori numero documentorum ditata est, insuper iam ab initio iniuste prorsus denigrata fuit.

Conciliorum *Constantiensis* et *Basileensis* (*Florentinae*) editio Viennae nunc conficitur.

Conciliorum particularium inde ab a. 1682 exhibet *Collectio Lacensis* (7. vol. Friburgi 1870. sq.) cuius ultimum volumen *Concilium Vaticanum* continet.

[1] Douiat, *Praenotionum canonic. libri V.* l. II. c. 20. Phillips, *KR.* t. III. § 156.

Exstant praeterea collectiones Conciliorum particularium variarum regionum: sic pro Anglia et Hibernia WILKINS; pro Gallia SIRMOND; pro Germania HARTZHEIM, BINTERIM; pro Hispania D. AGUIRRE.

107. **Collectiones decretorum SS. Rom. Congregationum.** — De valore illorum decretorum dicetur infra ubi de SS. Congregationibus. Collectiones quibus haec decreta exhibentur non sunt *proprio sensu authenticae*, nisi excipias Collectionem S. C. Indulgentiarum quae (Ratisbonae a. 1884) publicata sub titulo: « *Decreta authentica S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ab a. 1668. ad a. 1882 edita iussu et auctoritate S.mi D. N. Leonis PP. XIII* », decreta generalia exhibet, quibus haec S. Cong. causas particulares dirimere solebat. Alia collectio: « *Rescripta authentica S. C. Indulg. praepositae necnon summaria Indulg.* » (Ratisbonae, 1885), non eadem authenticitate gaudet.

Non stricte *authentica*, at *publico testimonio genuina* agnita est collectio cui titulus: « *Decreta authent. Congr. SS. Rituum* », Romae 1898. sq.; decreta scil. inde excepta reiici nequeunt ut spuria nec in scholis nec in iudiciis, at ex insertione in collectione non sunt facta leges universales Ecclesiae.

Existunt insuper aliae collectiones quae plus minusve auctoritate pontificia confici iussae sensu proprio authenticae non sunt:

1) « *Ius Pontificium de Propaganda Fide* » sub auctoritate Card. Praefecti S. Congr. de Prop. Fide, Leonis XIII. iussu confectum;

2) « *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii* » quae resolutiones iam ab a. 1739. a Secretario huius S. Congreg. ex officio publicari coeptae sunt; refert *Thesaurus* decisiones latas iam ab a. 1718 (immo ab a. 1700).

Mere *privatae collectiones* sunt: 1) « *Collectanea S. C. de Prop. Fide* », Parisiis a. 1880., denuo Romae a. 1893. (2 vol.) publicata; 2) collectiones resolutionum S. C. Concilii a ZAMBONI, PALLOTTINI, MUEHLBAUER confectae; 3) « *Causae selectae S. C. Concilii* » a LINGEN et REUSS collectae: hac vere utili

et exacta collectione causae referuntur quae per « *Summaria precum* », i. e. forma abbreviata et conclusiones tantum causae exhibente, in S. C. Conc. propositae sunt et solutae.

4) « *Collectanea ad usum Secretariae S. C. Episc. et Reg.* » a BIZZARRI confecta.

Aliarum SS. Congregationum decisionum collectiones generatim confectae non sunt, sive ob minus rerum momentum, sive ob secretum ordinarie servandum, praesertim ubi agitur de S. Officio, cuius tamen responsa doctrinalia plura, in materia fidei aut Sacramentorum, inveniuntur in Collectaneis S. C. de Prop. F.

Decisiones illae quaeri possunt in archivis SS. Congr. aut in variis ephemeridibus et periodicis, quae ad ius canonicum spectant (*Acta S. Sedis, Analecta iuris pontificii*, etc.). Nunc vero publicantur in *Actis Apost. Sedis* quae iam ab a. 1909. prodire coeperunt ut *Commentarium Officiale* S. Sedis ([1]). Acta ibidem inserta habentur ut sufficienter promulgata inde a publicatione commentarii eiusdem; at, ut patet, talis publicatio. licet authentica, extensionem et comprehensionem decreti vel decisionis non mutat.

108. **Conclusio.** — Ad finem huius tractatus de fontibus cognoscendi iuris ecclesiastici, tacere non debemus de opere laborioso at utilissimo, ad quod iam ab initio sacri sui pontificatus oculos convertit et manus admovit Sm̃us D. N. Pius PP. X., cum per Motum proprium « *Arduum sane* » 19. Mart. 1904. commissionem PP. Cardinalium instituit ad leges ecclesiasticas in unum redigendas; quod opus strenuo et constanter continuatum, brevi, ut speramus, absolvetur et in lucem prodibit Codex aliquis qui totam legislationem ecclesiasticam modo claro, conciso, ordinatissimo exhibebit.

([1]) Vi Const. « *Promulgandi* » 29. Sept. 1908.

TRACTATUS SECUNDUS

De Personis ecclesiasticis

Praenotandum

109. Postquam in Tractatu Primo de fontibus *existendi* et *cognoscendi* iuris ecclesiastici actum est, aliis verbis de legislatoribus (et lege ecclesiastica) et de instrumentis seu depositoriis legum quibus Ecclesia regitur, nunc ad ipsum obiectum scientiae iuris canonici accedendum est.

Pro divisione, iam in prooemio (n. 2.) indicata, primo loco de *personis ecclesiasticis*, deinde de *rebus*, tandem de *iudiciis* et *poenis* tractabitur.

Ad tractatum de personis ecclesiasticis pertinet duplex *hierarchia* ecclesiastica, *Ordinis* nempe et *iurisdictionis*, de quibus successive in I^{a} et II^{a} Parte huius Tractatus agemus. Addetur Pars III^{a} de Ordinibus religiosis, cum appendice de Tertiis Ordinibus, Confraternitatibus, etc.

Sed antequam ad Partem I^{am} (de hierarchia Ordinis) accedamus, non abs re erit notiones quasdam praemittere de diversitate membrorum in Ecclesia, seu de duplici statu *laicali* et *clericali*.

Prolegomenon
Notiones de diversitate membrorum in Ecclesia

110. **I. De membris Ecclesiae.** — Omnes homines ad ingrediendam Ecclesiam voluntate Dei sunt ordinati et vocati: habent proinde obligationem moralem eam ingrediendi. Plures tamen extra eam manent; hi Ecclesiae subiecti non sunt et in eos nullam iuridicam auctoritatem sibi vindicat (iuxta communissimam sententiam) (1). Omnes autem qui validum baptismum accipiunt, Ecclesiae subiecti fiunt, talesque manent, etiamsi membra mortua evadant ob amissionem gratiae, vel etiam membra Ecclesiae esse cessent ob haeresim, schisma, apostasiam.

II. Ecclesia est societas inaequalis. — Ecclesia non est societas *aequalium* (2), qui forte per deputationem vel electionem quosdam suorum sibi praeficere poterunt; est *iure divino* societas *hierarchica:* Christus enim suis Apostolis eorumque successoribus potestatem attribuit alios fideles regendi et sanctificandi. Quod ad duplex munus implendum, duplex etiam existit hierarchia, Ordinis ad sanctificandum, iurisdictionis ad regendum. Quae duae hierarchiae, ambae institutionis divinae (3), inter se diversae, multipliciter tamen sunt connexae (4). Et de iure Ecclesiae communi, iurisdictio ecclesiastica iis tantum concedi solet, qui aliquo gradu intra hierarchiam Ordinis sunt cooptati. Hi dicuntur *clerici;* qui vero extra hanc hierarchiam manent, *laici* nominantur.

111. **III. De statu laicali.** — Laici a voce λαός (populus) dicti sunt. Initio quidem hoc nomine universus christianorum

(1) Cfr. *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 162.

(2) Cfr. de erroribus circa Ecclesiam *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 45. sq.

(3) Trid. sess. 23. cap. 4. can. 7.; BEN. XIV., *De Syn. dioec.*, l. 13. c. 1. n. 2.; WERNZ, *Ius Decretalium*, t. II. n. 3. Dicimus institutionis divinae in genere, praescindendo interim a quaestione an gradus aliqui ab Ecclesia instituti fuerint.

(4) Cfr. infra n. 114.

coetus designabatur (1); sed inde a tempore Tertulliani reservatum fuisse videtur his qui ad statum clericalem non pertinebant, qui aliis etiam nominibus designantur (gens sancta, fidelis fraternitas, ἰδιῶται (privati) βιωτικοί).

Hodie nomine laicorum veniunt omnes baptizati, qui non sunt Ordinibus minoribus initiati aut saltem tonsurati: unde etiam religiosi (fratres praesertim conversi) omnesque moniales. Aliquando vox *clerus* ad hos omnes extenditur, qui quovis titulo divino servitio mancipantur; tunc religiosos et moniales comprehendit.

Status laicalis intelligitur tum haec categoria fidelium (scl. *laicorum*), qui nullum gradum in hierarchia Ordinis obtinent, tum complexus iurium et officiorum quae laicis competunt. Huius status elementum constitutivum est baptismi valida susceptio, simul connotando negationem receptionis cuiuslibet Ordinis.

Iura laicorum sunt: Sacramenta recipere; — cum Superioribus ecclesiasticis libere communicare; — instructionem religiosam accipere.

Vicissim obligatione adstringuntur praeceptis Ecclesiae obtemperandi eamque defendendi diversis mediis, pro temporum, regionum, morum varietate.

Status laicalis, quatenus charactere indelebili baptismi nititur, amitti nequit; etsi enim quis a corpore Ecclesiae separaretur, non totaliter cessaret eius dependentia erga illam (2).

112. **IV. De Statu clericali.** — *Clericus* is dicitur qui statui clericali sive hierarchiae ecclesiasticae Ordinis est adscriptus, i. e. qui saltem aliqua ratione intra hierarchiam ecclesiasticam constitutus est.

Status clericalis intellegitur vel *clerus*, i. e. clericorum categoria, vel iurium et obligationum complexus, quae his

(1) I. Petr. II. 9. 10. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus (λαός) acquisitionis... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei (οἳ ποτε οὐ λαός, νῦν δε λαὸς Θεοῦ).

(2) Cfr. *Quaestiones iur. eccl. publ.* p. 165, sq.

clericis competunt. Aliquis fit clericus per quamdam initiationem, i. e. per ritum, per caerimoniam sacram quae lato saltem sensu Ordinatio dicitur. Hic ritus vel mera caerimonia est (tonsura), vel sacramentale aliquod (Ordines minores et probabilius subdiaconatus) (1), vel verum Sacramentum (diaconatus, presbyteratus, consecratio episcopalis).

Praeter Ordinis potestatem variam pro variis Ordinibus, obtinet quilibet clericus iura quaedam (privilegia fori, canonis, etc.) et fit habilis ad ecclesiasticam iurisdictionem obtinendam. Obligationes vicissim sortitur sive communes (v. g. ad vitae honestatem pertinentes), sive speciales pro diverso Ordine accepto.

Amitti nequeunt Ordines qui Sacramento accipiuntur et characterem imprimunt; impediri potest tamen licitus illorum usus. Ordines autem qui characterem non imprimunt et qui probabilius sunt institutionis mere ecclesiasticae, theoretice auferri possunt, practice nunquam auferuntur. Privilegia vero ab Ecclesia vel omnibus vel variis clericis concessa tolli possunt et de facto in delictorum punitionem aliquando tolluntur.

(1) Wernz t. II. n. 20; cf. infra n. 115.

PARS I

De hierarchia Ordinis

113. **Connexio materiae.** — *Hierarchia* in genere intelligitur series ordinata personarum quae aliquam dignitatem aut superioritatem obtinent: hierarchia Ordinis in hoc consistit quod inter clericos varii existunt gradus; illa diversitas graduum in genere quidem est institutionis *divinae*, ipsa tamen Ecclesia gradus quosdam introduxit, unde hierarchia Ordinis simul est partim institutionis *humanae*. Idem dicendum est de hierarchia iurisdictionis ([1]).

Inter utramque hierarchiam discrimina quaedam existunt, at multiplex simul connexio et mutua dependentia habetur: quae discrimina et relationes utiliter hic indicabuntur. Deinde successive tractabitur in tot distinctis articulis de natura Ordinis, de eius materia et forma tum essentiali tum de praecepto; de ministro; de actu collativo; de subiecto.

Quae tamen puncta doctrinae ad Theologiam dogmaticam pertinent, utpote alibi probata, breviter tantum recolentur; ceterum, generatim loquendo, his rebus magis

([1]) Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. et can. 2. 6. 7.; DENZINGER.-BANNW. n. 960. 962. 966. sq.

insistemus quae cum iure canonico arctius connectuntur, et praesertim his *conditionibus* quae a iure requiruntur ad *liceitatem* Ordinationis ex parte ministri, actus collativi, subiecti. Ad quaestionem de subiecto S. Ordinationis pertinet tractatus de *irregularitatibus*, qui in distincto articulo proponetur.

Ultimo tandem loco quaedam addenda erunt de iuribus et obligationibus clericorum, at remissive tantum, cum aliqua aliis locis tractentur, alia Theologiae morali potius amandanda videantur.

Articulus I

De discrimine et connexione inter hierarchiam Ordinis et hierarchiam iurisdictionis

114. Differunt hierarchia Ordinis et hierarchia iurisdictionis: 1) ex parte *finis immediati:* Ordo est ad sanctificandum, hierarchia ad regendum fideles, et sic per utramque simul impletur munus Ecclesiae quae homines ad vitam aeternam ducit, eos sanctificans et regens; voluit enim Deus ut *gratia*, sine qua actus hominis nihil valent ad vitam aeternam, conferretur et augeretur ope Sacramentorum (et sacramentalium) et per exercitium cultus, maxime Eucharistici, quae omnia per homines peragenda sunt; gubernatio autem societatis inter homines constitutae per homines etiam exercenda est;

2) ex parte *subiectorum:* nam potest aliquis constitui in una hierarchia, non simul in altera, aut etiam gradu valde diverso. Sic Episcopus confirmatus at non consecratus gradu diverso ad utramque pertinet; laicus forte in Papam electus, statim ac consensit, ad summum gradum hierarchiae iurisdictionis evehitur et tamen extra hierarchiam Ordinis adhuc remanet;

3) ex parte *collationis:* cum Ordo per Ordinationem, nempe per aliquem ritum sacrum, conferatur; iurisdictio per missionem canonicam, i. e. per auctoritativum Superioris mandatum, concedatur;

4) ex parte *permanentiae:* nam Ordo est inamissibilis (modo superius dicto n. 112.), gradus vero in hierarchia obtentus amitti potest.

Existit tamen multiplex connexio et mutua dependentia inter utramque hierarchiam, seu, quod idem est, inter potestatem quae traditur hominibus in alterutra constitutis.

1) Ex iure communi, soli clerici iurisdictionem accipere possunt. Et iurisdictio *ordinaria* pastoralis cum cura animarum, utpote relationem habens ad Sacramentum Ordinis, laico tradi nequit; *delegata* quidem dari potest, at non solet.

2) Causa efficiens utriusque potestatis eadem est, scilicet Deus vel Christus. At in conferendo Sacramento, (quoad Ordines qui sunt iuris divini), Deus immediate concurrit, homo ut merum instrumentum se habet; dum in conferenda iurisdictione R. Pontifex potestatem, quam a Deo immediate accepit, alii transmittit, non ut merum instrumentum, sed ex auctoritate propria et ut vera causa secundaria.

3) Finis ultimus utriusque potestatis idem est: hominum nempe sanctificationem supernaturalem procurare eosque ad vitam aeternam ducere.

Unde tandem 4) maxime *convenit* ut pari gressu in utraque hierarchia aliquis procedat.

N. B. — Potestas magisterii. quae intellectui praecepta imponit quoad credenda, voluntati quoad facienda, nequaquam est ad potestatem Ordinis reducenda, quod Protestantismum sapit; sed insuper nulla est ratio cur contra antiquorum doctorum morem a potestate iurisdictionis separetur (1).

Etenim damnata est prop. 33. Syllabi quae sic legitur: « Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem, proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum

(1) WERNZ t. II. n. 3. not. 25.

doctrinam » (1). In Concilio Vaticano (sess. 4. c. 4.) assertum est: « Ipso autem Apostolico primatu (iurisdictionis)... supremam quoque magisterii potestatem comprehendi haec S. Sedes semper tenuit » (2). Quibus locis sat clare refertur magisterium ad iurisdictionem. — Confirmatur sententia ex eo quod utraque potestas iidem modis acquiritur (per missionem canonicam) et amittitur (per revocationem).

Articulus II

De natura Ordinum

115. **Notiones et divisiones.** — Hic brevissime recolimus quae fides catholica et doctrina communiter tradita nos docet, certa ab incertis et controversis discernentes.

Ordo sumitur nunc *active* pro ritu illo sacro quo confertur aliqua potestas spiritualis seu circa sacra, nunc *passive* pro potestate sic collata, pro gradu quodam in hierarchia Ordinis cui talis potestas adnectitur.

De fide definita in Concilio Tridentino habemus: 1) Ordinem esse vere et proprie dictum Sacramentum, quod contra Lutherum (3) definivit Tridentinum: « Si quis dixerit Ordinem sive Sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum... A. S. » (4);

2) esse in Ecclesia plures Ordines: « Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, A. S. » (5).

(1) Denzinger–Bannwart n. 1733.

(2) Ib. n. 1832.

(3) Calvinus et Melanchton concedunt Ordinem esse Sacramentum.

(4) Sess. 23. can. 3. Denzinger-Bannwart n. 963.

(5) Sess. 23. can. 2. ib. n. 962. At certe non definitur Ordines omnes, etiam minores, esse institutionis divinae: sufficit ut fuerint ab Ecclesia rite instituti vi auctoritatis a Christo acceptae.

Ordines sunt *maiores* seu *sacri* et *minores* seu *non sacri*; insuper dicuntur *hierarchici* aut *non hierarchici*, prout inveniuntur certe expressi in S. Scriptura (episcopatus, presbyteratus, diaconatus) vel non inveniuntur (saltem certe).

Aliquo sensu omnes Ordines sunt *sacri*, utpote ad fidelium sanctificationem ordinati; reservatur tamen nomen Ordinum sacrorum illis qui *propius* ad Sacrificium eucharisticum accedunt, propter quod *et* deputatio *stabilis perpetuaque* ad cultum inducta est, *et coelibatus* praescriptus. Ad Ordines sacros, praeter Ordines *hierarchicos*, pertinet nunc *subdiaconatus* (infra n. 117.).

Quinam inter Ordines sint *vere* et *proprie Sacramenta* non ita certe constat.

De fide vel *fidei proximum* est *sacerdotium* esse Sacramentum; sententia *communis* et *theologice certa* est *diaconatum* etiam esse Sacramentum, necnon *episcopatum*, praecisive sumptum a sacerdotio, (quod tamen quidam negant) (1). In his enim tribus habetur impositio manuum cum forma qua collatio gratiae exprimitur.

Multo probabilius alii Ordines, etiam *subdiaconatus*, de quo tamen maior est controversia, non sunt Sacramenta (2). Negari tamen nequit sententiam contrariam, quam S. Thomas tenebat, usque ad saec. XVI. communiorem mansisse (3).

116. **De tonsura et Ordinibus minoribus.** — Si nunc inquirimus in originem et potestatem singulorum Ordinum, clarius adhuc apparebit cur natura et dignitas Sacramenti tribus tantum Ordinibus superioribus vindicetur, qui sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

Tonsura, per quam quis a statu laicali ad statum clericalem transit, non est Ordo, sed mera praeparatio, introductio ad Ordines recipiendos. Gaudet tamen iam tonsu-

(1) Haec deducuntur ex can. 1.-4. 6. simul collatis sess. 23. Conc. Trid. DENZ.-BANN. n. 961. sq.

(2) WERNZ t. II. n. 18.; PESCH. t. VII. n. 585. sq.

(3) Eam adhuc tenent ut probabiliorem: BILLOT, *De Sacram.*, t. II. thes. 29.; BUCCERONI, *Instit. Theol. mor.*, t. II. n. 880.

ratus omnibus privilegiis quae clericis concessa sunt. Forte a corona monachorum (capillis totaliter aut fere rasis) originem habuit; invenitur saec. VI. ut obligatio susceptionem primi Ordinis concomitans, dein saec. VII. ut ab Ordinibus seiuncta, probabiliter quando pueri divino servitio offerri coeperunt.

Ostiarius aperit et claudit portas ecclesiae, monet fideles de tempore et hora conventuum.

Lector ex psalmis et lectionibus legebat, et populum rudimenta fidei docebat; olim insuper panem et fructus novos benedicebat, nunc potestas illa ab officio lectoris sublata videtur, non tantum ligata quoad exercitium.

Exorcista curam temporalem exercebat erga *energumenos* tum baptizatos tum Catechumenos, necnon ipsis manus imponebat ad daemones eiiciendos; nunc autem talem facultatem, absque Episcopi licentia, exercere non potest.

Acolythus, qui initio munus habebat deferendi S. Eucharistiam sacculo inclusam sive ad infirmos sive ad alios titulos seu ecclesias Urbis Romae, serius, dempta hac facultate, ad luminaria accendenda, vinum et aquam pro Sacrificio offerendam deputatus est.

Certe vigebant in Ecclesia Occidentali, saeculo IV. ineunte, quatuor illi Ordines, ut constat ex Cornelio Papa (1) et Cypriano (2). In Ecclesia Orientali multae fuerunt vicissitudines quoad numerum, officia etc. Nunc ordinarie Orientales duos tantum Ordines minores retinent, nempe lectoratum et subdiaconatum, in quo ultimo etiam ostiariatus et acolythatus continentur, non autem exorcistatus.

Iam ex diversitate et mutatione disciplinae ecclesiasticae circa Ordines minores argumentum non spernendum derivatur contra eorum originem *divinam* et proinde contra indolem Sacramenti ipsis tribuendam. Insuper per illos munera parvi momenti conferuntur. Tandem nil in forma ipso-

(1) Epist. ad Fabium Antiochen. n. 11. apud KIRCH, *Enchir.*, n. 223.
(2) Passim in epist. v. g. 38. 39. Cf. MANY, *De S. Ordin.* n. 9.

rum collationem gratiae significat. Quibus argumentis innixa sententia negans fere communis facta est.

117. **De subdiaconatu.** — Olim munera subdiaconi fuerunt: vasa sacra praeparare, ad ostium ecclesiae stare tempore Sacrificii, Episcoporum epistulas deferre. Nunc ipsi cura vasorum incumbit; in Missa solemni diacono inservit et cantat epistolam.

Origo illius Ordinis ad finem saec. II. vel initium III. referenda est, cum epistolae S. Cornelii et S. Cypriani (1), subdiaconos commemorantes, institutum non recens indicare videantur. Paulatim tantum evectus est ad dignitatem et praerogativas Ordinis sacri. Nam cum iam inde a saec. V. vel VI. praescriptus fuerit subdiaconis coelibatus, non nisi circa finem saec. XI. subdiaconatus habitus est ut Ordo sacer (2), immo adhuc lato sensu; at stricto sensu saltem sub Innocentio III. (3). Paulatim enim subdiaconi, propius ad servitium altaris accedentes, modo magis absoluto et definitivo statui clericali et cultui divino addicti sunt. Consequenter etiam potuerunt in Episcopos eligi.

118. **De diaconatu.** — Officia diaconi sunt ministrare ad altare, baptizare, praedicare. Olim S. Eucharistiam distribuebat, postea solum pretiosum sanguinem.

Theologice certum est diaconatum esse ex divina ordinatione institutum et verum Sacramentum. Unde dicendum est septem primos diaconos ab Apostolis quidem fuisse constitutos, at ipsum diaconatum ab Apostolis non propria auctoritate sed ex mandato et institutione Christi constitutum fuisse.

Insuper collatio fit per manuum impositionem et orationem quae collationem gratiae significat.

119. **De presbyteratu.** — Dat potestatem in corpus Christi verum per S. Eucharistiae confectionem, et in corpus eius mysticum, i. e. in fideles, per administrationem quo-

(1) Cf. apud MANY, *De S. Ordin.* n. 8.
(2) Can. 11. D. 32. qui est Alexandri II. (1061.-1073.).
(3) Cap. 9. X. de aetate... praeficiendorum. I. 14. (Innoc. III. a. 1207.).

rumdam Sacramentorum et sacramentalium, ex potestate ipsis sive jure divino sive ab Ecclesia (modo constanti) facta.

Originem divinam et indolem veri Sacramenti inesse sacerdotio est *de fide.*

120. **Episcopatus** dat potestatem quoad quaedam Sacramenta (Confirmationem, Ordinem), et ex deputatione Ecclesiae quoad quaedam sacramentalia (benedictiones, consecrationes).

Ex dictis supra (n. 115.) episcopatus, praecisive a sacerdotio sumptus, est verum Sacramentum. Etenim in consecratione episcopali, sicut in diaconali et presbyterali Ordinatione, habetur manuum impositio cum forma quae collationem gratiae exprimit.

Nihilominus, ex sententia multo communiori, requirit episcopatus ut fundamentum necessarium Ordinem presbyteratus, ita ut collatio facta non-sacerdoti invalida sit (1). Manet tamen res libere controversa iuxta Benedictum XIV. (Epist. « *In postremo* » 20. Oct. 1756. n. 11. sq. n. 17.), sicut manet liberae controversiae subiecta quaestio, utrum character collatus sit diversus a charactere Ordinis sacerdotalis vel potius eiusdem ampliatio et extensio.

Sacerdotium autem certo valide confertur illi qui diaconus non esset; illi postea diaconatus conferendus est ex Ecclesiae praescripto, at Ordinatio sacerdotalis non reiteratur (2).

(1) Cf. Wernz t. II. n. 23. t. VI. n. 441. At Gasparri, *De S. Ordin.* n. 23. sq. sententiam contrariam probabilem dicit; Many, *De S. Ordin.*, n. 5. eam simpliciter praefert alteri; at argumenta allata rem non evincunt.

(2) Cap. Tuae litterae 1. X. de clerico per saltum promoto V. 29. Cf. Many n. 105.; Gasparri n. 496.

Articulus III

De materia et forma S. Ordinationis

121. **Praenotanda.** — Ex principiis, quae traduntur in tractatu de Sacramentis in genere, extra casum necessitatis, adhibendae sunt materia et forma moraliter certae. Ratio est quia reverentia Sacramento debita et saepissime ipsa subiecti necessitas exigit ut removeatur, quantum fieri potest, invaliditatis periculum: nullitas vero non pendet a bona malave ministri intentione vel a culpa quam committit adhibendo hanc aut illam materiam, at omnino pendet a materiae et formae recta adhibitione, qua deficiente, deficit Sacramentum.

Tantam autem curam pro Ordinibus minoribus adhibere non erit necessarium; tum quia sunt (moraliter certo) institutionis ecclesiasticae, unde Ecclesia defectibus supplere potest, et per eos non gratia confertur, sed potius officium committitur; tum quia certo ad validitatem Ordinum maiorum necessarii non sunt.

E contra pro Ordinibus maioribus, praesertim pro diaconatu et supra, tutior via est eligenda, sive ob reverentiam vero et proprio Sacramento debitam, sive quia validitas Ordinis superioris ex validitate Ordinis praecedentis aliquando pendet. Sic ex dictis (n. praec.) ad validitatem episcopatus, iuxta sententiam multo communiorem, requiritur presbyteratus valide susceptus; ad presbyteratum vero non videtur requiri de necessitate ullus ex Ordinibus inferioribus (1).

122. **De singulorum Ordinum materia et forma.** — Materia *Ordinum minorum* est traditio instrumentorum cuique propriorum: *ostiario*, clavium ecclesiae; *lectori*, libri lectionum (Missalis, Breviarii, S. Scripturae); *exorcistae*, libri

(1) Cap. Tuae litterae 1. X. de clerico per saltum promoto. V. 29.

exorcismorum (Ritualis, Pontificalis, Missalis); *acolytho,* candelabri cum cereo extincto et urceoli vacui. Forma sunt verba quae profert Episcopus, dum haec tradit instrumenta, quibus verbis exprimitur relativa ordinatorum potestas.

Materia *subdiaconatus* est traditio: 1) calicis consecrati vacui cum patena consecrata vacua; 2) libri epistolarum. Forma continetur in verbis adhibitis, dum Ordinandus manu dextra instrumenta tangit. Disputatur: 1) utrum traditio libri epistolarum sit pars essentialis an tantum integralis materiae; 2) utrum ad validitatem adhibendus sit calix consecratus (1). Pro *diaconatu*, materia essentialis probabilius est sola impositio manuum Episcopi, non autem traditio libri Evangeliorum, quae tamen in Ecclesia Latina est saltem de necessitate praecepti. Item probabilius forma solis verbis continetur: « Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini ».

Presbyteratus materia essentialis verius est sola manuum impositio Episcopi super singulorum caput, quam postea cum adstantibus presbyteris quodammodo continuat, extensa manu versus Ordinandos: similiter forma essentialis constat oratione; « Exaudi nos... », cum praefatione quam postea recitat Episcopus (2); at in Ecclesia Latina, saltem ex necessitate praecepti, requiritur traditio instrumentorum, scilicet calicis cum vino et patenae cum hostia, et forma correspondens huic traditioni. Tertia manuum impositio cum verbis: « Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata... », iuxta omnes non est pars essentialis.

Tandem *episcopatus* materia et forma essentialis, iuxta veriorem sententiam, est impositio manuum ab Episcopo consecratore, cum verbis: « Accipe Spiritum Sanctum... » et praefatione sequenti (3).

Alii ritus: impositio libri Evangeliorum super cervicem et scapulas, ante impositionem manuum, et post ipsam unctio

(1) Many l. c. n. 284.
(2) Gasparri t. II. n. 1079. putat solam praefationem esse formam.
(3) Gasparri l. c. n. 1109.

manuum, traditio libri Evangeliorum, nullo modo de essentia videntur.

Si autem quaeratur utrum requiratur contactus physicus tum Episcopi in *impositione manuum*, tum Ordinandi in instrumentorum traditione, etsi theorice potius sit negandum, practice tamen propter controversias exigendus erit, ut securior via eligatur; at contactus mediatus in utroque casu sufficit (1).

123. **De supplendis defectibus in Ordinatione commissis.** — Practice, quando ritus *certe essentialis* fuit *certe* omissus, Ordinatio est *absolute* repetenda; si ritus essentialis *probabiliter* omissus vel ritus *probabiliter essentialis certo* omissus fuit, sub conditione iteranda est; si ritus sit *certe accidentalis*, non est iteranda; ritus vero ipse omissus, si est magni momenti (v. g. unctio manuum pro presbyteratu aut episcopatu) supplendus est.

Cum scopum non habeamus quaestiones omnes practicas solvendi, quae circa valorem et iterationem Ordinationum exsurgere possunt, qui earum solutionem quaerunt, adeant oportet sive auctores Theologiae moralis (2), sive canonistas qui tractatus speciales de S. Ordinatione composuerunt (3).

Articulus IV

De ministro S. Ordinationis

124. **Praenotanda.** — Iam in articulis praecedentibus doctrina de natura Ordinum exposita est; et postquam probatum fuit aliquot saltem Ordines esse vere et proprie dicta

(1) Decreta S. Off. 19. Aug. 1851.; 22. Ian. 1895. in Collect. S. C. de Prop. F. t. I. n. 1066. t. II. n. 1723.

(2) Bucceroni t. II. n. 881. sq.; Noldin, *De Sacram.* n. 469. sq.; Lehmkuhl t. II. n. 733. sq., etc.

(3) Gasparri, *De S. Ordin.* t. II. c. 5.; Many, ib. tit. II. praes. c. 4., etc.

Sacramenta, alios vero multo probabilius mera sacramentalia ab Ecclesia instituta, quae tamen in ipsis instituendis formam Sacramentorum imitata est, inquirendum nobis fuit de materia et forma Ordinum. Nunc accedimus ad quaestionem ministri Ordinum. Et duplex proponenda est quaestio: quis *valide*, quis etiam *licite* Ordines conferre possit. Minister, qui *valide* confert, dicitur minister *capax;* qui insuper *licite*, minister *legitimus* nuncupatur. Praeterea minister tum validae tum licitae Ordinationis potest esse *ordinarius* aut *extraordinarius*.

A) De ministro validae Ordinationis

125. Dicitur minister *ordinarius* validae Ordinationis is qui, vi solius Ordinis quem habet, valide Ordines confert; *extraordinarius*, is qui indiget deputatione S. Sedis, qua accedente, vi iuris communis vel specialis delegationis, ad aliquos Ordines conferendos completam capacitatem acquirit (1).

126. Minister *ordinarius* validae Ordinationis est *omnis* et *solus Episcopus* consecratus. « Hodie est unanimis omnium Theologorum sententia » (2) quod *omnis* Episcopus valide ordinat, dummodo ritum Ordinationis substantialem servet habeatque intentionem id faciendi quod facit Ecclesia. Acquiritur enim ordinandi potestas, simul cum indelebili charactere Ordinis episcopalis, proindeque amitti non potest (3). Quod sit *solus*, habetur ex conc. Florentino (Decr.

(1) WERNZ t. II. n. 26.

(2) GASPARRI, *De S. Ordin.*, n. 774.

(3) De quaestione reordinationum consuli potest GASPARRI loc. cit. n. 778. sq. et praesertim SALTET, cuius eruditum opus *Les réordinations*, hanc conclusionem praebet: nunquam reiteratas fuisse Ordinationes quae certo validae habitae sunt, bene vero eas quae nullae putabantur utpote ab haereticis collatae: existimarunt enim Theologi plures (immo nonnulli adhuc post Tridentinum) Ecclesiam posse *ligare*, quoad ipsam *validitatem*, *exercitium* potestatis ordinandi: quidam etiam putaverunt *haereticos ipso facto* talem potestatem amittere.

De validitate Ordinationum apud Graecos nulla est ratio dubitandi

pro Armenis) et ex Tridentino: « Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem... A. S. (ses. 23. can. 7.) ».

127. Minister *extraordinarius* quoad collationem *tonsurae et Ordinum minorum* est: 1° simplex sacerdos ex commissione R. Pontificis; 2° Abbas Regularis post acceptam ab Episcopo benedictionem (1), quoad suos subditos Regulares eosque tantum; immo intra annum post electionem non indigent iam benedictionem accepisse.

Subdiaconatum etiam sacerdos conferre potest, ut asserendum videtur ex privilegiis multis ante Tridentinum concessis et ex communi sententia (cf. WERNZ n. 27. II. c.).

Utrum sacerdos simplex ex delegatione R. Pontificis *diaconatum* conferre possit, valde dubitatur: nec testimonium certum habetur de tali potestate unquam sacerdoti facta (2). Certe *ad ipsam validitatem* requireretur commissio R. Pontificis, sicut pro Confirmationis collatione, cuius delegatio, ex Christi voluntate, potestatem *compleret* quae *inchoative* et *radicaliter* in ipso Ordine presbyterali contineretur. (Cf. GASPARRI l. c. n. 799).

---

cum habeant successionem Apostolicam, ritus essentiales, intentionem id faciendi quod facit Ecclesia.

E contra de nullitate Ordinationum anglicanarum amplius ambigendum non est, post Const. « *Apostolicae curae* » Leonis XIII. 13. Sept. 1896., qnae definitio *ex cathedra* certe dicenda est. Iam valde dubia apparebat validitas illarum Ordinationum, eo quod de facto consecrationis Barlow merito dubitatur, qui Barlow ipsum Parker consecravit, ex quo tota hierarchia anglica suam originem derivat. At *dubium hoc* argumentum sufficiens non praebuisset ad sententiam *definitivam* ferendam. Ratio decisiva ea fuit, quod *certo* apparuit formam essentialem et intentionem id faciendi quod facit Ecclesia, in collatione Ordinum apud Anglicanos prorsus defuisse.

(1) Aliqui Abbates ex speciali privilegio eam petere non tenentur; aliis sufficit eam ter petiisse, etsi non obtinuerint.

(2) Praecipuum, immo *unicum* factum allatum est Bulla quaedam, quae a. 1489. PP. Cisterciensibus concessa esset, vi cuius Abbas Generalis subditis suis diaconatum conferre posset. At de tenore, immo de existentia Bullae valde dubitatur. Cfr. WERNZ t. II. n. 27. not. 29.

De potestate ordinandi *sacerdotem*, simplici presbytero facta, nullum exemplum afferri potest et contraria est universa traditio. (cf. MANY l. c. n. 59.).

B) De ministro licitae Ordinationis [1]

128. **Notiones.** — I. Quinam sint ministri *ordinarii* et *extraordinarii* licitae Ordinationis, sequentibus verbis exprimi potest: « Qui vi *officii* ex proprio iure et titulo iuris communis, *competentes* sunt *ad licitam Ordinationem*, *ordinarii* vel *proprii* ministri Ordinationis vocantur; qui vero *tantum* competentes fiunt ad validam Ordinationem *ex speciali delegatione* vel *privilegio R. Pontificis* vel *commissione Episcopi proprii* ii pariter ministri *extraordinarii* vel *delegati* dici possunt ». (WERNZ n. 28.)

II. *Causa, factum, actus*, ob quem quis fit subiectus alicui Episcopo relate ad Ordinationem, dicitur *titulus* relate ad Ordinationem, sicut *titulus iurisdictionis* intelligitur causa, factum, actus quo quis iurisdictionem in certas personas obtinet, *titulus proprietatis*, actus vel factum quo quis rei dominium acquirit.

Hic consideratur titulus ex parte *ministri*, quatenus est origo vel ratio potestatis, quae ipsi in talem personam competit per respectum ad Ordines conferendos.

129. **Notae historicae.** — Primis saeculis, Episcopus videtur fuisse competens ratione *baptismi collati*, *domicilii*, immo *Ordinis inferioris collati*. Saeculo XIII. exeunte res accuratius determinari coepit. Clemens IV. admisit titulos *originis* et *beneficii* [2], quibus Bonifacius VIII. titulum *domicilii* addidit [3]. Titulus *familiaritatis*, iam antiqua consuetudine passim receptus, admissus est a Tridentino (ses. 23. c. 9. de ref.) et ab Innocentio XII. (Const. « *Speculatores* » 4. Nov. 1694.).

[1] WERNZ t. II. n. 28.; GASPARRI l. c. n. 801. sq.; MANY l. c. n. 27. sq.
[2] Cap. 1. De temp. ordin. et qualit. ordin. in VI. (I. 9).
[3] Cap. 3. h. t. in VI.

Hodierna disciplina, ut in Tridentino effertur, haec est: « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur », additis poenis contra illicite ordinantes et ordinatos. *Proprius* Episcopus magis stricte dicitur Episcopus loci *originis* vel *domicilii*, latius Episcopus ratione *beneficii* vel *incardinatis*. Addi debet nunc Episcopus dioecesis cui aliquis *incardinatus* fuit.

130. **Titulus originis.** — Aliquis est subiectus Episcopi in cuius dioecesi natus est *modo normali*, non *ex fortuito casu* (ratione itineris, mercaturae a patre exercitae). Modo normali ibi natus est aliquis, ubi pater domicilium vel stabilem residentiam obtinebat (GASPARRI l. c. n. 812. sq.). Quod si alibi casu fortuito natus fuerit, dioecesis originis ea est ubi tunc pater domicilium aut stabilem residentiam habebat; qua conditione deficiente, dioecesis nativitatis patris. Pro *illegitimo*, ad matris domicilium, residentiam vel dioecesim nativitatis attenditur. *Expositus* vel *derelictus* praesumitur natus ubi inventus est (GASPARRI n. 824. sq.). Haec quidem generatim dicta sint, relictis variis complexioribus casibus, de quibus conferri possunt citati auctores.

131. **Titulus domicilii.** — Domicilium duo importat: 1) actualem commorationem in aliquo loco; 1) intentionem ibi manendi in perpetuum. Sed ad *titulum* domicilii aliquid amplius requiritur, nempe domicilium *qualificatum*, quod duplicem supra indicatam conditionem firmat: commoratio quidem adeo stabilis sit oportet ut decennali habitatione in loco manifestetur vel maioris partis bonorum translatione, addita notabili mora (triennii nempe) in loco; intentio manendi in perpetuum per iuramentum confirmatur. Pro his qui in minori aetate sunt constituti et nondum habent domicilium proprium, attenditur ad domicilium patris *qualificatum*, addito etiam iuramento (1).

132. **Titulus beneficii.** — Ordinandus debet in dioecesi beneficium pacifice possidere, ad eius honestam sustentationem sufficiens, at non necessario inamovibile.

(1) WERNZ n. 28. not. 44.; MANY n. 36.; contra GASPARRI n. 833. qui necessitatem iuramenti minus certam dicit.

133 **Titulus familiaritatis.** — *Familiaris* Episcopi ille est quem in suo famulatu et servitio per triennium suis expensis aluit. Hunc ordinare potest, dummodo ei statim (i. e. intra mensem ab Ordinum collatione) beneficium conferat ad eius congruam sustentationem sufficiens (Trid. ses. 23. c. 9 de ref.), non necessario inamovibile. (MANY n. 40.).

134. **Titulus incardinationis.** — Ad vitandas fraudes et abusus qui aliquando committebantur, quando clericus in dioecesim a sua diversam admittebatur, S. Congr. Concilii, die 20. Iulii 1898. (1), decretum tulit quo negotium illud incardinationis accuratius determinatum est. Nequit aliquis novae dioecesi *incardinari* seu cooptari, nisi prius *excardinatus fuerit* e propria dioecesi *absolute* et in *perpetuum*, et quidem non nisi ob iustas causas, proprio Episcopo probatas. Hac excardinatione data, ut alter Episcopus clericum suae dioecesi incardinare possit, debet ipsi constare: 1) de eius absoluta excardinatione ab alia dioecesi; 2) de eius natalibus, vita, moribus, studiis, per opportuna testimonia ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus fuerit, praestita. Tunc 3) praestat clericus iuramentum « *ad instar* », i. e. quale exigitur pro titulo domicilii, quod nempe perpetuo in dioecesi degere intendat. Fiet tandem in scriptis incardinatio et quidem absolute et in perpetuum; poteritque demum Episcopus clericum ordinare sine alia conditione, v. g. beneficii conferendi.

De incardinatione laicorum prodiit decretum S. C. C. (24. Nov. 1906.) (2). Si laicus ordinari vult ab Episcopo non proprio eiusque dioecesis clero adnumerari, requiritur et sufficit ut ab Episcopo originis litteras dimissoriales obtineat, quas ille ob *iustas* tantum *causas* et pro *determinata* dioecesi concedere poterit. Ante susceptam tonsuram, iurabit se *perpetuo* in nova dioecesi mansurum et servitium

(1) Acta Apost. Sedis, t. II. p. 103.; MANY, *De S. Ordin.* n. 67.; WERNZ n. 28. III. e.

(2) Acta S. Sedis t. 39. p. 600. sq. Cfr. PRÜMMER, *Manuale iuris eccles.* t. I. q. 59.; OIETTI, *Synopsis*, v. *Laici.*

praestiturum. Hoc iuramentum praestare et proinde tonsuram accipere ante maiorem aetatem prohibetur.

135. **Scholion.** — Si Episcopus proprius, iura quidem in suum subditum retinens, permittit ut ab alio Episcopo ordinetur, ei *litteras dimissoriales* dat (1). Quae confundendae non sunt cum litteris *excardinationis* quae etiam dicuntur *dimissoriales* quibus Episcopus, iuribus suis in subditum renuntians, eum a suo clero perpetuo dimittit.

136. Litterae *testimoniales* dantur in testimonium de Ordinandi natalibus, aetate, moribus, immunitate a quovis impedimento canonico. Petendae sunt generatim ab Episcopo qui iam tonsuram aut alium Ordinem concessit et fere semper ab Episcopo *originis* et *domicilii*, insuper ab omni Episcopo in cuius dioecesi aliquis tantum tempus, saltem post pubertatem, permansit, ut ibi impedimentum canonicum contrahere potuerit (i. e. sex menses, immo tres tantum, si militiam agebat).

Statuuntur a Conc. Tridentino et a Const. « *Apostolicae Sedis* » variae poenae contra Episcopos violantes praescriptiones de litteris testimonialibus aut dimissorialibus.

Indulta aliquando dantur Episcopis, ut litteris testimonialibus insufficientibus suppleant, iuramentum ab Ordinando exigendo, si is per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel valde difficile sit omnes litteras a iure requisitas obtinere. (Cfr. Wernz t. II. n. 29.; Many n. 128.).

137. **De Ordinatione Religiosorum.** — Ius circa Religiosos ordinandos est sequens:

Novitii probabilius omnino pendent ab Episcopo *proprio*. Alumni Institutorum votorum simplicium, praeter speciale Indultum, pendent ab Episcopo *loci sui conventus*, qui eos ordinat vel ipsis dat litteras *dimissoriales*.

(1) Episcopus proprius intelligitur qui ex uno ex quinque titulis enuntiatis saltem aliquam iurisdictionem exercere potest in Ordinandum. Vicarius generalis has litteras sive speciali mandato Episcopi dare nequit; Vicarius capitularis, non nisi post unum annum a vacatione Sedis episcopalis, praeterquam his qui ob beneficium acceptum aut accipiendum citius ordinandi sunt. Praelati « Nullius » eas suis subditis non dant, at Episcopus vicinior.

Regulares, nisi habeant speciale privilegium ut possint « *a quocumque* » Episcopo ordinari, debent ab Episcopo loci, ubi situm est monasterium suae residentiae, ordinari, at cum litteris dimissorialibus sui Superioris, qui eas dare debet huic Episcopo, nisi sit absens aut impeditus (1).

At Regulares et etiam Religiosi votorum simplicium, saltem quando ipsi suis subditis litteras dimissoriales dare possunt, non tenentur de litteris testimonialibus pro eis obtinendis (2), nisi post servitium militare (3).

138. **Scholion.** — I. **De iure variandi.** — Licita est variatio, dummodo sine fraude fiat. Aliis verbis non prohibetur qui tonsuram vel aliquem Ordinem ab uno ex Episcopis propriis accepit, alium Ordinem ab alio accipere. Vitanda tamen est fraus, i. e. tum detrimentum iuris Episcopi qui exigere potest ut quis in servitio dioecesis maneat, v. g. quia gratuito in Seminario fuit educatus, aut quia titulo missionis ordinatus est; tum legis canonicae violatio, ut si quis ab uno reiectus, v. g. ob irregularitatem, ad alium, defectu dissimulato, recurrat.

139. II. **De incorporatione in clero alicuius dioecesis.** — Qui accipit Ordines ab uno ex Episcopis propriis, in eius clerum transit, nisi hoc fiat cum litteris dimissorialibus Episcopi alterius, quae litterae praecise ostenderent ipsum velle clericum in sua dioecesi retinere. At qui sacerdotio initiatur, definitive incorporatur clero Episcopi proprii, qui ipsum ordinavit aut ipsi litteras dimissoriales dedit. Item qui ante sacerdotium beneficium *residentiale* accepit, vel qui alteri dioecesi incardinatus fuit, dioecesi beneficii vel incardinationis definitive incorporatur. De his cf. MANY n. 42.

(1) Clemens VIII. Decr. 15. Mart. 1596.; Benedictus XIV. Const. « *Impositi nobis* » 27. Febr. 1747.

(2) WERNZ l. c. n. 29.; MANY l. c. n. 171. 187.

(3) Instr. 27. nov. 1892. pro Italia data, quae extra Italiam non habet nisi vim directivam. Ita WERNZ et MANY ll. cc.

Articulus V

De ipsa collatione et susceptione Ordinum

140. Quaestioni de *ministro* S. Ordinationis tum *capaci* tum *legitimo* apte coniungitur quaestio de ipsa *collatione* quae a ministro fit. Talis ordo *practice* praeferendus videtur alteri quo statim de subiecto Ordinationis tractaretur, ne scilicet per longum tractatum de *irregularitatibus*, necessario connectendum cum quaestione de subiecto, series rerum nimium interrumpatur. Ceterum brevis expositio, quam hic ponemus, instar corollarii quaestionis de ministro haberi potest. His enim relictis quae ad remotam *praeparationem* ordinandorum in seminariis pertinent (1), de proxima *praeparatione* principaliora tradere contenti erimus: dein exponemus ea quae circa locum, tempus, interstitia inter Ordines observanda, maioris momenti videntur.

A) De praeparatione proxima ad susceptionem Ordinum

141. Quaedam potius *Episcopum*, alia magis directe *Ordinandum* respiciunt. Ad Episcopum pertinet illas inquisitiones procurare quae *scrutinia* dicuntur et quorum scopus est detegere utrum candidati nullo impedimento detineantur, ob quae Ordinatio illicite conferretur. Ordinandis incumbunt *exercitia spiritualia* peragenda, *ieiunium* observandum.

142. **De scrutiniis ante Ordinationem peragendis.** — Triplex est scrutinium: *primum*, simile publicationibus matrimonialibus, fit in parochia illius qui promovendus est ad unum ex sacris Ordinibus (2), et alibi, si Episcopo videtur;

(1) De seminariis cfr. Wernz t. III. n. 90. sq.; Bargilliat t. I. n. 252. sq.; Poûan, *De seminario clericorum.*

(2) In parochia *domicilii* et etiam *originis*, nisi quis eam ante pubertatem reliquerit. Ita Many n. 118. et merito.

inquisitio illa de *natalibus, aetate, moribus* et *vita* Ordinandi per testimonium scriptum Episcopo communicatur (1). In quibusdam regionibus invaluit consuetudo eam omittendi. Suppletur tunc per testimonium parochorum, professorum et Superiorum Seminarii (2).

Saepe nunc reducitur ad meram *publicationem* nominum Ordinandorum.

Secundum scrutinium (quod tamen aliquando *tempore* primum praecedet), est examen canonicum Ordinandorum quod Episcopus per se aut per alium faciet (3). Duo comprehendit: 1) scriptas informationes de *natalibus* legitimis candidati, de *baptismo* et *confirmatione* recepta; 2) informationes sive scriptas sive orales de eiusdem *aetate, scientia, institutione* et *moribus, fide, doctrina.* Quae ad scientiam, doctrinam, etc., pertinent, solent nunc constare per testimonia a Superioribus et professoribus Seminariorum data. Episcopus, ut patet, per se ipsum eos interrogare potest. Romae praescribuntur interrogationes apud Vicariatum Urbis ante singulos Ordines subeundae.

Tertium scrutinium, nunc mere *caerimoniale*, in ipsa Ordinatione adhibetur, quando Episcopus ab Archidiacono petit: « Scis illos esse dignos? ».

143. **De praestandis ab Ordinando.** — *Exercitia spiritualia,* per tempus determinatum ante Ordinationem peragenda, non sunt *de iure communi* praescripta. Romae (4) vero a tempore Alexandri VII. a. 1662., et in tota Italia per statutum Innocentii XI. a. 1682., a Clemente XI. a. 1710. partim modificatum, per *decem dies* ante receptionem alicuius Ordinis sacri agenda sunt. Alibi alia statuta aliquot dies exercitiorum praescribere solent. — *Ieiunium*, si Ordinatio extra

(1) Trid. sess. 23. c. 5. de ref.

(2) Quam consuetudinem GASPARRI t. II. n. 701. reiicit ut irrationabilem, at nimis rigide loqui videtur. Cfr. WERNZ n. 40. not. 20; MANY n. 118.

(3) Trid. l. c.

(4) Romae quidem regulariter in domo Urbana sacerdotum Missionis peragenda sunt.

Quatuor Tempora celebratur, est tantum de consilio, saltem quoad ius commune, tum pro Episcopo tum pro Ordinandis.

B) De ritu, loco, tempore et interstitiis S. Ordinationum

144. De ritu essentiali pro singulis Ordinibus observando sufficienter dictum fuit, ubi de materia et forma Sacramenti; quaestio de ritibus accidentalibus lectionibus sacrae Liturgiae amandanda videtur. Unde hic tantum aliquid dicendum venit de *loco* et *tempore* Ordinationum, necnon de *interstitiis* inter variorum Ordinum collationem observandis.

145. **De loco et tempore S. Ordinationis.** — *Tonsura* quacumque die et hora, etiam extra Missam, et quovis in loco, conferri potest.

Ordines minores diebus dominicis et duplicibus (scl. quae olim *de praecepto* erant), mane tantum et decentius intra Missam. Ordinatio generalis et publica iisdem diebus reservatur ac Ordinum maiorum collatio.

Ordines maiores tantum intra Missam, in uno ex sex Sabbatis Quatuor temporum, Passionis et ante Pascha, *publice* et *in cathedrali* [1]. Non interdicitur tamen Ordinatio particularis fieri in sacello episcopali.

Indulta a S. Sede Episcopis conceduntur ut Ordines conferant *extra tempora*, diebus tamen dominicis et duplicibus (sensu supra indicato), at non *continuis;* Ordines regulares Indultum saepe habent ut subditos suos etiam diebus festis continuis ordinari curent.

Consecratio Episcopi diebus dominicis aut in festis Apostolorum (non autem Evangelistarum, nec S. Barnabae) [2] fieri debet, semper intra Missam. Consecrari debet novus Episcopus sive Romae, sive in sua ecclesia aut in alia eiusdem provinciae ecclesiasticae; practice in litteris pro-

[1] Trid. sess. 23. c. 8. de ref.

[2] Quod nuperrime declaravit S. C. Rit. 4. Apr. 1913.

motionis datur ipsi electio tum loci tum Praelati consecratoris.

146. **De interstitiis.** — Interstitia, seu temporis intervalla inter varios Ordines observanda, sequentibus legibus determinantur: inter tonsuram et primum Ordinem minorem nullum intervallum exigitur; aliquod inter varios Ordines minores; at Episcopus dispensare potest; in praxi saepe omnes eodem die conferuntur.

Inter Ordines minores et subdiaconatum et inter varios Ordines maiores unus annus intercedere deberet (1). Episcopus tamen dispensare potest: tum proprios subditos ob necessitatem aut ecclesiae utilitatem (2), tum Regulares ad se accedentes cum attestatione Superioris cui deferre debet (3). Nunquam duo Ordines sacri (4), immo nec subdiaconatus cum Ordinibus minoribus (5), eodem die suscipi debent.

147. **Scholion. — I. De furtiva Ordinum susceptione.** — Si quis aut *in examine reiectus* aut *sine* praevio *examine* et absque approbatione et licentia sui Episcopi Ordinem suscipit, vel si *eodem die* subdiaconatum cum Ordinibus minoribus aut duos Ordines sacros suscipit, graviter peccat et poenis subiacet (quae nunc sunt tantum *ferendae sententiae*), propter delictum *furtivae* Ordinationis (6).

II. De Ordinatione per saltum. — Gravius adhuc peccat qui *per saltum* ordinatur, i. e. qui Ordinem aliquem suscipit, gradu quodam inferiore praetermisso. Ex dictis (supra n. 120.) talis Ordo est valide collatus, si excipiatur episcopatus collatus non-sacerdoti (7). Poenae tum ordinanti tum ordinato infligendae sunt arbitrio Superioris.

(1) Trid. sess. 23. c, 11. 13. 14. de ref.

(2) Trid. l. c. c. 11.

(3) Many n. 167. allegans plura responsa S. C. Conc.

(4) Trid. l. c. c. 13.

(5) Many n. 114. ex sentent. communiori; at consuetudo contraria admittenda videtur.

(6) Wernz t. II. n. 42. seq. t. VI. n. 443. sq.

(7) Wernz t. VI. n. 441. sq.

Articulus VI

De subiecto S. Ordinationis

Praenotandum. — Sicut de ministro, ita de subiecto Ordinationis duplex est quaestio: *validitatis* et *liceitatis*, seu quis sit subiectum *capax*, quis *legitimum*.

A) De validae Ordinationis subiecto

148. **Principia.** — Ecclesia nequit inhabilem reddere ad Ordines *institutionis divinae* valide suscipiendos, illum qui iure divino habilis est: mutaret enim divinam institutionem. Pro Ordinibus *institutionis ecclesiasticae*, etsi posset, non vult tamen tales constituere inhabilitates; praesertim cum controvertatur *utrum* certo habeantur et *quinam* sint Ordines institutionis *mere ecclesiasticae*.

Subiectum *capax* Ordinationis est *omnis* et *solus vir, valide baptizatus*, sufficientem *intentionem* habens Ordines suscipiendi.

Quod sit *solus vir*, habetur ex traditione et praxi constanti Ecclesiae.

Debet esse *valide baptizatus* vero baptismate aquae seu fluminis, quod solum est Ecclesiae ianua et reliquorum Sacramentorum fundamentum.

De requisita intentione haec dicenda veniunt: [1]

Infantes vel qui rationis usum nunquam adepti sunt nec positive dissentire valent, valide at prorsus illicite ordinantur. At non adstringuntur ad castitatem servandam, ad divinum Officium, etc. Unde completo aetatis suae anno decimo sexto (vel usu rationis adepto), ipsis dabitur optio aut statum clericalem cum annexis obligationibus eligendi,

[1] Gasparri, *De S. Ordinatione*, n. 625. sq.

aut statum laicalem amplectendi, manentibus quidem Ordinibus, at excluso ipsorum usu sublatisque obligationibus (1).

Adulti qui vel positive dissentiunt vel tantum ficte et simulate accedunt, invalide ordinantur; invalide etiam si, durante somno, ebrietate, amentia ordinarentur, nunquam habita intentione Ordines suscipiendi (cfr. WERNZ l. c. n. 82.). Si quis ex metu gravi iniusto ordinatur, consentiens tamen, valida est ordinatio. At post probatam metus gravis causam, ipsi sicut et infantibus datur optio statum clericalem vel laicalem eligendi (cfr. GASPARRI l. c. n. 633. sq.).

B) De licitae Ordinationis subiecto

149. Ad *licitam* Ordinationem plures requiruntur conditiones: status gratiae, immunitas ab irregularitatibus et censuris; immo positiva vitae honestas (et in Ecclesia latina coelibatus), recta intentio et perseverandi voluntas, varii scientiae gradus pro variis Ordinibus (Trid. sess. 23. cc. 4., 11., 18. de ref.; WERNZ tom. II. n. 85. sq.). Pro momento rei, in speciali articulo de irregularitatibus agemus; ibi etiam de scientia requisita, ratione irregularitatis ex defectu scientiae, tractabitur. De coelibatu *remissive* loquemur, ubi de obligationibus statui clericali adnexis.

Praeter vocationem *externam*, qua Episcopus aliquem in clerum libere admittit, communiter requirebant auctores vocationem *internam*, i. e. positivam Dei ordinationem ad statum clericalem animae interne manifestatam (2).

Hic breviter dictis, quaestio unica nobis tractanda est de *titulo*, qui ad Ordinationem conferendam requiritur.

(1) Bened. XIV., Const. « *Eo quamvis* » pro Coptis, §§ 24. sq.

(2) Quaestio utrum talis vocatio interna requiratur et quomodo dignoscenda sit, acribus controversiis nuper ortum dedit, quae nil ad nos pertinent: aliquam internam adspirationem subiecti seu invitamenta Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum *non necessario* requiri, at *sufficere* rectam intentionem simul cum idoneitate, per vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, ex litteris Card. Secret. a Statu 2 Iul. 1912. declaratum habemus.

De titulo Ordinationis

150. I. **Sensus vocis.** — Ubi supra fuit quaestio de *titulo originis, domicilii*, etc., *titulus* intelligebatur *causa, factum, actus* quo quis Episcopi subiectus fiebat, et potius ex parte *ministri* spectabatur, quatenus ipsi ius dabat in talem Ordinandum. Hic magis ex parte *subiecti* consideratur *titulus*, quatenus designat aliquam conditionem requisitam ad licitam Ordinationem: haec conditio sese habet ex parte honestae sustentationis clerico procurandae.

Sic spectatus, *titulus* Ordinationis definiri potest: *Canonica cautio de sufficiente et perpetua sustentatione pro sacrorum Ordinum receptione.* Ratio cur talis cautio exigatur, a Tridentino his verbis effertur: « Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere..... » (sess. 21. c. 2. de ref,).

151. II. **Notae historicae** (1). — Primis temporibus ordinabatur aliquis ad servitium praestandum alicui « *titulo* », i. e. alicui *ecclesiae*, quae ipsi vicissim congruam sustentationem praestabat. Ordinationis *absolutae*, i. e. sine relatione ad aliquam ecclesiam, paucissima habentur exempla (v. g. S. Hieronymi, S. Paulini). Immo statuuntur aliquando poenae contra Episcopos *absolute* ordinantes.

Introductis beneficiis in ecclesiis, vox « *titulus* » saepe designavit beneficium in ecclesia (2); et loco *incardinationis* alicui ecclesiae ad praestandum ibi servitium, habita est illa *intitulatio* ad beneficii fructus accipiendos in sustentationem. Permisit Innocentius III. ut clerici divites, absque speciali titulo praeter ipsum *patrimonium,* ordinarentur, at non rari inde irrepserunt abusus ob clericos sine vocatione ordinatos vel pro lubitu vagantes. Quos abusus supprimere volens Tri-

(1) Cfr. Wernz n. 90. sq,; Gasparri, *De S. Ordin.* n. 589.

(2) Cap. 4. De Praebendis III. 5. quod est Alexandri III. in Conc. Lat. III. a. 1179.

dentinum, quin titulum « *patrimonii* » de medio tolleret, statuit ut tali titulo nullus ordinaretur nisi ob alicuius ecclesiae necessitatem vel utilitatem et cum officio in ea exercendo (1). Sed fatendum est contrariam consuetudinem omnino invaluisse, nec semper irrationabili modo: nam v. g. institutio Seminariorum vix non necessario eam secum trahit.

Origo tituli « *paupertatis* » sequens fuit. Olim ad servitium divinum praestandum in monasteriis laicorum, ordinabantur clerici, qui ipsi Regulares seu monachi non erant, at quorum subsistentiae monasteria providebant. Quando postea ipsi monachi ordinari coeperunt, sufficienter de sustentatione provisi supponebantur ex monasterii reditibus, seu ex *paupertatis titulo* (cf. GASPARRI l. c. n. 586. sq.).

Ex vigente disciplina *proprius* et *ordinarius* titulus est titulus *beneficii* (GASPARRI n. 596.). *Subsidiarii* tituli ob quos non deberet quis ordinari nisi ob ecclesiae necessitatem vel utilitatem, secundum prudens Episcopi iudicium, sunt *patrimonium* et *pensio*. Accedunt ex Apostolicis Indultis varii tituli: *mensae*, *servitii in ecclesia*, *missionis*, *mensae communis*, etc. Pro Regularibus *ordinarius* titulus est titulus *paupertatis*.

152. III. **Varii tituli.** — A) **Titulus beneficii.** — Beneficium debet esse actu et pacifice possessum, perpetuum et inamovibile, ad honestam sustentationem sufficiens; cui non potest clericus ordinatus renuntiare, nisi novo titulo huic subrogato (Trid. sess. 21. c. 2. de ref.).

153 B) **Titulus patrimonii.** — Patrimonium etiam actu possessum sit oportet, sufficiens ad sustentationem, bonis certis constans et ex se mansuris (non necessario tamen immobilibus). Determinanda ergo est pars bonorum clerici, quae patrimonii titulum constituit; haec pars alienari nequit, nisi novo titulo subrogato (Trid. ibid.).

154. C) **Titulus pensionis.** — Pensio est aliquis census super bonis ecclesiasticis vel etiam non ecclesiasticis (2). Qui

(1) Sess. 21. c. 2.; sess. 23. c. 16. de ref.; GASPARRI l. c. n. 524.

(2) Sic tenet WERNZ n. 92. et not. 39. contra MANY, *De S. Ord.*, n. 142. qui exigit censum ex bonis *ecclesiasticis*.

census iisdem condicionibus perpetuitatis et sufficientiae submittitur ac ipsum patrimonium, itemque alienari nequit (Trid. ibid.).

155. D) **Tituli subsidiarii**. — « Cum sacri canones prohibeant quempiam ex saecularibus promoveri, nisi titulo beneficii aut patrimonii aut pensionis, sequitur hos neotericos titulos non posse inservire nisi pro Ordinatione illorum qui hoc Indultum a Sede Apostolica obtinuerunt » (GASPARRI, *De S. Ordin.* n. 609.).

Titulus mensae est cautio ab aliqua persona aut communitate praestita (v. g. ab ipso gubernio civili in Austria), de clerico sustentando, si unquam ad officia ecclesiastica obeunda citra culpam inhabilis evaserit.

Tituli servitii in ecclesia vel *in dioecesi, obedientiae, administrationis* (qui tituli fere aequiparantur), consistunt in cautione ab ipsa dioecesi praestita de sustentando clerico, qui ante Ordinationem promittit se ei perpetuo addictum mansurum.

Titulus missionis est sustentatio ex ministeriis, quae clericus in aliqua missione exercet vel exercebit. Hic titulus olim per Indulta omnibus fere regionibus concedebatur, quae S. C. de Prop. Fide subiectae erant. Praestabat Ordinandus iuramentum de tribus: 1) quod Ordinem regularem sine licentia S. Sedis non ingrederetur; 2) quod perpetuum servitium praestaret dioecesi vel vicariatui cui adiiciebatur; 3) quod in Ordinem regularem semel ingressus, debita cum licentia, operam suam in eadem dioecesi vel vicariatu navare pergeret. Cui titulo nunc substitutus est titulus *servitii ecclesiae*, in regionibus S. C. de Prop. Fide subtractis, mutata paululum forma iuramenti (S. C. Consist. 12. Nov. 1908. in Actis Ap. Sedis I. p. 148. sq.).

Titulus mensae communis conceditur saepe Congregationibus religiosis, quorum alumni, sine indulto, iisdem titulis ordinari deberent ac saeculares (1).

156. E) **Titulus paupertatis.** — Est proprius titulus

(1) S. Pius V. Const. « *Rom. Pontifex* » 14. Oct. 1568.

Ordinum regularium stricte dictorum. At non valet pro novitiis nec professis votorum simplicium eorumdem Ordinum, praeter speciale Indultum.

Ordinibus et Congregationibus religiosis observandae sunt hodie praescriptiones in decreto « *Auctis admodum* » (4. Nov. 1892.) contentae. Ad Ordines sacros promoveri nequeunt membra Ordinum regularium ante solemnem professionem, quae tantummodo post triennium votorum simplicium emittitur, vi Const. Pii IX. « *Neminem latet* » 19 Mart. 1857. Alumni Congregationum votorum simplicium ad Ordines sacros non admittuntur, nisi tribus annis elapsis post professionem perpetuam, si haec statim peracto novitiatu emittitur, aut post tres annos in temporanea professione peractos.

Articulus VII

De irregularitatibus [1]

157. **Connexio materiae.** — Inter conditiones quae ad *licitam* Ordinum susceptionem referuntur pertinet immunitas tum ab irregularitatibus tum a censuris (cfr. supra n. 149.); unde potuisset tractatio de irregularitatibus ipsi articulo VI. de subiecto S. Ordinationis iungi; commodius tamen in distincto articulo proponetur, tum propter momentum rei, tum propter extensionem eius expositioni necessario attribuendam. Et primo quidem de irregularitatibus in genere agemus, dein de irregularitatibus in specie.

De irregularitatibus in genere

158. **Definitio.** — Irregularitas a Suarez (*De censuris*, disp. XL. sect. 1.) definitur: « *impedimentum canonicum, ex*

[1] Consulendi sunt: Suarez, *De censuris*, disp. XL. seq.; Boenninghausen, *De irregularitatibus.*; Gasparri, *De sacra Ordinatione*, tom. I. n. 155. sq.: Wernz, *Ius Decretalium*, t. II. tit. VII.; Lega, *De delictis et poenis*, tit. VIII. et auctores *Theol. moralis.*

se directe ac primario prohibens acceptionem Ordinum ecclesiasticorum, et consequenter etiam usum eorum ».

Dicitur : 1) *impedimentum,* unde neque culpam necessario supponit neque essentialiter rationem poenae *vindicativae* habet, multo minus poenae *medicinalis* (1) ; sed principaliter ob reverentiam et dignitatem sacri ministerii et decentiam status clericalis ;

2) *canonicum :* supponit ergo subiectum capax, iure naturali et divino, Ordinis suscipiendi ; propter quod mulier irregularitatem contrahere nequit. Et *fundatur* quidem in iure divino aut naturali, at *formaliter constituitur* per legem ecclesiasticam ; hinc regula a Bonifacio VIII. tradita in c. 18. de sent. excomm. in Sexto : « nulla irregularitas incurritur, nisi in iure sit expressa » ;

3) *prohibens*, non *dirimens* susceptionem Ordinum. Ratio am indicata est (supra n. 148.) : Ecclesia introducere *nequit* conditiones quae impediant validam susceptionem Ordinum qui sunt *institutionis divinae, nec vult* huiusmodi impedimenta pro Ordinibus *institutionis ecclesiasticae* inducere ;

4) *ex se* et *primario prohibens susceptionem* Ordinum (2) : scopus enim *directus* et *principalis* irregularitatis est exclusio a statu clericali amplectendo vel gradu aliquo superiori suscipiendo, non autem ab acquirendo gradu aliquo in hierarchia iurisdictionis aut aliquo beneficio, immo nec ab exercendo Ordine aut officio iam acquisito, unde additur :

5) *consequenter etiam* (et *secundario*) *usum* eorumdem Ordinum *prohibens*. Et optimo quidem iure privatur quis ab exercitio Ordinis iam suscepti, quem suscipere prohiberetur

(1) Unde differt a *censuris*, quae sunt poenae *medicinales* et privant *directe : excommunicatio,* a communione fidelium et participatione Sacramentorum ; *suspensio,* ab exercitio Ordinum susceptorum ; *interdictum,* a divinis Officiis agendis. (Cf. Boenninghausen I. p. 4. 9. sq.). Differt a *depositione* et *degradatione* quae sunt per se et primario poenae *vindicativae*, quae insuper feruntur semper per sententiam iudicialem et *ab homine*, irregularitas est semper *a iure.*

(2) Immo ipsius tonsurae iuxta communem sent. cf. Boenningh. I. p. 26. sq. ; Gasparri n. 167.

propter ipsam decentiam ministerii sacri. Practice nunc talis prohibitio solos Ordines sacros respicit, cum munera Ordinum minorum etiam a laicis exerceri soleant.

159. **Divisio.** — Distinguendae sunt irregularitates: 1) *ex defectu* et *ex delicto*. Priores propter solum defectum incurruntur, sive sit innoxius, sive aliquo modo culpabilis (1), semper tamen ex eo quod secum aliquam indecentiam Ordinis exercendi trahat. Posteriores oriuntur ex delictis aliquibus quae specialiter sanctitatem clericalem dedecent. Et haec quidem indecentia est ratio primaria cur aliquis arceatur, at sequitur ad delictum et proinde exigit, ut incurratur, culpam propriam et gravem. In dubio utrum irregularitas sit ex defectu an ex delicto, communiter haec potius supponitur, quia difficilius contrahitur et facilius dispensatur;

2) *totales* et *partiales:* priores arcent tum ab Ordinibus suscipiendis tum a susceptis exercendis, aliae tantum a suscipiendis, non ab exercendis, nisi forte specialis induceretur indecentia;

3) *perpetuae* et *temporales*, prout semper durant aut e contra cessant lapsu temporis (v. g. defectus aetatis), vel aliqua conditione impleta (v. g. acquisita scientia quae deficiebat). Plures auctores non admittunt tamquam veras irregularitates nisi totales et perpetuas;

4) *dispensabiles* aut *non dispensabiles*, iuxta praxim Ecclesiae:

3) *publicae* et *occultae*. Publica intelligitur non quidem necessario *notoria*, i. e. ita manifesta ut celari non possit, sed quae ex documentis scriptis et publicis probari potest, etsi forte actu ignoretur; *occulta*, quae paucis cognita est et his in circumstantiis ut facile evulgari non praevideatur (2).

160. **Notae historicae.** — Prohibitiones Veteris Testamenti Ecclesiam non ligant. Quaedam prohibitiones iam apud Paulum habentur v. g. de bigamis, de neophytis (I. Tim. III. 2. sq.). Paulatim tum ex constitutionibus Rom. Pontificum,

(1) Quod recte advertit BOENNINGH. I. p. 17.
(2) Cf. BOENNINGH. I. p. 40.; WERNZ t. VI. n. 17.

tum ex consuetudine aliae introductae sunt, novis postea legibus auctae et accuratius determinatae. Nomen « *irregularitas* » prima vice ab Innocentio III. usurpatum, dein classica vox facta est; nullus tamen titulus de irregularitatibus in Corpore iuris canonici habetur, sed passim inveniuntur in l. I. et V. Decretalium.

161. **De subiecto activo irregularitatum.** — Patet Ecclesiam, et ipsam solam, irregularitates constituere posse. Agitur enim de arcendis his, qui magistratum in societate ecclesiastica exercere debent: evidens est ad hanc ipsam societatem eamque solam pertinere eorum electionem, simul cum potestate minus aptos aut minus dignos arcendi. — Hoc ceterum ex ipsa praxi Ecclesiae manifeste comprobatur.

Exercetur haec potestas per eos tantum qui potestatem habent condendi leges universales in Ecclesia, i. e. per R. Pontificem aut Concilium oecumenicum: nam ex regula supra indicata (ex cap. 18. de sent. excomm. in Sexto), nulla habetur irregularitas quae *in iure* communi inscripta non sit (1). Insuper vi eiusdem regulae, R. Pontifex, etsi *posset*, non solet irregularitates ferre *ab homine*.

Et quamvis olim *consuetudo* irregularitates introduxerit, v. g. extendendo ad Ordines minores irregularitatem ex defectu legitimorum natalium, certe in futurum hoc non amplius obtinebit, cum Ecclesia nunc tales consuetudines reprobet (2).

162. **De subiecto passivo irregularitatum.** — I. *Omnis* et *solus* fidelis *baptizatus*, praeter R. Pontificem, qui nullo impedimento canonico ligari potest, est subiectum irregularitatum. Unde si quis baptizetur, delicta ab eo antea patrata, quibus adnexa est irregularitas, cum baptismo deleantur, nullam irregularitatem inducere possunt; at irregularitas quae ex defectu oritur, si maneat defectus, ipsum baptizatum ligat.

(1) Quae sententia teste SUAREZ, *De cens.*, disp. XL. sect. 4. n. 2., certa et communis est. Cf. BOENNINGH. I. p. 18.

(2) GASPARRI n. 161.

II. *Multiplicari* possunt irregularitates et debent omnes exprimi in petitione dispensationis; et *certe* si diversae sunt rationes, diversae incurruntur, ut si qui sit coecus, bigamus, infamis; ubi vero eadem ratio *peccati*, ut si quis decem occiderit. vel idem *defectus*, ut si excommunicatus pluries celebraverit, res est magis dubia (1).

III. Principium: « *irregularitas dubia, irregularitas nulla* » fere ab omnibus admittitur (2); ad cautelam tamen expedit dispensationem petere, ne forte postea irregularitas certa appareat. Ceterum notandum est irregularitatem incurri ab eo qui *certo* posuit causam sufficientem homicidii realiter secuti, quamvis *dubitetur* utrum ex alia causa mors secuta fuerit (3).

IV. Ut quis irregularitatem ex defectu contrahat. nulla requiritur conditio subiectiva scientiae, culpabilitatis: incurritur ab infantibus (4), impuberibus, insciis, invitis. At pro contrahenda irregularitate ex delicto, fere eaedem conditiones exiguntur ac pro censura incurrenda: peccatum grave, externum, quamvis non necessario publicum.

Ignorantia legis, qua crimen prohibetur, excusat, nisi sit *crassa* et *supina;* immo haec excusat (et iuxta quosdam (5) etiam *affectata*), si dicitur in lege, quae irregularitatem constituit: qui *praesumpserit, ausu temerario,* etc.; excusat omnis ignorantia, etiam *affectata*, si dicatur: *scienter*. *Ignorantia solius poenae*, nempe irregularitatis, probabilius (6) non excusat: et ratio est quia agitur de poena *vindicativa* et simul de *inhabilitate* contrahenda, quae etiam sine culpa incurri posset. Practice in foro externo supponitur incursa.

Metus gravis, externus, *iniustus* excusat, nisi in contemptum legis actum fuerit aut de crimine gravissimo agatur.

(1) GASPARRI n. 197.

(2) Hanc sent. solide probat, etiam pro casu dubii facti, BOENNINGH. I. p. 20. sq.

(3) Cf. infra de irregul. ex delicto n. 184.

(4) Contrarium minus recte asserit NOLDIN, *De cens.* n. 126.

(5) V. g. GASPARRI n. 204.

(6) Sic, WERNZ t. II. n. 101.; GASPARRI n. 204.

V. *Impuberes* probabilius non contrahunt irregularitates ex delicto, practice tamen, si sunt pubertati proximi (10. ann. cum dimidio) ad cautelam petetur dispensatio.

N. B. — Prohibitio ordinandi irregulares, urget sub gravi tum ordinantem tum ordinandum, at poenae *latae sententiae* olim statutae nunc non subsistunt, praesertim qui ordinatur non inde contrahit *novam* irregularitatem. Ipsum excusat a peccato grave incommodum, v. g. periculum ne homicidium ab ipso patratum reveletur, gravis infamia timenda, si recederet etc.

163. **De effectibus irregularitatum.** — Iam in ipsa definitione irregularitatis (supra n. 158.) effectus eius principales indicati sunt, qui sunt: 1) arcere ab Ordinum susceptione; 2) prohibere ab Ordinum susceptorum exercitio.

De effectibus secundariis non una est sententia. Admittunt quidem auctores irregularitatem supervenientem nec iurisdictionem, nec beneficium tollere (1); at privandus est beneficio qui irregularitatem ex delicto contraxit et iurisdictionem exercere nequit, quae connexum habet exercitium Ordinis interdicti (v. g. in confessione). At disputatur utrum irregularitas reddat invalidam collationem beneficii, cui adnexum est exercitium Ordinis interdicti (2). Practice usque ad sententiam iudicis retineri poterunt fructus percepti, (dummodo onera impleantur per beneficiatum aut per alium, si requirant usum Ordinis prohibiti) (3).

164. **De cessatione irregularitatem.** — Si irregularitas proprie dicta non habetur, ut plures volunt, nisi quae perpetua sit natura sua, non potest tolli communiter nisi per dispensationem; at 1) plures admittunt irregularitates temporales et illae de se cessabunt per lapsum temporis; 2) etiam quaedam irregularitates, de se perpetuae, tolli possunt per

(1) Boenningh. I. p. 29. sq.

(2) Gasparri n. 172. sq.; Wernz n. 104. propendunt in sent. negat., ob Conc. Trid. in sess. 24. c. 7. de ref. et varias decisiones SS. Congreg. Sent. affirm. tenet Lega, *De del. et poen.* n. 231.

(3) Ita Gasparri n. 172. Severius loquitur Boenningh. I. p. 38. qui vult fructus restitui.

cessationem causae, v. g. irregularitas ex infamia facti cessat ubi aut quando haec infamia cessaverit.

Hinc triplex modus cessationis distingui potest: 1) per cessationem causae; 2) per dispensationem a iure inductam; 3) per dispensationem a Superiore competente directe concessam.

Cessatio irregularitatis improprie dicitur *absolutio*, cum primaria ratio, etiam pro irregularitate *ex delicto*, sit indecentia, dedecus status clericalis; nec minus improprie diceretur tolli per *baptismum* irregularitas ex delicto: nam ante baptismum non habebatur, cum sit iuris ecclesiastici cui non subduntur non baptizati; post baptismum vero delictum non subsistit (1).

I. Per *ablationem causae* cessat praesertim irregularitas temporalis: defectus scientiae, libertatis (defectus famae potius dicendus est perpetua irregularitas).

Si maneat res dubia, Superior ecclesiasticus competens est ad declarandum utrum adsit necne irregularitas.

II. *Professione religiosa solemni* eaque sola tollitur irregularitas ex defectu natalium, at non quoad dignitates et praelaturas. Pro Indultis plus minusve amplis possunt Superiores, tum generales tum provinciales, in Capitulo generali vel provinciali dispensare (2).

III. *Dispensatione* tandem tollitur irregularitas: ad hanc concedendam requiritur iusta causa — et in postulatione exprimatur oportet causa et numerus irregularitatum. — Formula specialis dispensanti non praescribitur; v. g. dicere potest: « Dispenso tecum in irregularitate quam ob hanc causam incurristi. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quis dispensare possit? *R. Pontifex* in omni casu. — At non solet dispensare: 1) in bigamia vera; 2) in homicidio voluntario nisi omnino occulto; 3) in magna corporis deformitate.

(1) Boenningh. I. p. 39.

(2) De concessionis Sixti IV. amplitudine et valore actuali non una est sententia. Cf. Vermeersch, *De relig. Inst. et pers.*, t. I. n. 420. t. II. p. 453.; Wernz n. 107.

Recurritur ad S. C. de Sacramentis; pro sacerdotibus saecularibus, in irregularitatibus, quae post sacerdotium superveniunt, ad S. C. Concilii [1]. Pro rebus occultis ad S. Poenitentiariam recurrendum est.

Episcopus dispensare valet potestate *ordinaria*, a iure communi ipsi concessa: 1) in omnibus irregularitatibus ex delicto *occulto*, praeter homicidium voluntarium [2], dummodo res nondum deducta fuerit ad forum contentiosum (scl. per denuntiationem seu accusationem iuridice factam) [3]; 2) in bigamia similitudinaria, quae non sit simul interpretativa (cf. infra n. 173); 3) in natalibus illegitimis, ad tonsuram et Ordines minores suscipiendos aut beneficia simplicia accipienda; 4) in irregularitatibus *dubiis* tum ex delicto tum ex defectu [4]; nec postea recurrendum est ad S. Sedem, si irregularitas certa evaderet.

Insuper saepe ampliores facultates Episcopis *delegantur* per Indulta.

Praelati regulares, quoad suos subditos, eadem possunt ac Episcopi. Eis etiam per Indulta ampliores dantur facultates quam quas de iure habent.

Confessarii regulares poenitentes suos, in foro interno, dispensare possunt sicut Episcopus suos subditos.

A) De irregularitatibus ex defectu [5]

165. Oriuntur illae irregularitates ex defectu: 1) corporis; 2) animae; 3) libertatis; 4) natalium; 5) Sacramenti (vel potius ex defectu *significationis* Sacramenti); 6) famae; 7) lenitatis. De singulis in totidem paragraphis agemus.

[1] S. C. Const. 27. Febr. 1909. *Acta Ap. S.* t. I. p. 251.; 28. nov. 1911. ib. t. III. p. 658. Cf. Besson in *Nouvelle Revue Théolog.* 1912. p. 102. sq., qui notat Regulares recurrere debere ad S. C. de Religiosis.

[2] Trid. sess. 24. c. 6. de ref. Cf. Gasparri n. 224.; Wernz n. 108.; Lega, *De del.* n. 244.

[3] Cf. Gasparri n. 225.

[4] Gasparri n. 230.

[5] Lib. 1. tit. 20. de corpore vitiatis ordinandis vel non.

I. – Defectus in corpore

166. **Origo** huius irregularitatis est satis incerta; prima documenta saeculo V. occurrunt, at non videntur introducere, sed confirmare Canones praecedentes et disciplinam antiquiorem, quae in Decreto Gratiani et Decretalibus accepta, postea novis legibus non fuit mutata, at explicata et determinata.

167. **De eius ambitu.** — Irregularis est qui tale vitium corporale patitur, ut ad omnes sacras functiones inhabilis sit, aut saltem ad unam, praesertim ad S. Missae Sacrificium secure, rite, decenter celebrandum.

Qui huiusmodi vitio laborat, ab omni Ordine, etiam a tonsura est arcendus et si fuit ordinatus, ab exercitio Ordinum removendus (1).

Si post Ordinationem supervenerit defectus, non arcetur nisi ab his actionibus sacris quas rite facere nequit.

Episcopus non potest dispensare ab irregularitate certa, sed tantum a dubia vel declarare authentice utrum habeatur irregularitas necne.

In specie irregulares sunt: 1) *mutilati*, qui carent pede, manu, pollice aut indice vel eo uti nequeunt ad frangendam hostiam;

2) *debilitati*, qui uno vel altero membro uti non possunt, ut si manus obriguerit, vel ob paralysim moveri aut flecti nequeat;

3) *caeci* utroque oculo vel ita *caecutientes* ut e Missali legere nequeant; qui uno oculo, etiam canonico (i. e. sinistro) caret, at inde difformis non est, irregularis non est (2). Qui caecus fit, potest confessiones audire; ad celebrandum vero Indulto R. Pontificis indiget;

(1) Qui absolute est incapax exercendi Ordinem, non tam est irregularis, quam ipso iure naturae incapax.

(2) Wernz n. 110. not. 95.; Boenningh. III. p. 197. sq. severius loquitur, at deserendus videtur.

4) *deformes,* qui habent in aliquo membro deformitatem, ob quam decenter sacro ministerio fungi nequeant, vel non sine horrore aut risu: sic carentes naso aut auriculis, monstruosi, gibbosi, maculam enormem habentes, claudi sine baculo accedere vel in altari stare non valentes. At qui claudus fit, privatim celebrare potest.

Irregularis non est balbutiens, nisi risum moveat; manibus tremulus, nisi adsit periculum effusionis pretiosi Sanguinis;

5) *morbo gravi* et *insanabili* laborantes: v. g. paralytici, epileptici, nisi perfecte sint sanati, quod vix sperandum erit, si post pubertatem affecti fuerint. Non solet concedi dispensatio nisi post experimentum sat longum;

6) abstemii, qui vinum omnino ferre non possunt;

7) leprosi, ob horrorem et scandalum.

II. — Defectus in anima

168. Irregulares sunt:

1) *ratione* carentes: perpetuo amentes (et hi quidem iam iure naturae arcentur), lunatici, furiosi, nisi post sanationem; immo in Ecclesia Latina mos est *dispensationem* exigendi pro his qui dementiam passi sunt vel diabolicam possessionem, etiam post sanationem vel liberationem (1);

2) defectu *scientiae* laborantes (qui tamen non sunt proprie irregulares, at potius *prohibiti*);

3) defectu *fidei confirmatae* laborantes: sic *neophyti* (2), baptizati post pubertatem, praesertim post maiorennitatem; *clinici* qui exspectaverunt articulum mortis ut baptizarentur. — At irregularitas haec non videtur perpetua. — Non-confirmati sunt irregulares, donec Sacramentum Confirmationis non susceperunt (3).

(1) Wernz n. 116.; Gasparri n. 275. sq.
(2) I. Tim. III. 6.; Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. XII. c. 1. n. 6.
(3) Wernz n. 119.

III. — Defectus libertatis

169. Non est proprie irregularitas at potius *prohibitio.* Ordinari scilicet nequit, qui aliis obligationibus detinetur, quae cum vita clericali omnino aut fere incompatibiles sunt, ita: 1) servus seu mancipium;

2) coniugatus, nisi aut ab uxore solutus fuerit, aut haec amiserit ius petendi debitum (ob adulterium), aut tandem sponte consentiat, (secus nec ad tonsuram quidem aut Ordines minores est promovendus).

At post matrimonium iam consummatum generaliter exigitur ut uxor continentiam profiteatur in saeculo, immo ut monasterium ingrediatur et ibi professionem solemnem emittat, si vir ad Episcopatum promovendus sit aut si ipsa sit iuvenis vel suspecta de incontinentia; secus, si senex sit nec suspecta de incontinentia. Immo si vir sit iuvenis aut suspectus de incontinentia, exigitur ut ipse prius ingrediatur Ordinem religiosum et solemniter profiteatur, antequam ordinetur (1);

3) obligatus ad officia civilia vel ad reddendas rationes cum statu clericali incompatibiles.

IV. — Defectus natalium

170. **Origo et rationes huius irregularitatis.** — Irregularitas illa relative recens dicenda est, cum vix ante saeculum X. aut XI. invecta fuerit; immo insistebant Patres ut *propriis* tantum spectatis meritis aliquis promoveretur aut reiiceretur. At paulatim in odium clericorum incontinentium, et ne sacerdotium quasi haereditarium fieret, exclusi sunt ab Ordinibus eorum filii, mox etiam proles ex incestu nata, tandem omnes filii ex fornicatione. Statutum Concilii Pictaviensis (a. 1078.) quo exclusio illa decreta fuit, per consue-

(1) Cf. Wernz n. 127.; Gasparri n. 524. sq.; Boenninghausen III. p. 175. sq. qui quoad quaedam paulo rigidior est.

tudinem primum, dein per insertionem in Decretales Gregorii IX. (1) factum est ius commune Ecclesiae. Inhibitio quae initio solos Ordines sacros spectabat, consuetudine ad Ordines minores et ipsam tonsuram extensa est.

Rationes talis irregularitatis introducendae fuerunt: 1) dignitas status clericalis; cum enim leges medii aevi maxima infamia filios illegitimos plecterent, valde dedecebat huiusmodi in clerum admitti; 2) odium talis sceleris; 3) honor matrimonii christiani; 4) timor haud parum fundatus, ne filii illegitimi vitia parentum facile imitarentur.

171. **Hodierna disciplina.** — Ex disciplina vigente irregularis est quisquis ex matrimonio illegitimo natus est, ex adulterio, incestu, fornicatione, immo et filii sacrilegi, i. e. nati ex matrimonio valido, sed cuius usus ab Ecclesia gravissime prohibetur, ratione Ordinis sacri suscepti (in Ecclesia Occidentali) aut professionis religiosae solemnis alterutrius coniugis.

Irregularitas haec incurritur, etiamsi defectus ille occultus aut ignoratus sit. E contra tamquam legitimi pure et simpliciter habentur, praeter vere legitimos, hi qui ex matrimonio putativo vel sanato in radice nati sunt. Matrimonium est putativum, quando impedimentum, propter quod nullum est, saltem uni ex contrahentibus ignotum mansit, dummodo matrimonium publice contractum fuerit, i. e. cum assistentia parochi et duorum testium post banna publicata; (ubi impedimentum clandestinatis non vigebat, post sola banna).

In dubio stari potest in favorem legitimitatis, v. g. pro filiis expositis: unde stricte exigenda non est dispensatio ad cautelam. Videtur enim inesse unicuique, ceteroquin digno, ius ad Ordines suscipiendos, nisi de irregularitate certo constet (2). Insuper, nisi contrarium invicte probetur, fidem faciunt libri parochiales (3).

(1) C. 1. X, de filiis presbyt. ordin. vel non I. 17.

(2) Ita Gasparri n. 236.

(3) Lingen et Reuss, *Causae select. S. C. C.* n. 71. In Syracus. 27. Iun. 1857.

172. **Cessatio huius irregularitatis.** — Triplici modo cessare potest: 1) per legitimationem; 2) per dispensationem; 3) per professionem religiosam solemnem.

1) **Legitimatio** *plenissima* habetur per *sanationem* matrimonii *in radice,* qua consensus initialis contrahentium non retractus supponitur effectum ab initio habuisse, ceu impedimentum ecclesiasticum non exstitisset: proinde etiam proles habetur ut omnino legitima et nullam exclusionem patitur.

Legitimatio plena per *matrimonium subsequens* obtinetur, dummodo parentes tempore conceptionis vel saltem nativitatis [1] prolis ad matrimonium contrahendum apti fuerint. Excluduntur proinde ab hoc beneficio omnes filii spurii, quocumque impedimento dirimente ligati fuerint parentes, naturali aut ecclesiastico, dispensabili aut indispensabili [2].

Insuper proles hoc modo legitimata manet exclusa a dignitate cardinalitia, necnon a beneficiis quae, vi fundationis, veram legitimitatem exigunt, non autem ab episcopatu aut praelatura religiosa [3].

Tandem legitimatio plus minusve plena, per *rescriptum* R. Pontificis etiam proli spuriae aut adulterinae dari potest.

2) **Dispensatio** tollit effectus quosdam illegitimitatis, quae ipsa tolli non censetur. Solus R. Pontifex dispensat quoad Ordines maiores, officia curata, dignitates, nec solet dispensare ad episcopatum.

Episcopus proprios subditos dispensat ad tonsuram et Ordines minores suscipiendos, et ad beneficia simplicia. Cum autem talis dispensatio sit exercitium *iurisdictionis*, non potest concedi a quocumque Episcopo, cui ordinare liceret, v. g. titulo familiaritatis, sed ab eo tantum qui veram iuris-

[1] Hoc probabiliter sufficit. Cfr. WERNZ t. IV. n. 686.

[2] Haec est communior et vix non certa sent. cum GASPARRI n. 240.; BOENNINGHAUSEN III. p. 68. sq.; WERNZ t. IV. n. 686. Cfr. LINGEN et REUSS l. c. n. 70.

[3] Hanc exclusionem sustinet GASPARRI n. 240. at immerito, ut videtur. Contrarium tenent WERNZ t. IV. n. 686.; OIETTI, *Synop.* v. *Legitimatio.*

dictionem in Ordinandum habet (1), i. e. ex iure communi ab Episcopo domicilii aut quasi-domicilii.

Quid possint Praelati regulares, ex eorum privilegiis est eruendum.

3) **Professione religiosa solemni** tollitur irregularitas, etiam respectu Ordinum sacrorum, manente exclusione a praelaturis tum regularibus tum saecularibus (2). De iure communi sola professio *solemnis* irregularitatem tollit.

V. — Defectus Sacramenti

173. *Defectus Sacramenti*, seu *irregularitas ex bigamia* (3), oritur ex eo quod is, qui bigamus est (i. e. qui duas coniuges *habuit*, sicuti hic intelligitur), incapax fit repraesentandi perfecte unionem Christi cum Ecclesia, quae per unionem *unius* viri cum *una* uxore significatur. Hinc ab Ordinibus arcendus videtur: praeterea facilius de incontinentia suspectus habetur (4).

Bigamia dicitur *vera*, *interpretativa*, *similitudinaria*, prout duplex matrimonium carnale contractum et consummatum fuit, aut unum tantum, quod ex fictione iuris ut duplex habetur, aut tandem unum spirituale et unum carnale.

Conveniunt auctores induci irregularitatem:

1) *bigamiae verae*, quando quis successive duo matrimonia valida contraxit et consummavit: huius irregularitatis origo est apostolica, cum Apostolus (I. Tim. III. 2. 12.) « *unius uxoris virum* » fuisse iubeat eum, qui tum in Episcopum, tum in diaconum ordinandus est; hoc praeceptum tamen est *mere* apostolicum, ab Ecclesia confirmatum (5);

(1) Gasparri n. 245.

(2) Gasparri n. 248.; Boenninghausen III. p. 62.

(3) Tit. 21. de bigamis non ordinandis, in l. I. Decret. Greg. IX.; cf. D'Annibale t. I. n. 416.

(4) Wernz t. II. n. 120.

(5) Qui ante baptismum duo matrimonia valida consummavit, post baptisma habetur ut irregularis, quia vinculum naturale manet, nec baptismate tollitur.

2) *bigamiae interpretativae*, ob matrimonium contractum et consummatum cum vidua a marito cognita vel cum muliere antea corrupta, immo quando quis cognovit propriam uxorem postquam haec adulterium commisit;

3) *bigamiae similitudinariae*, si clericus, qui post matrimonium validum et consummatum Ordines sacros suscepit, postea matrimonium etiam cum virgine attentaverit et consummaverit, licet istud secundum matrimonium sit invalidum (c. 4. h. t.).

Eadem inducitur irregularitas, si clericus Ordinum sacrorum matrimonium cum vidua aut corrupta attentaverit et consummaverit (c. 7. h. t.) (1); si mulier fuerit virgo, dubium est impedimentum.

Dispensare in bigamia *certa* nequit Episcopus, *potest* in *dubia* , praesertim in casu statim allato, nisi tamen res facta fuerit publica, nam tunc altera oritur irregularitas, nempe infamiae.

VI. — Defectus famae seu infamia (2)

174. Cum Ecclesia velit ministros suos esse irreprehensibiles, arcet ab Ordinibus infames (3).

Infamia est bonae famae seu bonae existimationis privatio vel diminutio.

Infamia dicitur *iuris* (seu *legalis*), si quis ab ipsa *lege* ob delictum declaretur infamis; dicitur *facti*, si quis *de facto* bo-

(1) Iste clericus, praeter bigamiam similitudinariam, probabiliter etiam interpretativam contrahit. Insuper communior sententia est irreg. interpretativam induci per consummationem matrimonii, attentati quidem sed invalidi ob ligamen sive viri sive mulieris: 1) si vir coniugatus propriam uxorem iam cognovit, etsi alia mulier sit virgo; 2) etsi vir coniugatus non fuerit, si haec altera sit coniugata et a proprio marito iam cognita. (Wernz n. 121. III. b.).

Tenent plures duplex matrimonium invalidum consummatum, inducere irregularitatem. Cf. D'Annibale n. 419.

(2) Lib. V. tit. 37. de poenis.

(3) Cf. I. Timoth. III. 7.

nam existimationem amisit (ob crimen verum vel etiam putatum).

Infamia iuris (sicut censura a iure) vel *ipso facto* contrahitur, i. e. commisso scelere, vel *ex sententia iudicis*, quae infamiam decernat.

Infamia facti non existit sine divulgatione criminis, quae habetur vel ob publicitatem ipsius facti vel per sententiam publicam iudicis (1): si quis v. g. cognoscitur publice tamquam *homicida*, aut ut talis in iudicio damnatus est, aut, quamvis non damnatus, non sive gravibus indiciis culpabilitatis dimissus est (2). At diffamatio poterit esse maior aut minor: hinc etiam maior vel minor dispensationis necessitas exsurgit.

Infamia facti non est proprie irregularitas perpetua, nam tollitur per recuperationem famae, praesertim ob notoriam vitae emendationem (3).

Infamia iuris est perpetua et dispensatione indiget. At talis non est ad casus non comprehensos extendenda: sic nunc non incurritur nec ob delicta quae in iure Romano infamia plectebantur, nec ob delicta quae forte leges civiles plectunt, quas tamen leges Ecclesia non *canonizavit*. Irregularitatem ob infamiam incurrunt ex iure canonico, praesertim:

1) hostiliter insequentes, percutientes, capientes S. R. E. Cardinales, Episcopos; eorum socii, adiutores, fautores, immo filii et nepotes eorum, post crimen nati;

2) duellantes et eorum patrini (4);

3) raptores mulierum eorumque cooperatores;

4) qui duas simul habent uxores;

5) haeretici, apostatae et eis faventes, dummodo et ipsi sint haeretici (5).

(1) Wernz t. VI. n. 408.

(2) Boenninghausen III. p. 163.

(3) Irregularis nemo est qui exercet operam vilem; at debebit aliquando ob dedecus arceri.

(4) Cf. S. C. C. in causa Wratislav. 9. Aug. 1890. de duello cum cultris inter studentes in Univers. Germaniae.

(5) Cf. infra inter irreg. ex delicto n. 180.

Utrum ad incurrendam hanc irregularitatem requiratur saltem sententia declaratoria criminis, non concordant auctores. Sententia negans (1) praeferenda videtur, utpote quae cum notione poenae latae sententia melius quadrat.

VII. — **Defectus lenitatis** (2)

175. Ratio huius irregularitatis ex eo derivatur quod deceat christianum, quanto magis clericum, mansuetudinem Christi imitari.

Praesertim triplex casus habetur quo irregularitas haec contrahi potest:

1) in iudicio sanguinis;

2) in bello iusto;

3) in exercitio medicinae vel chirurgiae a clericis.

1) *In iudicio sanguinis* (3). Qui, in iudicio iusto, ad occisionem vel mutilationem hominis, ex auctoritate publica, *directe, proxime* et *efficaciter* concurrit, irregularitatem incurrit:

dicitur in *iudicio iusto, auctoritate publica,* secus irregularitas ex delicto incurritur;

requiritur sententia *mortis* vel *mutilationis*, alia poena inflicta incurrere non facit;

directe, proxime et *efficaciter*, scil. per actionem quae verum influxum in effectum exerceat, seu quae ad iudicium necessaria sit: hinc incurrunt qui processum agunt, sententiam ferunt, vel exequuntur: 1) *iudices*, etiam assessores; 2) *iurati,* quando sunt veri iudices; 3) accusator, nisi tantum sui damni compensationem petat; 4) testes qui sponte, non coacti, deponunt; 5) procurator et advocatus contra reum

(1) Eam amplectitur GASPARRI n. 288. Contrariam sent. tenet D'ANNIBALE t. I. § 122. cum not. 29. et plures alii. — Immo incurritur irregularitas, etsi delictum manserit occultum, ut cum SUAREZ, *De censuris* disp. 48. sect. 1. n. 16. tenet GASPARRI l. c.

(2) Lib. V. tit. 12. de homicidis.

(3) WERNZ n. 123.; BOENNINGH. II. p. 113. sq.

agens; 6) lictores et carnifices qui ducunt ad supplicium vel illud exequuntur.

Non incurrunt: 1) Princeps legem ferens vel gratiam recusans; 2) iurisperiti, declarantes privatim casum morte dignum esse; 3) confessarius; 4) spectatores.

2) *In bello iusto* offensivo, qui propria manu occidit vel mutilat, irregularis fit: dicitur in bello *iusto*, secus irregularitas ex delicto contrahitur; *offensivo*, nam in *defensivo* non fit irregularis, nisi clericus qui sponte militat [1].

3) *In exercitio illicito chirurgiae* vel *medicinae* per adustionem vel incisionem si mors sequatur, etsi defuerit negligentia graviter culpabilis. Incurrit hanc irregularitatem clericus *Ordinum sacrorum* vel *Regularis,* qui *illicite* hanc artem exercuerit: nam si habuerit Indultum eam exercendi aut si necessitate compulsus egerit, non fit irregularis etiam morte secuta — nisi gravem negligentiam admiserit, tunc ex delicto irregularis fit.

B) De irregularitatibus ex delicto

176. Ob specialem indecentiam quam prae se ferunt, relate ad Ordines exercendos, quaedam delicta, inducunt irregularitatem. Alia referuntur ad abusus in collatione Sacramentorum aut exercitio sacrarum functionum commissos. et sunt: 1) iteratio baptismi; 2) usurpatio Ordinum; 3) violatio censurae Alia ex gravissima deordinatione procedunt contra fidem (crimen haeresis) aut contra caritatem (homicidium). De singulis successive agetur.

[1] Responsum S. Poenit. 18. Mart. 1912, incertam relinquens quaestionem quis in bellis hodiernis irregularitatem incurrat, de qua consulendos dicit probatos auctores, permittit clericis ad militiam obstrictis ut celebrent et Sacramenta administrent « non obstante irregularitate quam, pugnantes, forte incurrerint ». Cf. *Nouv. Rev. Théol.* 1912. p. 499. sq. ubi reponsum allegatur cum commentario Rmi D. Chollet, tunc Episc. Virodun., nunc Archiep. Camerac.

De irregul. ob bellum contracta cf. BOENNINGH. II. p. 141. sq.

I. — Iteratio Baptismi (1)

177. Iteratio Baptismi *graviter culpabilis*, *absoluta*, saltem *publica*, inducit irregularitatem pro *baptizante*, *baptizato*, *ministris* qui baptizanti assistunt, non autem pro aliis (parentibus, patrinis, assistentibus). Rebaptizatus irregularitatem totalem incurrit; alii probabiliter tantum a susceptione Ordinum superiorum.

Si Baptisma *publicum* non fuit (etsi forte *solemne*), minister assistens non incurrit, at alii multo probabilius (2). Item adultus scienter ab haeretico declarato (etiam tolerato), extra casum necessitatis, baptizatus, totaliter irregularis fit (3).

II. — Usurpatio ordinis

178. Qui *scienter* (4), *serio*, *solemniter* exercent Ordinem quem non habent, irregularitatem partialem incurrunt, scil. a promotione ad Ordines superiores.

Solemniter exercetur: 1) omnis actus ad quem requiritur *potestas* propria alicuius Ordinis, v. g. Missae celebratio; 2) si actus ab alio valide exerceri potest, requiritur *forma*, qua a solis Ordinatis adhiberi solet; sic irregularitatem incurrit: *diaconus* (5) (immo *laicus*, iuxta sentent. Wernz) audiens confessionem; *minorista* in Missa *cum manipulo* subdiaconum agens; at diaconus ministrans etiam solemniter Baptisma vel Eucharistiam distribuens, non incurrit (6).

(1) Wernz t. II. n. 134. sq., t. VI. n. 278.

(2) Wernz n. 135. not. 323. et t. VI. n. 279. III.

(3) Wernz n. 134.

(4) Gasparri n. 336. Wernz n. 137., ut certum, Gasparri n. 334. ut probabilius tenent etiam laicum incurrere irregularitatem et quidem *totalem*.

(5) Gasparri n. 335.

(6) Wernz n. 136 not. 339. f. de exercitio Ordinum minorum.

III. — Violatio censurae

179. Clericus qui censura innodatus, ex *temeritate* graviter culpabili, *solemniter* exercet actus Ordinis sacri, fit irregularis (1).

Dicitur censura innodatus, quae scl. sit vera censura: excommunicatio, suspensio (2), interdictum personale vel locale. At suspensio ab Ordine non violatur nisi per exercitium Ordinis; hinc Episcopus ab usu pontificalium suspensus incurrit irregularitatem si exercet functiones quae insignia requirunt; non incurrit si insignia tantum defert. Dicitur Ordinis *sacri* (quamvis textus distinctionem non faciant) nam nunc vix exercentur Ordines minores *ex officio* et *solemniter* (Wernz n. 139. not. 339. f.).

Qui censura innodatus est at toleratus, si *requisitus* exercuit Ordinem, irregularitatem non incurrit.

IV. — Irregularitas ex delicto haeresis

180. Ob crimen haeresis vel apostasiae formalis, externae, tum publicae tum occultae, etiam post peractam poenitentiam, habetur irregularitas specialis (ex delicto), distincta ab irregularitate infamiae iuris (ex defectu) (3).

Eam incurrunt: 1) qui sectae adscribuntur vel in ea nati sunt, si haeretici formales sint, immo etiam qui nulli sectae adscribuntur: at tunc probabiliter requiritur sententia condemnatoria particularis (4);

2) complices, qui et ipsi haeretici sint;

(1) Cf. Wernz t. II. n. 136.

(2) Verius tamen, etsi suspensio inflicta sit per modum poenae vindicativae, qui eam violat irregularis fit. Suarez, *De cens.*, disp. 26. sect. 2. n. 4. Contradicit D'Annibale P. I. n. 386.

(3) Sic Wernz t. II. n. 139.; Gasparri n. 464. sq.; Hollweck, *D. Kirch. Strafg.* § 96. not. 5.; cum multis auctoribus.

(4) Ita Gasparri n. 466. cum pluribus.

3) filii, usque ad 2.m gradum in linea paterna, ad 1.m in materna; si tamen parens haereticus ante mortem convertatur, cessat irregularitas filii.

Insuper irregulares sunt ob infamiam facti omnes supradicti (1).

Qui autem sunt fautores etc. haereticorum, non tamen et ipsi haeretici formales, nec irregularitatem ex delicto incurrunt, nec irregularitatem ex infamia facti. At, cum excommunicationem ipso facto incurrerint (Const. « *Sedis Apostol.* » ser. I. n. 1.) si intra annum, post sententiam declaratoriam excommunicationis incursae, satisfacere contempserint, incurrunt infamiam iuris.

Ab irregularitate ob haeresim etiam occultam incursa, solus R. Pontifex dispensat; sublata quoad hanc, per Bullam Coenae, facultate generali a Conc. Trid. Episcopis data dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis (2).

V. — **Irregularitas ex homicidio** (3)

181. Si Ecclesia a sanguine ita abhorret ut a suscipiendis Ordinibus arceat eos qui, etiam sine culpa, ad occisionem aut mutilationem aliorum concurrerunt, quanto magis repellere eos debuit qui culpabiliter ad mortem aut mutilationem proximorum suorum operam contulerunt: unde iam a primis saeculis inducta est haec irregularitas.

Homicidium *iniustum*, directe vel saltem indirecte *voluntarium* et *graviter peccaminosum* inducit irregularitatem totalem in eo qui *causa efficax* est homicidii.

182. **Notiones.** — Homicidium est *occisio hominis* ab *homine* facta, quocumque modo peracta fuerit; est *directe* aut *indirecte volontarium*, prout agens illud intendit, aut aliud

(1) Wernz n. 139. et 130. III. b.

(2) Sic Bened. XIV. *De Syn. dioec.* l. IX. c. 4. n. 5. sq.; Boenningh. I. p. 128. sq. Wernz n. 142.

(3) Lib. V. Decret. Greg. IX. tit. 10. sq.

sibi proponit, libere tamen ponens, sine causa proportionata, actionem ad quam scit mortem esse secuturam.

Homicidium volontarium est *dolosum* seu iniustum, si desit causa iusta intendendi aut permittendi mortem alterius.

Quando actio quae ponitur non est de se nata procurare mortem, vel saltem ignoratur esse talis, homicidium forte patratum est *casuale;* dicitur *mere casuale*, quando nulla negligentia intercessit, *casuale mixtum,* si culpa theologica (in conscientia) aut saltem iuridica (coram lege, ob defectum diligentiae a lege praescriptae) admissa fuerit.

183. Homicidium *iniustum. directe* aut saltem *indirecte volontarium* et *graviter peccaminosum*, *effecto secuto*, inducit irregularitatem totalem in eo qui *causa efficax* est homicidii. Dicitur: 1) *iniustum:* hinc qui vim vi repellit, cum moderamine inculpatae tutelae, vel qui a legitima potestate deputatus occidit, ut milites in bello iusto, hanc irregularitatem non incurrunt (etsi aliqui irregularitatem ex defectu incurrant);

2) *directe* aut saltem *indirecte voluntarium.* Unde si quis mero casu occiderit, non incurrit, at si homicidium fuerit *casuale mixtum,* inducitur irregularitas, ut postea statuetur;

3) *effecto secuto*, secus non (nisi specialis exceptio habeatur, ut olim pro assassinis [1];

4) irregularis est quisquis *causa efficax* est mortis, sive actione physica, ut si ipse percusserit, perforaverit etc., sive actione morali efficaci per mandatum, iussionem, consilium efficaciter influens. Sic in bello iniusto irregulares sunt qui proxime cooperantur occisioni ab aliis factae, eos nempe clamoribus etc. ad occisionem excitantes [2]. Dubium est an incurrat qui debuit, etiam ex iustitia, impedire nec impedivit mortem alterius.

Etiamsi homicidium fuerit occultum, certo incurritur irregularitas.

[1] Gasparri n. 409., *De assassinis*, cf. Wernz t. VI. n. 373.

[2] Dicimus in bello iniusto, nam in bello iusto non incurritur irreg. ex delicto, at ex def. lenitatis, et ab eis solum qui certo occiderunt, immo si bellum sit defensivum, a solis clericis qui sponte militant.

184. **Quaeritur.** — I. *Quid, si homicidium certo patratum fuit, dubium est autem utrum a tali fuerit procuratum?* Quando is causam posuit quae per se ad producendam mortem sufficiat, incurrit irregularitatem: si sacerdos fuerit, saltem partialem, qua a celebratione Missae prohibetur; si laicus, probabiliter a tonsura et Ordinibus arcetur (1).

II. *Quid si ante homicidium secutum, agentem poenituerit?* Si fuerit causa physica, incurrit, nam manet indecentia, quae est ratio irregularitatis (2); si fuerit mandans, iubens, immo probabiliter etiam consulens, et efficaciter revocaverit mandatum, non incurrit; secus, incurrit.

185. Homicidium *casuale mixtum*, graviter culpabile (in conscientia), inducit irregularitatem, dummodo praevisio quaedam mortis habita fuerit. Haec irregularitas incurritur, etiam si quis actioni *de se licitae*, v. g. venationi, operam daret, quoties gravis negligentia admissa est: irregularitas enim statuitur non ratione culpabilitatis actionis sed omissae diligentiae.

Immo practice irregularitas consideratur in foro externo ut incursa, etsi negligentia graviter culpabilis non fuerit.

Et si rei *illicitae* operam dederit, quae propter periculum homicidii prohibita fuerit, etiamsi adhibuerit diligentiam, secuta morte, incurrit; immo ex praxi S. C. C. etiam incurrit, si res illicita ob aliam rationem fuerit prohibita (3).

Procurantes abortum et ad id cooperantes, effectu secuto, irregularitatem incurrunt. Haec tamen non incurritur, nisi foetus pro *animato* habeatur, iuxta antiquas theorias, i. e. *practice* pro omni foetu post 80. dies a conceptione. A fortiori incurritur ob occisionem foetus per craniotomiam etc.

186. Mutilatio est abscissio membri: quo nomine venit pars corporis, proprium et distinctum officium habens, ut

(1) Wernz t. II. n. 145. ex cap. 12. 18. 24. X. de homic. V. 12. Cf. Boenningh. I. p. 24. sq.

(2) Gasparri n. 415.

(3) Gasparri n. 445.

oculus, brachium, pes, manus, lingua, non autem unus digitus, naris una. Abscissio intelligitur separatio, effossio, non autem laesio, etsi membrum reddat inutile, v. g. si quis veneno iniecto alterum excaecaverit.

Qui alium mutilat iniuste, voluntarie, directe vel indirecte, aut etiam casualiter, saltem cum gravi negligentia et effectu praeviso, irregularitatem incurrit, dummodo fuerit causa physica aut moralis efficax mutilationis.

Si tamen dubie est auctor mutilationis certae, non incurrit, ad differentiam cum homicidio dubio.

Si quis sibi ipsi membrum, immo etiam partem membri tantum absciderit, a fortiori si sese castraverit, est irregularis.

Articulus VIII

De iuribus et obligationibus clericorum

187. Postquam in praecedentibus articulis varia quae ad hierarchiam Ordinis pertinent, exposita sunt, ad complementum materiae hic agendum esset de iuribus et obligationibus eorum qui tali hierarchiae adscribuntur.

Iam ipse status simplicium fidelium baptizatorum, seu status *laicalis*, iura et obligationes importat, quae supra (n. 111.) breviter attigimus; clericis vero, pro sua supra laicos eminentia, iura et obligationes propriae competunt, quibus a laicis discriminantur. Alia omnibus clericis sunt communia, alia singulis gradibus hierarchiae Ordinis propria; quaedam a iure divino originem ducunt, quatenus in charactere sacramentali fundantur, quaedam a iure ecclesiastico et solent dici, etsi forte minus proprie, *privilegia* clericorum.

De potestate quae singulis Ordinibus competit, sufficienter pro intento nostro diximus, ubi de variis gradibus hierarchiae Ordinis (supra n. 116. sq.); de privilegiis clericorum non pauca in nostris Quaestionibus iur. eccl. publ.

praeoccupata sunt: de privilegio fori in Quaest. I. p. 78. sq., ubi de potestate iudiciali Ecclesiae, de eodem privilegio iterum cum aliis *immunitatibus* in Quaest. IV. (1) De privilegio canonis in t. II., in tractatu de censuris, agetur.

Unde sequitur hic fere nihil de iuribus clericorum dicendum superesse.

188. De obligationibus, certe plura possent hic addi et non immerito a multis auctoribus Institutionum canonicarum inseruntur (2). Ab hac tamen tractatione instituenda abstinendum duximus, praesertim quia quaestio de obligationibus clericorum, si breves quasdam notiones historico-canonicas demas, quales in schola Institutionum introduci possunt, fere totaliter ad praxim pertinet. Hinc non immerito professores Theologiae Moralis hanc sibi provinciam retinere intendunt (et ita practice in Universitate Gregoriana fit). Ceterum de quibusdam obligationibus alibi sermo erit, v. g. de obedientia canonica, ubi de beneficiatorum obligationibus (infra n. 272.), de coelibatu, ratione impedimenti Ordinis sacri in Tractatu de matrimonio.

Hac de causa et simul ut brevitati consulatur, tota illa materia ex proposito relinquetur (3), et statim ad Tractatum de hierarchia iurisdictionis transibimus.

(1) In Tomo II. adhuc de privilegio fori agetur, initio tractatus de iudiciis; de immunitate bonorum et locorum ecclesiasticorum, quae clericos *mediate* tangit, in eod t. II. tractabitur. Cfr. interim Quaest. select. e t. II. n. 59. 10. 41. sq.

(2) Cf. v. g. LAURENTIUS, *Inst. iur. eccl.* n. 107. seq.; BARGILLIAT, *Prael. iur. can.*, n. 343. sq.; AICHNER, *Comp. iur. eccl.* § 71. sq.

(3) Qui circa has obligationes practicas quaestiones evolutas quaerit, adeat auctores *Theologiae Moralis*, v. g. BUCCERONI t. II. n. 95. sq.; LEHMKUHL t. II. n. 771. sq.; BULOT, *Comp. Theol. Mor.* t. II. n. 56. sq.; TANQUEREY, *Synops. Theol. Mor. et pastor.*, t. III. n. 1023. sq. Qui canonicam potius expositionem desiderant, praeter auctores Institutionum supra allegatos adire possunt: FERRARIS, *Bibl. prompta*, v. *Clerici* art. 1. 3.-6. 8.; PHILLIPS, *Kirchenrecht*, t. I. § 61. sq.; WERNZ t. II. tit.; IX. X.; SANTI-LEITNER (cf. v. *Clerici* in Indice alphab.) etc.

PARS SECUNDA

De hierarchia iurisdictionis

Praenotandum

189. Sicut hierarchia Ordinis, ita etiam hierarchia iurisdictionis est partim institutionis *divinae*, partim institutionis *ecclesiasticae*. Ad institutionem divinam referendus est tum *Primatus apostolicus*, qui Petro eiusque successoribus a Christo Domino est collatus, tum *episcopalis* potestas, non solum quatenus supremus gradus in hierarchia Ordinis existit, sed etiam quatenus veram et perfectam iurisdictionem continet; nam « *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* » (Act. Apost. XX. 28.). Licet haec potestas, iuxta sententiam nunc communem et quae certa dici potest, *non immediate* a Christo sed *mediante R. Pontifice*, Episcopis transmittatur, licet etiam exerceatur *dependenter* a R. Pontifice, qui pro opportunitate eius limites extendere aut constringere potest, nihilominus ex institutione Christi, munus episcopale, cum potestate vera et plena iurisdictionis, legislativa, iudiciaria, coercitiva, semper existere debet in Ecclesia, tamquam communis et ordinarius modus gubernandi fideles (1).

(1) Cf. supra n. 9.; SUAREZ, *De leg.*, l. IV. c. 4. n. 3. sq.

Alii vero gradus iurisdictionis, sive medii inter Summum Pontificatum et Episcopatum, sive Episcopatui inferiores, sunt institutionis ecclesiasticae.

Immo in his etiam quae ad exercitium potestatis, tum pontificiae, tum maxime episcopalis, pertinent, plura a Christo immediate constituta non fuerunt, sed legibus canonicis determinata sunt: inde apparet cur in iure privato ecclesiastico de Episcopis et etiam de R. Pontifice agendum sit.

Antequam autem in specie de singulis gradibus hierarchiae iurisdictionis agatur, in Sectione Prima praemittendae sunt notiones aliquae de ipsa iurisdictione *in genere*.

Et cum iurisdictio ecclesiastica alicui muneri stabili, seu officio, annecti soleat, (sive institutionis divinae, ut est Episcopatus, sive mere humanae, ut est cura parochialis), huic vero officio, pro sustentatione titularis, communiter coniungatur beneficium, sequetur Tractatus de officiis et beneficiis ecclesiasticis, in quo varia tradentur circa eorum *erectionem, collationem* seu *provisionem,* necnon circa *obligationes* eorum qui officia et beneficia obtinent. Et sic habebitur Sectio Secunda de officiis et beneficiis ecclesiasticis.

In Sectione Tertia successive de variis gradibus eiusdem hierarchiae agetur.

SECTIO I

De iurisdictione in genere

Articulus I

Notiones et divisiones

190. **Notiones.** — Praeter alias acceptiones quas habet vox « *ius* », quae praesertim sequentes sunt: 1) sensu *subiectivo, facultas moralis* aliquid faciendi, omittendi, ab aliis exigendi; 2) sensu *obiectivo*, *lex* seu potius *complexus legum*,

quibus aliqua societas regitur; hoc vocabulum saepe audit: 3) *sententia iudicialis*, seu a iudice prolata, i. e. ab eo magistratu, qui publica auctoritate deputatus est ad cognoscendas et dirimendas controversias iuxta praescripta legis (1).

Ex voce « *ius* » secundum hanc ultimam significationem, derivatur vox « *iurisdictio* ». *Etymologice* iurisdictio designat actum quo *ius dicitur*, seu quo *sententia* iudicialis *profertur*; ordinarie vero sumitur pro *potestate* tales *sententias ferendi*, et sic communiter in iure Romano intelligebatur: « *potestas iudicandi et iudicia exequendi* ». Acceptio vero, non inaudita in iure Romano, communis vero in iure canonico, quae latius patet ac praecedens, ea est: *potestas publica, circa aliorum regimen et gubernationem.*

191. **Definitio iurisdictionis ecclesiasticae.** — Si de iurisdictione ecclesiastica in specie agitur, haec definiri valet: « *potestas publica regendi fideles, in ordine ad vitam aeternam consequendam, tum quoad intellectum per veritates fidei, tum quoad voluntatem per verum et proprie dictum imperium* ».

Dicitur: 1) potestas *publica*, quatenus ad bonum commune societatis ecclesiasticae ordinatur, et sic opponitur potestati *patriae, tutoriae*, quae est ad bonum privatum filiorum, pupillorum et intra muros domesticos exercetur (2);

2) *regendi* subditos in ordine ad *vitam aeternam:* sic signatur finis spiritualis et supernaturalis ad quem Ecclesia, tota quanta est, ordinatur;

3) per *magisterium* et *gubernationem,* tum *docendo* fideles, praesertim veritates fidei supernaturales, tum eos dirigendo per *verum* et *proprie dictum imperium*, i. e. non

(1) Cf. *Quaest. iur. eccl. publ.*, p. 3. sq.

(2) Inde sequitur potestatem fori interni minus stricte *iurisdictionem* dici. Ceterum potestas Ecclesiae in fideles latius patet quam potestas Status in cives: Ecclesia enim tum bonum privatum suorum subditorum tum bonum commune ipsius societatis ecclesiasticae procurare debet, utrumque *directe* et *immediate*. Status exteriorem tantum hominem dirigit, prout requiritur ad bonum commune societatis civilis obtinendum. Nihilominus sensu proprio iurisdictio illam designat potestatem quae *immediate* ad commune bonum ordinatur.

solum per suasiones, monitiones, sed etiam auctoritative praecepta eis imponendo, eosque moraliter obligando ad adhibenda certa media ut finem obtineant (1).

192. **Divisiones potestatis iurisdictionis.** — Iurisdictio ecclesiastica, de qua solum hic agitur, dividitur:

1) **ratione negotiorum** circa quae exercetur:

a) *in spiritualem* vel *temporalem*, prout versatur circa res spirituales Ecclesiae concreditas, v. g. administrationem Sacramentorum, aut circa res temporales, v. g. bona ecclesiastica, ceterum semper cum ordinatione ad finem spiritualem;

b) in iurisdictionem *fori interni* et *fori externi:* haec, ut antea notatum est, magis proprie dicitur iurisdictio: usu tamen recepta est divisio illa in iure nostro praxique Ecclesiae, et operae pretium est accurate eam intelligere.

Iamvero, pro modo communi loquendi auctorum, iurisdictio fori *externi* dicitur ea quae *primario* et *directe* ad bonum *commune societatis ecclesiasticae* tendit, seu « ad publicam corporis fidelium utilitatem » (Bargilliat n. 178.); « ordinat relationes sociales (membrorum Ecclesiae) atque exercetur publice in facie Ecclesiae et cum effectibus iuridicis et socialibus » (Wernz t. II. n. 4.).

Iurisdictio fori *interni* « *primario* et *directe* refertur ad *privatam* uniuscuiusque fidelis *utilitatem* » (Barg. l. c.); ordinat *relationes hominis* ad *Deum*, quatenus eius actiones *coram Deo* bonae sunt vel malae, ipsumque praemio aut poena dignum efficiunt: inde etiam dicitur *forum poli* (i. e. *coeli*), dum altera dicitur *forum fori* (scl. quae ad *iudicia* externa ordinatur).

At iurisdictio fori *interni* duplex est: *sacramentalis* seu *poenitentialis*, et *extra-sacramentalis;* prior exercetur in Sacramento Poenitentiae per absolutionem datam aut denegatam, per poenitentiam impositam; posterior extra Sacramentum exercetur, et generatim loquendo per omnia media quae

(1) De variis potestatibus quas in se comprehendit haec potestas gubernandi subditos late egimus in *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 69. sq.

ad curam animarum directam adhibentur. Sic is qui de simplici *confessario* fit *parochus,* sive ante sive post adeptam curam parochialem, iurisdictionem fori interni tantummodo habet: at antea per solam administrationem Sacramenti, nunc per praedicationem, catechismum, consilia, reprehensiones, varias disciplinares dispositiones quas in parochia sumit, iurisdictionem fori interni exercet.

Intelligitur etiam quid significet expressio: *absolvere, dispensare* in *foro interno:* considerantur nempe relationes hominis ad Deum, et indicatur tolli obstaculum unionis cum Christo, quod est peccatum aut censura, aut relaxari vinculum, quo homo erga Deum ligabatur, v. g. per votum.

Absolvere, dispensare in *foro externo*, significat: restituere fidelem coram facie Ecclesiae in eo statu externo, a quo per culpam deciderat, tollere effectus iuridicos publicos, qui ad censuram (vel forte ad vota publica) consequuntur.

Practice absolutio, dispensatio, data in foro *interno*, non valet nisi in ordine ad conscientiam eius cui datur, nec tenetur (quamvis possit) Superior ecclesiasticus eam in foro *externo* ratam habere; data in foro *externo*, valet pro *utroque* foro.

Iurisdictionem fori externi non habet parochus, bene vero aliquam « administrationem ad rectum parochiae ordinem » (Bucceroni t. II. n. 1088.); eam habent Episcopi et alii qui potestatem episcopalem aut quasi-episcopalem obtinent.

193. 2) **ratione subiecti,** in quo residet, dividitur iurisdictio:

a) in iurisdictionem *ordinariam* et *delegatam.* Ordinaria ea est quae *in* aliquo munere continetur, *vi* illius *muneris* exercetur. Munus hic intelligitur complexus quidam iurium et obligationum, quae alicui competunt in certas personas aut negotia: quisquis illud munus obtinet, simul haec iura hasque obligationes accipit, easque exercet *vi* muneris, tamquam *in* munere contentas.

Qui vero negotium tractat, quod ad munus alterius per-

sonae pertinet, ex *commissione* illius, agit tamquam *mandatarius*, *delegatus* alterius, seu potestate *delegata*. Et quamvis possit modo constanti simul *cum* aliquo munere conferri haec potestas, tamdiu manet *delegata*, quamdiu haec negotia ad potestatem *alterius* de se pertinere pergunt. Sic facultates in Religiosos exemptos, quas Tridentinum Episcopis delegavit, muneri episcopali manent extraneae, propriae vero R. Pontificis; hinc, quamvis simul *cum* munere episcopali tradantur, numquam tamen *vi* muneris, semper ergo ex potestate *delegata* exercentur.

Iurisdictio delegata triplici modo ordinari potest: 1) constituendo ad tempus aliquod *munus* ecclesiasticum, cui ex *commissione* Superioris potestas in certa negotia competat; 2) facultates quasdam modo constanti *cum* certo munere conferendo, ita tamen ut hae facultates extra iura et obligationes proprias talis muneris maneant; 3) potestatem ad aliquod negotium particulare concedendo.

Delegatio est *a iure*, quando ius commune determinat aliquas facultates modo constanti simul cum aliquo munere esse conferendas: sic Tridentinum plura iura in Religiosos exemptos Episcopis, tamquam delegatis S. Sedis, attribuit; est *ab homine*, si mandatum accipitur a Superiore. Et committi potest *personae* aut *officio*, v. g. Ordinario dioecesano: haec manet, mortuo titulari officii et ad successorem transit; illa exspirat cum morte delegati.

Delegatio quae ad *unicum* negotium restringitur, dicitur *specialis*; *universalis* extenditur ad *omnes* causas, saltem *unius generis*, v. g. curae parochialis, aut *unius speciei*, puta causas matrimoniales.

b) in iurisdictionem *propriam* et *vicariam*. *Propria* ea est quam quis exercet nomine *proprio*, scilicet quia titulum habet, seu titularis est muneris ad quod talis iurisdictio spectat. Est *vicaria*, quando eam exercens, quasi personam alterius agit et propriam exuit, non tantum ex alterius *commissione*. Sic Vicarius generalis, Vicarius capitularis, qui nomine Episcopi aut Capituli, sede episcopali

vacante, agit (1). Quando autem, ut hisce in casibus, existit munus *stabile*, a iure communi determinatum, quod sic constanter *nomine alterius* exercetur, potestas tali muneri adiecta merito dicitur *ordinaria*, manens tamen semper *vicaria* (2).

c) in iurisdictionem *personalem* et *collegialem*. Iurisdictio dicitur *personalis*, si ab uno exercetur; *collegialis*, si ab aliquo coetu. Personalis est Episcopi iurisdictio, collegialis, quae a Concilio tum oecumenico tum provinciali exercetur. Potest Episcopus in sua curia aliquod collegium iudicum constituere, quod auctoritate eius, praesidente Officiali aut Vicario generali, iudicet; sed illud collegium supponitur unica persona cum Episcopo et ab eo non ad Episcopum sed ad tribunal superius (generatim Metropolitae) appellatur.

d) in iurisdictionem *immediatam* vel *mediatam*, prout is qui ea gaudet eam *per seipsum* vel *tantum* per alios *intermedios* exercere valet. Sic Capitulum cathedrale, vacante sede episcopali, iurisdictionem quidem habet, at eam per Vicarium capitularem, non per se, exercet. Sententia quae tenebat R. Pontificem in singulos fideles iurisdictionem tantum mediatam habere, a Conc. Vaticano explosa est (3).

194. 3) **ratione extensionis** habetur iurisdictio:

a) *universalis* quae ad totam Ecclesiam se extendit: haec soli R. Pontifici aut Concilio oecumenico simul cum Papa competit; aut *particularis* quae ad aliquam partem,

(1) Cf. infra, ubi de Vicario generali et capitulari agemus. WERNZ t. II. n. 805. II., 795. III.

(2) Interest notare quo sensu Ecclesia (aut R. Pontifex) dicatur exercere potestatem *propriam* aut *vicariam*. *Propriam* exercet, quando haec ipsi competit ex conceptu societatis perfectae, ut quando leges de cultu, de ritibus etc. condit; *vicariam*, quando, *nomine* scilicet Dei et eius *vices* agens, quaedam iura exercet quae Dei sunt propria, ut si in votis, iuramentis, in matrimonio rato non consummato dispenset. Patet limites talis potestatis vicariae ex sola revelatione explicita aut implicita cognosci posse; ceterum de hac iam aliquid diximus (n. 39. in nota) et adhuc dicemus ubi de potestate R. Pontificis.

(3) Sess. 4. c. 3. DENZ.-BANNW. n. 1827. 1831.

puta dioecesim, aut ad aliquas personas aut certas materias restringitur.

b) *territorialis* quae ad *certum locum* restringitur et *personas* attingit, *mediante loco; personalis,* quae ad *certas personas* determinata est, quas *immediate,* non mediante loco attingit. Potest iurisdictio esse *simul personalis* et *territorialis:* tunc aliquis, *mediante loco*, subditus fit, at *extra locum* attingi potest saltem quoad quaedam.

Iurisdictionem mere *territorialem* exercere nequit Superior, nisi in territorio versetur; *personalem* vero, ubicumque est; *simul personalis* et *territorialis* exercetur a Superiore extra territorium constituto, quatenus est *voluntaria; contentiosa* generatim non nisi sit in territorio (1).

195. 4) **ratione formae** habetur iurisdictio:

contentiosa vel *non-contentiosa* seu *voluntaria:* prima exercetur cum forma iudiciali, et dicitur: *civilis,* si lis est de bono privato; *criminalis,* si agitur de bono publico per culpam laeso; – altera extra iudicium exercetur et sensu proprio ea est quae in volentes exercetur, v. g. per absolutionem, beneficii collationem, privilegiorum concessionem.

Articulus II

De collatione iurisdictionis

Iurisdictio, ad differentiam *Ordinum*, non per ritum sacrum sed per mandatum auctoritativum Superioris, seu per *missionem canonicam,* confertur (2). In nulla societate, at multo minus in Ecclesia, quae ab ipso Christo tamquam societas inaequalis constituta est, aliquis auctoritatem exercere potest, nisi a Superiore ad eamdem deputatus fuerit.

(1) Requiritur nempe etiam consensus Ordinarii loci necnon ipsarum partium. Cf. Bargilliat t. I. n. 180., t. II. n. 1551. Excipitur casus Episcopi vi a sua dioecesi expulsi. Cf. Wernz t. V. n. 314.

(2) Cf. supra n. 114.

Variae autem requiruntur conditiones in *conferente*, in *collatario*, in *actu collativo*, ut iurisdictio tum *valide* tum *licite* conferatur, quae conditiones diversae sunt a conditionibus sive pro validitate sive pro liceitate Ordinationis requisitis.

Quae ad licitam iurisdictionis collationem pertinent, tota sequenti tractatione de hierarchia iurisdictionis passim indicabuntur; hic autem inutile non erit, compendiose tradere conditiones, quae ad collationis validitatem requiruntur.

196. **I. Conditiones ex parte conferentis.** — Debet: 1) ipse *iurisdictionem habere*, saltem *eminenter*, si non *formaliter* eamdem: nam nemo dat quod non habet; — 2) *posse* eam *transmittere*. Nam non repugnat aliquem potestate quadam indui, quam tamen aliis committere nequit, ob prohibitionem explicitam aut implicitam sui Superioris. Quae prohibitio aliquando ipso iure divino existere potest: sic R. Pontifex nequit alteri infallibilitatem in rebus fidei, qua ipse gaudet, committere. Qui autem infra Rom. Pontificem iurisdictionem obtinent, a suo Superiore prohiberi possunt, ne aliis iurisdictionem suam transmittant.

De iure communi, qui infra R. Pontificem potestatem *ordinariam* et *propriam* habent, eam transmittere possunt, sive *totam* sive *quoad partem*, sed solummodo *ad tempus*. Dicimus: *ad tempus tantum;* secus enim constituerent novum aliquod *munus*, quod solus nunc potest Rom. Pontifex. Immo Papa, quamvis summo pontificatui renuntiare valeat, nequit, ipsum conservando, in alterum modo perpetuo omnia iura et obligationes sui muneris transferre: mutaret enim essentialiter constitutionem Ecclesiae.

Qui habet potestatem *ordinariam*, at *vicariam tantum*, probabiliter nequit, ne ad breve tempus, eam *totam* alteri committere ([1]).

Qui obtinet iurisdictionem *delegatam universalem*, de iure communi potest *unam* vel plures causas subdelegare.

Qui *delegationem particularem* habet a *R. Pontifice*, sub-

([1]) Wernz t. V. n. 107. not. 140.

delegare eam potest, nisi hoc ei interdictum fuerit (1); qui ab *alio Praelato*, subdelegare nequit negotium sibi commissum, nisi ei specialiter permissum fuerit (2).

197. **II. Conditiones ex parte collatarii.** — Requiritur: 1) *Baptisma validum*, seu character baptismalis, et quidem de *iure divino:* repugnat enim aliquem iurisdictionem in fideles, et superioritatem in Ecclesia obtinere, qui ne membrum quidem eius est (3);

2) *sexus masculinus*. Certum est quidem *feminam* iure *divino* exclusam esse ab *Ordinatione* recipienda; disputatur utrum eodem iure sit incapax *iurisdictionis* ecclesiasticae, et affirmandum videtur; at certe saltem ius *ecclesiasticum* eam excludit, ut ex constanti praxi Ecclesiae et doctrina auctorum constat, quae utraque verbis Apostoli innititur: « *Mulieres in Ecclesia taceant* » (I. Cor. XIV. 34. seq.) « *Docere autem mulieri non permitto* » (I. Timoth. II. 11. sq.). Quibus verbis *explicite* feminis interdicitur praedicatio, at *de consequenti*, immo *a fortiori*, exercitium iurisdictionis. Casus aliquando in contrarium allati apte explicantur per aliquam *externam* iurisdictionem (seu regimen), quae v. g. Abbatissis, Priorissis competere potest etiam in clericos (4). Sic etiam Superiorissa, quando in legibus Ecclesiae dispensare dicitur, quod iurisdictionem insinuare videtur, simpliciter declarat locum esse dispensationi ab alio concessae (5);

3) requiritur *status clericalis* saltem per primam tonsuram acquisitus: sed haec praescriptio a iure ecclesiastico eoque solo est repetenda, cum ipsa tonsura certe institutionis ecclesiasticae sit, quam proinde mutare posset Ec-

(1) Potest prohiberi *explicite* aut etiam *implicite;* quod ultimum habetur: 1) si constet personam eius electam fuisse ob singularem solertiam aut industriam; 2) si mera executio alicuius sententiae ipsi commissa fuit.

(2) Quamvis aliquam partem negotii, praesertim si iurisdictionem non exigit, v. g. ad sumendas quasdam informationes, alicui committere valeat. De his cf. WERNZ t. V. n. 107.; OIETTI, *Synopsis* v. *Delegatio*.

(3) Cf. tamen infra n. 200. ubi de titulo colorato.

(4) PRÜMMER t. I. q. 55.

(5) VERMEERSCH, *De relig. Inst. et pers.* t. I. n. 453.

clesia, iurisdictionem conferens his qui ea non sunt insigniti. Ceterum simplex laicus in Papam forte electus, statim ac acceptaverit, plenam iurisdictionem in Ecclesiam obtinet;

4) *immunitas ab excommunicatione aut irregularitate:* qui est excommunicatus *vitandus* nequit iurisdictionem adipisci, immo iam obtentam ipso facto amittit; *toleratus* obtentam retinet at novam acquirere nequit; item neque *irregularis*, saltem si iurisdictio requirit exercitium Ordinis qui ipsi est prohibitus (1).

Et haec sufficiant, cum plura sint dicenda ubi de qualitatibus requisitis pro obtinendo officio et beneficio (2).

198. **III. Conditiones ex parte actus collativi.** — 1) Is debet esse *liber:* unde quidquid libertatem tollit, actum reddit invalidum. Disputatur utrum *metus* gravis, iniustus, incussus in ordine ad collationem, eam *ipso facto invalidam* faciat; at certe est ad minus *rescindibilis;*

2) debet *signo externo manifestari*, quod signum ius commune non determinavit, utrum v. g. *scripto* an *certis verbis:* sufficit ergo indicium collationis certum. Quin immo *tacita* collatio, quae altero actu certe indicatur, aliquando sufficit; v. g. si quis parochus renuntiatur, iurisdictionem ad confessiones audiendas accipit. At nequaquam sufficit *praesumpta* collatio: nam etsi *concederetur* iurisdictio, v. g. si peteretur, interim tamen non conceditur nec existit. Si vero concessa fuit, notitia tamen concessionis nondum pervenit, qui ea utitur *illicite* agit, sed *valide*, nisi ius positivum in quodam casu exigat aut notitiam acceptam ad hoc ut valide exerceatur iurisdictio, aut forte alias conditiones, v. g. quod Episcopus litteras suae confirmationis Capitulo ecclesiae cathedralis praesentaverit;

3) *acceptatio collationis* requiritur, nisi conferens *possit* et *velit* iurisdictionem imponere. Ad differentiam enim Ordinis qui valide non accipitur, si Ordinandus interne dissentiat, munus etiam invito a proprio Superiore conferri potest,

(1) Wernz t. II. n. 198. De prohibitione irregularium cf. supra n. 163.
(2) Cf. infr. n. 225. sq.

ita ut, velit nolit, iura et obligationes in munere contentas subditus obtineat. Hoc autem fieri non solet; praesumitur tamen *subditus* non esse invitus et acceptare, nisi positive contradicat; e contra si conferentis *subditus non fuerit,* non praesumitur eius acceptatio, at de ea constare debet.

199. **Scholion. De titulo.** — Quaestioni actus collativi arcte connectitur quaestio de *titulo.*

Titulus saepe intelligitur *scriptum* aliquod, quo de potestate seu iure alicuius constat; in iure canonico intelligi solet *actus*, quo confertur potestas peragendi munia ecclesiastica; cuius actus scriptura non est nisi manifestatio.

Titulus dicitur *verus* si nullo vitio essentiali laborat, secus est *falsus* et tunc iterum potest esse: *fictus* (putatus, existimatus), *simpliciter nullus* seu *invalidus*, *coloratus.*

Dicitur *fictus*, quando putatur existere, quamvis re vera desit: ut si quis se *fingat* missum a Superiore qui eum non misit, vel ostendat quidem documentum at pro altero datum, aut pro se sed pro alio loco vel tempore.

Invalidus seu *simpliciter nullus* est titulus ab eo procedens, qui auctoritatem conferendi non habet, vel datus in favorem illius qui evidenter iurisdictionem obtinere nequit, puta quia est excommunicatus aut haereticus notorius.

Coloratus est titulus ab eo qui potestatem habet concessus, ita ut *apparenter* omnia recte procedant, sit tamen *invalidus* ob defectum *occultum:* v. g. si parochia collata fuerit a Vicario generali, qui mortem Episcopi sui ignorat, aut collata excommunicato occulto, aut cum vitio simoniae occulto.

Cum casus accidere possint et accidant, in quibus titulus *falsus* habeatur, magnopere interest scire quid de valore actorum iurisdictionalium sentiendum sit, qui ab habente titulum falsum procedunt.

200. **Principium** hoc statui potest: Ecclesia certo supplet iurisdictionem, posito *titulo colorato* cum *errore* vere *communi* et *probabili*, modo *non adsit impedimentum* iuris *naturalis* aut *divini.*

Omnes enim canonistae testantur admissam fuisse in

iure canonico Legem « *Barbarius* » 3. Dig. de officio praetoris I. 14., vi cuius validi declarabantur actus iurisdictionis a *servo* exercitae, qui servus esse *ignorabatur* (1). Ratione boni communis admissa est ab Ecclesia haec dispositio, ob grave damnum quod pro fidelibus resultaret, ex nullitate absolutionum, matrimoniorum, collationis beneficiorum. Ecclesia ergo, ut pia mater, eo casu iurisdictionem supplet, ita ut actus sint validi in utroque foro.

Requiritur tamen error *communis* et *probabilis* circa valorem tituli: *communis* dicitur error in quo omnes vel plerique versantur, saltem in loco ubi exercetur iurisdictio; *particularis*, scl. alicuius aut aliquorum, non sufficit (2), — *probabilis* dicitur ad exclusionem erroris *crassi* et *supini*, qui evidentem legis ignorantiam supponeret, ut si quis excommunicatus denuntiatus pergeret in exercendo munere.

Requiri errorem communem et probabilem, tum ex lege « *Barbarius* », tum ex ipsa ratione deducitur; tunc enim solum, bonum commune inclinat Ecclesiam ad supplendam iurisdictionem.

Nec adesse debet impedimentum iuris sive naturalis sive divini, qualis esset carentia rationis, carentia Ordinis requisiti: Ecclesia enim nec vult nec potest tali defectui mederi (3).

Quaeritur autem I. Utrum Ecclesia suppleat iurisdictionem, quoties *error* est *communis*, *deficiente* etiam *titulo colorato*? Plures affirmant (4), multi negant (5), unde *probabiliter tantum* supplere Ecclesiam dicendum est, et actus non

(1) Cf. Grati. post can. Infamis 1. C. III. q. 7.

(2) Probabilius etiam is qui scit errorem, non excluditur a beneficio illius iurisdictionis, nam Ecclesia illam relate ad omnes supplet.

(3) Cf. Boenninghausen, *De irreg.* I. p. 15. ubi agit de non-baptizato qui parochus putatur, et tenet eius actus, qui non exigunt potestatem Ordinis, validos esse. Item Schmalzgr. in l. III. tit. 43. n. 6.

(4) Sic Schmalzgr. in l. II. tit. 1. n. 21.; D'Annibale, *Summ.* t. I. n. 79.

(5) Pirhing in tit. 1. l. II. n. 84. sq., saltem si intrusus mala fide agat; Sanchez, *De matrim.* l. III. disp. 22. n. 49.

sunt certo validi; tenet tamen S. Alphonsus posse aliquem uti hac probabilitate in casu necessitatis vel magnae utilitatis, at generatim *monendo* illum erga quem potestas exercetur (1).

II. Utrum *licite* utatur iurisdictione, qui habet titulum *coloratum* (in casu erroris communis?) *Resp.* Requiritur *necessitas*, aut *specialis utilitas* et causa *rationabilis;* secus *valide* quidem agit nam Ecclesia etiam tunc defectum supplet, at *illicite,* cum Ecclesia non censeatur velle huic exercitio potestatis mere suppletoriae, iusta deficiente causa, connivere; deberet ergo interea sese abstinere et ad Superiorem recurrere, ut defectui remedium afferatur (2).

SECTIO II

De officiis et beneficiis

Articulus I

Notiones et divisiones

201. **Praenotandum,** — Ad administranda bona *temporalia,* quae in dominio eius sunt, creat Ecclesia munera, functiones, officia quae temporalia sunt et pro quibus retributio seu stipendium conceditur; de his ibi non curamus. At viri etiam qui munera *spiritualia* agunt, v. g. qui Sacramenta administrant aut parochiam gubernant, victu et sustentatione indigent, et ad eam ius habent, nam « *dignus est operarius mercede sua* » (I. Timoth. V. 18.). Modus quidem sustentationem necessariam praebendi varius est: potest

(1) S. Alph. l. VI. n. 573. Cf. Lehmk., *Theol. mor.* t. II. n. 502. sq.; Noldin, *De sacram.* n. 354. sq.

(2) Bargilliat n. 208.

annuum stipendium constitui illi qui officium spirituale exercet; potest etiam officio tali quaedam bonorum copia ita adnecti ut modo constanti simul cum munere conferatur ius ad reditus illorum bonorum obtinendos. Inde habemus notionem officii et beneficii: vox « *officium* » ad curam spiritualem refertur, vox « *beneficium* » ad sustentationem illius, qui in spiritualibus occupatur, seu designat bona quaedam, ex quorum fructibus sustentatur.

202. **Definitio officii.** — Officium spirituale, *subiective* consideratum, designat *gradum* quemdam *iurisdictionis* ecclesiasticae quoad certas personas, causas, loca; *obiective spectatum, est ius exercendi*, nomine proprio et ratione stabili, *iura* quaedam et *onera* spiritualia (1). Definiri potest: *munus stabile ab ecclesiastica auctoritate erectum ad exercendam aliquam potestatem Ordinis aut iurisdictionis ecclesiasticae.*

Dicitur *munus stabile*, nam non vocatur *officium* transitoria cura circa aliquod negotium tractandum, v. g. aliquod iudicium exercendum;

ab ecclesiastica auctoritate erectum. Sicut enim ad societatem civilem pertinet suorum magistratuum constitutio, sic Ecclesiae est eos deputare, qui aliquod munus ad finem eius obtinendum exercebunt;

ad exercendam aliquam potestatem Ordinis, v. g. praedicationem, Missae aut Officii divini celebrationem, *aut iurisdictionis*, v. g. administrationem parochiae. Potestas *Ordinis* hic spectatur, non ut procedit ab Ordinatione, sed a deputatione per Ecclesiam vel per Episcopum facta, ut est recitatio Officii divini nomine Ecclesiae facienda.

203. **Definitio beneficii.** — Beneficium ecclesiasticum est « *ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiae, officio sacro sive spirituali ab auctoritate ecclesiastica adnexum* » (2).

Dicitur *ius percipiendi reditus* et sic distinguitur ab *officio*, quod significat exercitium alicuius potestatis et per-

(1) WERNZ t. II. n. 240.

(2) WERNZ n. 240.; cf. SCHMALZGR. in l. III. tit. 5. n. 2. sq.

tinet ad administrationem spiritualem, *beneficium* vero ad temporalem sustentationem. *Ius* illud intelligitur *plenum,* scl. secum trahens potestatem bona administrandi quorum reditus percipiuntur; at cum praecipua res et propter quam beneficium est institutum, sit fructuum perceptio ad sustentationem, haec potius in ipsa definitione signatur;

ex bonis ecclesiasticis, non ex bonis *laicalibus*, ut si haberetur capellania laicalis cuius titularis ex bonis familiae aleretur, apud quam servitia spiritualia praestat;

officio sacro vel spirituali adnexum, non autem temporali, v. g. sacristae, organa pulsantis, etc.

ab auctoritate ecclesiastica: nam connexio illa inter fructuum perceptionem et munus exercendum per ipsam Ecclesiam constitui debet; nec mirum, cum ipsa sola de suis bonis disponere valeat. Nec existit beneficium, nisi huiusmodi stabilis connexio habeatur, ita ut officium obtinens simul ius sortiatur, fructus ex certis et determinatis bonis percipiendi.

In definitione addebatur ius *perpetuum* percipiendi etc. At distingui potest *perpetuitas* quaedam *obiectiva* et *perpetuitas subiectiva.* Prior in hoc consistit quod modo stabili et constanti assignentur certa bona ecclesiastica ad reditus procurandos, quibus sustentabitur titularis alicuius officia, quae bona dicuntur *dos* beneficii: *talis perpetuitas* est necessaria et beneficio essentialis. *Subiectiva* perpetuitas habetur, si beneficium ad vitam conferatur. Haec probabiliter non est de essentia beneficii, at ex praxi Ecclesiae beneficia ordinarie in perpetuum, i. e. ad vitam beneficiati, sunt conferenda (1).

204. **Conclusio.** — Omne *beneficium* supponit et *in obliquo* dicit *officium*, at *non e converso.* Nam ius percipiendi reditus semper ad honestam sustentationem vel remunerationem spectat illius qui officium aliquod spirituale implet, unde beneficium *in recto* quidem et *formaliter* ius ad reditus dicit, *in obliquo* tamen et *virtualiter* spirituale officium signat

(1) SCHMALZGR. in l. III tit. 5. n. 4.; WERNZ t. II. n. 240. II. v. fin.

E contra possunt existere et de facto existunt officia, quibus non adnectatur ius ad certos et determinatos fructus ex bonis ad hoc constanter et stabiliter assignatis percipiendos. Sic Vicarius generalis certe *officium* habet, at non solet sustentatio eius per beneficium aliquod procurari, sed ex bonis mensae episcopalis de convenienti stipendio ipsi providetur.

Cum tamen *regulariter* officia spiritualia adiuncta habeant beneficia, saepissime voces illae promiscue adhibentur, et praesertim vox beneficii ad utrumque designandum usurpatur: ex contextu apparebit quodnam elementum designetur, utrum illud quod *directe* et *formaliter* includitur, scil. ius reditus percipiendi, an potius alterum quod *ex obliquo* et *virtualiter* indicatur, i. e. officium spirituale.

205. **Divisio officiorum et beneficiorum.** — I. Ratione *potestatis* et *dignitatis* distinguuntur: 1) officia (et beneficia) *maiora* et *minora*. *Maiora* sunt episcopatus et supra, et *plenam* potestatem etiam *fori externi*, legiferam, iudiciariam, coercitivam includunt; *minora* sunt infra episcopatum et ipsis deest ista plena potestas: talia officia habent Praelati in Curia Romana, Abbates, Archidiaconi, canonici, parochi. Aliquando dicuntur beneficia maiora *Abbatiae*, praesertim « *nullius* » i. e. nulli Episcopo subiectae, in quibus Abbas fere iisdem iuribus gaudet atque Episcopus.

Si *aliqua* iurisdictio *fori externi* confertur, habentur *dignitates*, secus *non-dignitates:* omnia beneficia maiora, ut patet, sunt *dignitates* (et quidem *maiores*); at praeterea illa iurisdictione gaudent quaedem officia minora (*dignitates minores*), cuiusmodi sunt officia Vicarii generalis vel capitularis, praelaturae Ordinum regularium. *Lato sensu* dicitur dignitas omne officium, cui aliqua *praerogativa honoris* et *praecellentiae* attribuitur (Praelatus in Curia Rom., nobiliores inter canonicos), quamvis nulla iurisdictione in foro externo hodie saltem gaudeant;

2) officia *curata* vel non *curata*, prout ipsis adnectitur vel non cura animarum saltem in *foro interno*. Saepe sub nomine *officii curati* intelligitur *parochiale:* at etiam episcopatus est officium curatum;

3) *simplicia* vel *duplicia*. Plures auctores vocant *simplicia*, beneficia *non residentialia* (de quibus infra); generatim vocantur simplicia illa quibus *sola* obligatio *officii divini* recitandi sive in choro sive extra chorum incumbit, vel forte etiam onus Missam celebrandi. Vix autem praeter illam, alia additur obligatio, habetur beneficium *duplex*, v. g. si animarum cura adiungatur, vel administratio quaedam ecclesiastica, ut officium thesaurarii in Capitulo, vel quaedam iurisdictio fori externi, etiamsi non constanter exerceatur: hinc omnes canonicatus in ecclesia cathedrali sunt beneficia duplicia, iam ex eo quod sede vacante iurisdictionem exerceat Capitulum.

206. II. Ratione *personae* cui conferuntur, beneficia sunt: 1) *saecularia* vel *regularia*, prout, ordinarie et seclusa exceptione legitima, solis clericis *saecularibus* aut solis *regularibus* conferuntur (1);

2) *compatibilia* vel *incompatibilia*, prout simul haberi possunt ab eodem vel sese invicem excludunt (2).

207. III. Pro *obligatione residentiae* habentur beneficii *residentialia*, quae beneficiatum ad continuam commorationem in loco, ubi officium exercetur, obligant, secus non-residentialia. Generatim beneficia *curata* vel *choralia* sunt residen-

(1) Praelaturae regulares (quae ceterum non sunt proprie beneficia, at tantum officia) *natura sua* solis regularibus sunt conferendae; sed insuper ob incorporationem monasterio regulari potest saeculare beneficium fieri regulare *per accidens*, ut infra de unione et incorporatione adnotabitur (n. 215);

(2) Prohibuit Tridentinum ne retinerentur in diversis locis duo beneficia quae residentiam exigunt, immo etiam beneficia duo quaecumque, nisi ob insufficientiam redituum; tunc *simplex* cum altero cumulari permisit, dummodo utrumque residentiale non sit. Si alicui beneficiato confertur beneficium incompatibile cum priori iam obtento, vel illud *prius est dimittendum* (incompatibilitas primi generis) vel etiam *ipso facto* vacat, statim ac alterum pacifice erit possessum (incompatibilitas *secundi* generis), qui modus post Tridentinum, iuxta plures Auctores, unice viget. WERNZ t. II. n. 317. 319. ex Trid. sess. 7. c. 4., sess. 24. c. 17. de ref. HERGENRÖTHER-HOLLWECK, *KR.* n. 579. not. 9.; SÄGMÜLLER, *KR.*, § 66. contra alios. Cfr. infra ubi de beneficiorum vacatione n. 280.

tialia, non autem semper: potest enim quis teneri *aliquoties* tantum in anno praedicare et confessiones audire vel Officium divinum recitare in aliqua ecclesia.

IV. Pro *modo collationis* habentur beneficia *liberae* vel *necessariae collationis*. Quod ut bene intelligatur, notandum est duo diversa esse: 1) conferre potestatem aliquam, v. g. iurisdictionis;

2) *designare* personam cui conferenda sit. Si *conferens* potestatem, habet etiam ius *libere designandi* personam, dicitur beneficium collationis *liberae;* si *tenetur* eam conferre personae quae ipsi ab alio designetur, collatio dicitur *necessaria:* illa designatio praesertim fit: 1) per electionem a corporatione ecclesiastica (cf. n. 232. sq.); — 2) per nominationem a gubernio civili (infra n. 240. sq.); — 3) per praesentationem a patrono (infra n. 257).

V. Tandem pro ratione temporis ad quod confertur beneficium, dicitur *titulare* aut *titulatum* si *in perpetuum*, i. e. ad vitam beneficiati, *manuale* autem, si *ad tempus* vel *ad nutum* conferentis tribuitur.

Articulus II

De erectione officiorum et beneficiorum

208. **Notiones historicae.** — Prioribus Ecclesiae saeculis sustentationi clericorum sicut et aliis necessitatibus cultus vel caritatis praesertim per fidelium oblationes providebatur; qui modus, crescente clericorum numero et multiplicatis bonis immobilibus Ecclesiae, paulatim immutatus est. Iam saec. VI. occurrunt in Gallia et Hispania exempla clericorum, quibus per modum *precarii,* i. e. commodationis ad arbitrium commodantis, agri quidam in usum dati fuerant. Saec. IX. et multo magis inde a saec. XI. usus invaluit coniungendi in perpetuum quaedam bona ecclesiastica cum officiis quae clericis ad vitam concedebantur, simul cum iure illorum bonorum reditus percipiendi. Quae *beneficia*

primum in ecclesiis ruralibus et parochialibus, postea in Capitulis etiam introducta sunt, sub forma *praebendarum* distinctarum, quae singulis canonicorum officiis adnectebantur ([1]).

209. **De ipsa erectione officii et beneficii.** — *Erectio originaria* seu *constitutio* officii est actus quo Superior competens determinat existere debere in Ecclesia aliquod munus spirituale, cui talia iura et tales obligationes connectantur. Sic Christus Dominus constituit *Summum Pontificatum* seu *R. Pontificis Primatum*, cum plena iurisdictionis potestate in omnem Ecclesiam quoad omnes et singulos pastores et fideles; sic etiam *episcopatum* instituit, cuius essentiam determinavit in potestate sanctificandi, docendi, regendi fideles per leges, iudicia, coactionem, consistere, relicta suo in terris Vicario potestatem limites huius episcopalis muneris coarctandi vel dilatandi.

Ceteri gradus hierarchiae iurisdictionis, sive supra sive infra episcopatum, sunt institutionis ecclesiasticae et ab ipso R. Pontifice immediate vel mediate sunt creati seu *erecti*.

210. At alio sensu *erectio* dicitur quando aliquod officium, cuius iura et obligationes iam determinata sunt, per auctoritatem competentem *in tali loco* constituitur, v. g. quando episcopatus novus vel parochia nova creatur. Hoc sensu intellecta *erectio officii* definiri potest: *actus auctoritatis competentis quo aliquod officium, seu complexus aliquis iurium et obligationum spiritualium, in certo loco exercendarum, constituitur.* Sic Episcopus in loco olim deserto, ubi nunc multi homines confluxere, constituit officium parochiale, scil. illum complexum iurium et obligationum, quae ad curam animarum in foro interno exercendam pertinent.

Quod si simul vel postea certam partem bonorum ecclesiasticorum assignet, quorum reditibus alatur rector parochiae, assignatio *perpetua* illorum bonorum ad sustentationem parochi est *erectio beneficii parochialis*.

Hinc erectio beneficii est *actus auctoritatis competentis*

([1]) Cf. FOURNERET, in *Dictionnaire de Théol. cathol.* v. *Biens ecclésiastiques*, col. 849. sq.

quo constituitur ut is qui certum officium spirituale obtinet, ius habeat reditus ex certis bonis temporalibus Ecclesiae percipiendi. Haec bona dicuntur *dos beneficii;* qui ea bona Ecclesiae dedit ad beneficium constituendum est *fundator;* ut quis fundator beneficii fiat, praeter liberalitatem nil requiritur. At ipsa *erectio* sive officii sive beneficii ad solos Superiores ecclesiasticos pertinet, ut ex dictis in num. praecedenti satis constat.

211. **Cuinam competat erectio officii vel beneficii?** — I. *R. Pontifex,* ex plena sua et universali potestate, *quaelibet* officia et beneficia, eaque *ubique,* erigere potest; de facto *aliquorum* erectionem sibi *reservat,* relicta aliis Praelatis aliorum erectione. Ex praxi nunc vigenti R. Pontifex solus *episcopatus* erigit, dum per XI. priora saecula haec erectio per Concilia provincialia aut nationalia vel per ipsos Patriarchas, Primates, Metropolitanos exercebatur, aut tandem ex auctoritate magis immediata ipsius R. Pontificis per Vicarios Apostolicos aut Legatos: constat enim ex historia Occidentalis Ecclesiae, quomodo Papae viros apostolicos ad infideles convertendos mittentes, ipsis potestatem traderent episcopatus condendi et Episcopos instituendi (v. g. in Scotia, Anglia, Germania per SS. Palladium, Augustinum, Bonifacium) (1).

In aliis regionibus, praesertim Orientis, contenti erant Rom. Pontifices suam potestatem exercere, aut normas generales in erectionibus observandas statuentes, aut normas in Conciliis iam stabilitas approbantes et urgentes, aut tandem abusus reprimentes. Quibus modis, sicut iam per ipsam Patriarcharum confirmationem, satis manifestabant suam supremam auctoritatem in huiusmodi negotia.

Quod sit paulatim erectiones illas ad se avocaverunt sibique reservarunt, historice constat eos ob socordiam et abusus Praelatorum inferiorum ad hoc inductos fuisse, nec ullus ibi abusus, ulla usurpatio deprehendi potest, uti docte ostendunt Phillips, Bouix et alii auctores, contra iniustas

(1) Wernz t. II. n. 244. et n. 734. 735.

detractiones Febronii et aliorum adversariorum potestatis papalis. Ius enim ab initio habuit Papa, quamvis illud *noluerit* vel etiam *practice non potuerit* (1) ob adiuncta exercere.

Insuper R. Pontifex *solus* nunc erigit *praelaturas regulares*, potius tamen *indirecte*, quatenus eius consensus requiritur ad fundandam novam domum religiosam; item ipse *solus* erigit *Capitula* sive *cathedralia* sive *collegiata* (per S. C. Consistorialem), et *dignitates* etiam *minores*, v. g. quae in Capitulis specialem honoris praerogativam obtinentes titulo dignitatis adhuc insigniuntur.

212. II. *Episcopus*, in sua dioecesi, *libere* erigit officia et beneficia *minora:* at tenetur praescriptiones iuris communis observare (2), necnon Concordata forte de hac re cum gubernio civili inita (v. g. art. 24. Conc. Hispan. a. 1851.). Ius commune requirit:

1) ut habeatur *necessitas* vel *utilitas* Ecclesiae, et quidem in eo loco ubi beneficium est erigendum;

2) ad vitandas lites, ut *accurate* determinentur *iura* et *obligationes*, nisi haec satis constent;

3) ut *dos* provideatur quae sufficiat ad *honestam sustentationem* clerici, si beneficium sit duplex; si sit simplex, quae *obligationibus*, vi officii *exequendis*, respondeat;

4) insuper convenit et quandoque necessarium est ut erectio fiat *documento authentico*, quod in archivio conservabitur.

(1) Phillips, *Kirchenrecht*, t. V. § 219. sq.; Bouix, *De Episcopo*, P. II. c. 1. p. 148. sq.; Grisar, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen-Age*, t. I. n. 211. sq.

(2) Non prohibetur tamen Episcopus acceptare *in limine*, i. e. ab initio *fundationis*, conditiones *rationabiles* a fundatoribus impositas sive *praeter leges communes*, v. g. quod beneficiatus de tali familia vel loco oriundus sit, sive etiam *contra leges communes*, v. g. quod beneficium visitationi Episcopi vel annuis rationibus ei reddendis minime subiiciatur; non tamen acceptare valet conditiones *irrationabiles* aut *exorbitantes*, v. g. quod beneficium obtineri valeat a non-tonsurato. Conditiones in fundatione beneficii statutas mutare non potest Episcopus, ne postulante quidem fundatore, nisi accedat R. Pontificis consensus aut agatur de casibus ab ipso iure determinatis.

Articulus III

De innovatione officiorum et beneficiorum

Beneficium aut officium, praesertim a Praelato R. Pontifici inferiore erectum, de regula generali immutari non debet; sunt tamen casus plures in quibus, ratione boni communis, immutatio primitivi status beneficii requiritur. Haec immutatio, quae *innovatio* dicitur, quinque praesertim modis fit: *unione* vel *incorporatione*, *divisione*, *dismembratione*, *novi oneris impositione*, *cessatione*. De singulis aliquid adnotabimus.

I. — De unione et incorporatione

213. **Definitiones.** — *Unio* beneficiorum nequaquam est confundenda cum beneficiorum *cumulatione*, qua clericus aliquis duo vel plura simul beneficia in suis manibus unit, quae tamen beneficia ab invicem prorsus distincta manent et denuo seorsim conferri valebunt; per *unionem* de qua nunc agimus, *ipsa beneficia* inter se uniuntur et quidem *in perpetuum*, ne habeatur recondita seu *palliata* cumulatio (1).

Lato sensu unio est coniunctio *officii* vel *beneficii* cum altero *quocumque ecclesiastico instituto; unio stricto sensu* habetur si coniunctio fit cum altero *officio* vel *beneficio*, v. g. parochia cum canonicatu; si autem fiat cum *instituto*, quod officium et beneficium non sit, v. g. si beneficium simplex cum Seminario clericorum uniatur, habetur *incorporatio*.

214. **Diversae species unionis.** — Triplex distinguitur *unio:* 1) *aeque principalis*, qua duo beneficia aequalis gradus (ut duo episcopatus, duae parochiae) ita uniuntur, ut unus et idem titularis iura et obligationes utriusque obtineat, quin unum beneficium alteri subordinetur. Sic non raro

(1) Laurentius, *Instit. iur. eccl.* n. 234. γ.

uniuntur duo (vel tres) episcopatus et in singulis casibus statuitur quo modo titularis debeat utriusque obligationes adimplere (Trid. ses. 24. c. 3. de ref.);

2) per *subiectionem* seu *accessionem* (unio *accessoria*, *subiectiva*), si ad beneficium *principalius* accedit alterum *minus principale*, v. g. ad canonicatum parochia. Tunc beneficium *minus* habetur ut quaedam *appendix* principalioris, nec unquam vacare censetur et proinde cessant iura patroni in illud (1). Iura tamen et obligationes utriusque manent distincta, nec novum beneficium constituitur;

3) per *confusionem* (unio *promiscua*, *exstinctiva*), si ita uniuntur ut ex duobus, quae existere desinunt, fiat novum aliquod beneficium, ad quod omnia iura et obligationes priorum transferuntur.

215. **Diversae species incorporationis** (2). – Triplex etiam distinguitur *incorporatio:* 1) *semi-pleni iuris*, quando sola *dos* beneficii instituto ecclesiastico assignatur: sic permisit Tridentinum (sess. 23. c. 18. de ref.) Seminariis beneficia quaedam simplicia incorporari, quorum proinde reditus ad Seminarium transeunt; obligationes vero et iura spiritualia talis officii, v. g. servitium chori, exercentur a vicario perpetuo, cuius sustentationem praebere tenetur institutum, quem etiam (generatim saltem) rector instituti Episcopo praesentabit approbandum ab eo et canonice instituendum;

2) *pleni iuris*, si iura omnia et obligationes temporales et spirituales instituto transferuntur, penes quod cura officii exercendi manebit; hanc (generatim) per vicarium temporalem, ad nutum suum amovibilem, ab Episcopo approbandum, exercebit institutum. Si beneficium monasterio regulari incorporetur, fit beneficium regulare *per accidens*, et deputatur aliquis regularis ad illud administrandum. Iurisdictio tamen fori externi penes Episcopum dioecesanum manet;

(1) WERNZ t. II. n. 273.
(2) Cf. AICHNER, *Comp. iur. eccl.* § 79. 2.

3) *plenissimi iuris,* quando etiam fori externi iurisdictio ad institutum transit, ita ut beneficium a iurisdictione episcopali exemptum evadat: sic accedere potest parochia vel beneficium chorale monasterio sub Praelato « *nullius* » constituto.

216. **Quis officia et beneficia unire aut incorporare possit?** — I. *R. Pontifex* omnia officia et beneficia unire vel incorporare potest;

II. *Episcopus regulariter* ea omnia et ea tantum quae erigere potest: sic non potest duas dignitates unire, bene vero dignitati beneficium aliquod minus unire.

At potestas Episcoporum, propter abusus commissos, a Tridentino non parum restricta est. Sic ex hodierna disciplina nequit Episcopus unire: 1) beneficium *parochiale* cum ullo alio beneficio vel instituto, v. g. cum episcopatu, dignitate, nec cum monasterio, Seminario (Trid. sess. 24. c. 13. de ref.). Ipse R. Pontifex huic regulae post Trid. vix unquam derogavit. At Episcopus parochiam cum alia parochia unire non prohibetur. (Trid. sess. 21. c. 5. Bouix, *De parocho* p. 286.);

2) nec beneficia *suae dioecesis* cum beneficiis *alterius,* ne consentiente quidem altero Episcopo; immo nec si ipse duas dioeceses unitas administraret, nisi unio fuisset exstinctiva, ex qua unica nova dioecesis orta esset;

3) nec beneficium *liberae collationis* cum beneficio *necessariae collationis*, nisi tamen alternis vicibus collationem sibi reservet: secus enim haberetur aliqua alienatio iurium Ecclesiae: nam *libera* nominatio est ius quoddam Ecclesiae, quod amittitur, quando ius ad designationem personae alteri conceditur; at si alternis vicibus libera est collatio, huic incommodo satis obvenitur:

4) nec beneficia etiam *simplicia* cum *mensa episcopali* vel *capitulari,* bene vero cum aliqua singulari praebenda [1]. Nomine *mensae episcopalis* veniunt bona quae dotationem

[1] C. 2. de rebus Eccl. Clem. III. 4. Cfr. Schmalz. in l. III. tit. V. n. 169.; D'Annibale, *Summula*, t. III. n. 22.; Wernz t. II. n. 270.

Episcopi constituunt et eius sustentationi dioecesisque generalibus necessitatibus destinantur; nomine *mensae capitularis*, bona quae Capitulum in indiviso possidet;

5) nec tandem beneficia *exempta* vel *Rom. Pontifici* in *perpetuum reservata*. Ut autem unio vel incorporatio inducatur, requiritur iusta causa, nempe necessitas vel magna utilitas. Insuper Episcopus iuxta solemnitates iuris communis procedere tenetur (1).

II. — De divisione

217. *Divisio* est actus legitimus quo ex uno officio aut beneficio duo vel plura formantur: per divisionem vel simpliciter destruitur unio antea effecta vel dividitur beneficium, quod vi fundationis erat unum.

Praeter *Rom. Pontificem*, qui omnes divisiones pro sua sapientia efficere valet, *Episcopus* potest: 1) revocare uniones quas *ipse fecit*, immo uniones quas *ad instantiam eius* R. Pontifex fecit, v. g. si mensae episcopali, petente Episcopo, unitum fuisset beneficium aliquod, non autem illas quas *motu proprio* R. Pontifex effecisset;

2) de regula generali beneficia dividere potest Episcopus quae erigere valet, v. g. *parochias* (2). At formalitates iuris communis servare debet, easdem scl. ac pro unione (3).

(1) De iure communi: 1) Episcopus requirere debet Capituli cathedralis consensum, nisi per legitimam consuetudinem contra hanc obligationem praescripserit; 2) audiendi sunt ii quorum interest, inter quos parochiani, si de parochia ageretur, patronus, si quis sit: immo, si unio, vivente actuali beneficiato, fieri debeat, illius consensus habendus est; tandem 3) attendi debet ne quid fiat contra fundatorum voluntatem in limine fundationis admissam.

(2) Cfr. c. 3. X. de eccles. aedific. III. 8.; Trid. sess. 21. c. 4. quo conceditur Episcopo ut etiam tanquam Sedis Ap. delegatus divisiones efficere valeat. AICHNER, *Comp. iur. eccl.*, § 79. 3. a.

(3) Notare tamen interest Episcopum, dummodo iustam causam divisionis habeat, non teneri *sequi* sententiam illorum quos *audire* debet. Si ipsis causa non appareat iusta, *appellare* possunt, at cum effectu tantum *devolutivo*, saltem si de parochia agatur, scil. interim non *suspenditur* executio sententiae Episcopi. Cf. WERNZ n. 267.

Non debet fieri divisio nisi pro duobus vel pluribus beneficiatis sufficiens habeatur sustentatio, sive ex fructibus et bonis inter nova beneficia divisis, sive aliunde, v. g. ex fidelium oblationibus certe praevisis.

III. — De dismembratione

218. *Dismembratio* aliquid simile cum *divisione*, aliquid cum *unione* et *incorporatione* praebet. Separatur enim, ut in *divisione*, aliqua pars a beneficio, quae pars applicatur seu *unitur* alteri beneficio vel instituto; at illa pars non fit novum beneficium, ut in *divisione*, et *ipsum beneficium*, a quo separatur, pergit existere nec unitur aut *incorporatur* alteri beneficio vel instituto. Habetur dismembratio, v. g. si in aliqua civitate quae duas parochias continet, pars territorii ab una avellitur et alteri accrescit; item si in perpetuum pensio imponitur alicui beneficio in favorem hospitalis vel Seminarii (1).

Conditiones eaedem sunt ac pro divisione (2).

IV. — De novi oneris impositione (3)

Habetur *novi oneris impositio*, si obligationibus alicui muneri iam adnexis aliae adiiciantur, sive *spirituales*, ut praedicatio, Missae celebratio, sive praesertim *temporales*, ut pensio vel taxa. Ad solvendam quaestionem utrum nova onera imponi possint, interest distinguere inter onera spiritualia et onera temporalia.

(1) Wernz t. II. n. 254. II.

(2) Immo sententia fere certa easdem formalitates exigit ac pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, praesertim S. Sedis beneplacitum, saltem si de parte *dotis*, non tantum *territorii*, distrahenda agatur. Cf. Wernz n. 269. Quod beneplacitum pro parochia *dividenda* implicite habetur, cum Episcopus vi Tridentini divisiones facere possit, etiam tanquam Sedis Apostolicae delegatus.

(3) Lib. III. tit. 12. X. Ut eccles. benef. sine diminutione conferantur.

219. *Onera spiritualia* nova certe R. Pontifex imponere potest, nisi agatur de rebus heroicis. Episcopus assignare valet: 1) onera quae, etsi nondum adhuc in specie imposita, continentur tamen in *generali* quadam beneficiati *obligatione*, v. g. praescribere potest ut *tot vicibus* parochus catechizet, scholas visitet; 2) onera pro quibus *retributionem convenientem* adiiciat: exigit enim omnino cura episcopalis recte exercenda ut hoc ipsi liceat.

Utrum sine nova retributione ea imponere possit? Generatim negandum, si de beneficio non vacante quaestio sit: cum enim beneficiatus actualis suum beneficium adeptus fuerit cum *tot* et *tantis* oneribus, quo iure ea adaugere licebit? Immo beneficio vacanti non videtur licere illa nova onera imponere, sive ob regulam quae per rubricam tituli 12. libri III. Decretalium Greg. IX. exprimitur: « Ut beneficia sine diminutione conferantur » (nam diminuitur beneficium non solum per redituum subtractionem, sed etiam per onerum incrementum); sive ob Trid. (sess. 25. c. 5. de ref.) quod statuit in beneficiorum collatione, dispositionibus et oneribus constitutis nullo modo esse derogandum (1).

At ob iustam rationem et saltem transeunter non iam beneficio sed ipsi beneficiato, vi obedientiae canonicae, talia onera imponi poterunt (2).

220. *Quoad onera realia seu materialia.* 1) Potest Episcopus in limine fundationis aliquem censum annuum (seu praestationem quotannis solvendam) imponere, qui dicitur *census antiquus.*

2) *Novus census*, i. e. qui beneficio iam constituto imponerentur, nequit Episcopus exigere, nisi per legem ecclesiasticam expresse permittantur. Sic imponere valet: *subsi-*

(1) Vide pro hac sententia AICHNER, *Comp. iur. eccl.* § 79. 4. c.; LAURENTIUS, *Inst. iur. eccl.* n. 241. Alii reponunt has dispositiones de solis oneribus materialibus esse intelligendas, et arguunt ex libertate Episcopis concessa parochiarum limites mutandi, qua re fit ut nova onera spiritualia imponantur parochis, quibus novum territorium attribuitur. At certe praxis S. C. Concilii illis non favet.

(2) Cf. WERNZ t. II. nr. 321.; AICHNER l. c. not. 32.

dium seminaristicum, in favorem Seminarii; — *caritativum*, quae est extraordinaria contributio ob manifestam et rationabilem causam; — *cathedraticum*, sive *synodaticum* (sic dictum quia in Synodo determinari solet), quae est quaedam contributio ab omnibus beneficiatis solvenda, in signum subiectionis et in honorem ecclesiae cathedralis. Praeter illos census, alia onera beneficio imponere nequit, vi ipsius rubricae tituli 12.

Vacante beneficio, potest Episcopus aliquam redituum partem subtrahere, quae causae piae applicetur, non tamen in proprium eius commodum convertatur, v. g. pro solvendis debitis ab ipso proprio nomine contractis.

Restat inquirendum utrum Episcopus imponere possit *pensiones ecclesiasticas*, seu alicui clerico ius concedere quotannis ex alieno beneficio partem fructuum percipiendi. Ex iusta causa talem pensionem *novo beneficiato ad vitam* imponere non prohibetur; eam *in perpetuum ipsi beneficio* imponere non valet. Nec potest illud onus *ad vitam pensionarii* constituere (1). Attamen, si de ipso beneficiato, beneficio renuntiante, agitur, praxis mitior est interdum tolerata (2). Item prohibitum est beneficiis parochialibus pensionem imponere (3). At portio *congrua*, vicario parochi adiutori solvenda, non est pensio, et si Episcopus eam auxerit, iure suo utitur nec agit contra regulam istam (4).

V. — De transformatione, cessatione, translatione officii vel beneficii

221. **Transformatio** habetur, quando beneficium ex una specie in aliam mutetur, v. g. ex *simplici* fit *duplex*, ex *noncurato curatum*. Episcopus potest beneficium simplex facere parochiale, non vice versa, nec saeculare facere regulare aut e converso. (Trid. sess. 25. c. 16.).

(1) Aliter SCHMALZ. in h. t. 12. l. III. n. 8. 9., at immerito.
(2) WERNZ l. c. n. 320. III. b. et not. 262.
(3) BENEDICTUS XIII., « *Quanta pastoribus* » 15. Sept. 1724.
(4) S. Rota R. 1. Aug. 1911. in *Act. Ap. Sed.* t. III. p. 572.

222. **Cessatio** potest evenire: 1) per ipsam beneficii *desitionem* seu *exstinctionem,* si v. g. parochiani amplius non sint vel si dos totaliter pereat; 2) per *suppressionem* ab auctoritate competente inductam. Episcopus nequit supprimere nisi ea beneficia quae erigere potest: sic v. g. supprimere potest parochiam, de consensu tamen Capituli cathedralis auditisque iis quorum interest (1).

223. **Translatio** habetur quando loco suppressionis beneficii, eius obligationes et iura, dote manente, in alia ecclesia exercenda transferantur. Eaedem formalitates exiguntur ac pro erectione et eadem auctoritate perficitur (Cfr. infra ubi de parochis).

Articulus IV

De collatione officiorum et beneficiorum

224. *Collatio* lato sensu intellecta, seu melius *provisio* officii et beneficii, omnes actus comprehendit, quibus is qui antea in aliquod officium nihil praetendere poterat, tandem ad pacificam possessionem huius officii adducitur, seu omnia iura exercere potest, omnibus vicissim obligationibus satisfacere debet, quae in tali munere ecclesiastico continentur. Et triplicem generatim actum complectitur: *designationem* personae, cui beneficium conferendum est, *concessionem* tituli seu officii ipsius *collationem* (strictiori sensu), introductionem in *possessionem* officii (2). At antequam de ipsa provisione agatur, considerandae sunt qualitates quibus instrui debet is qui officium vel beneficium obtinere vult. Quae ex parte *conferentis* requiritur, vel iam praeoccupata sunt, ubi de iurisdictione in genere actum est (supra n. 196.), vel breviter, pro re nata, adnotabuntur ubi de collatione proprie dicta tractabitur (infra, praesertim n. 267.). Quae autem ad

(1) Bouix, *De parocho*, p. 298.
(2) Wernz t. II. n. 284. II.

actum collationis rite peragendum spectant, etiam suo loco indicabuntur (n. 268.).

I. — De qualitatibus ad obtinendum officium vel beneficium requisitis [1]

225. Ubi de iurisdictione in genere tractatum fuit, indicavimus varias conditiones quae ad validam collationem cuiuslibet officii vel beneficii, de iure divino vel saltem ecclesiastico requiruntur, quae sunt: 1) baptismus aquae validus; 2) sexus masculinus; 3) clericatus, i. e. saltem prima tonsura; 4) immunitas ab excommunicatione et irregularitate. (Cf. supra n. 197.).

Praeterea pro variis officiis aliae conditiones a iure ecclesiastico constituuntur, sive ut valide obtineantur aut saltem retineri possint, sive tantum ad liceitatem collationis. Hae conditiones praesertim referuntur ad Ordinem requisitum, aetatem, coelibatum, legitimos natales, scientiam, pietatem et morum honestatem. De singulis pauca.

226. 1) **Ordo**. Praeter primam tonsuram, aliquando certus Ordo exigitur:

a) In *Cardinalem* eligi non debet qui *Ordines minores* nondum accepit.

b) *Episcopus* debet iam a sex mensibus esse *subdiaconus* quando eligitur, praesentatur vel nominatur, et post promotionem in Consistorio debet intra sex menses consecrationem episcopalem accipere, secus « ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur », et si adhuc tres alios menses non consecratus manserit, ipso iure episcopatu privatur (Trid. sess. 23. c. 2.).

c) *Canonici* in ecclesiis *cathedralibus* saltem *subdiaconi* sint oportet, et dimidia saltem pars *sacerdotio* insignita (immo plures quam dimidia pars, aut etiam omnes, si consuetudo, laudabilis quidem et servanda, hoc exigat) (sess. 24. c. 12.). Interim voce *activa* in Capitulo non gaudent, immo proba-

[1] Lib. I. tit. 14. De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum.

biliter nec *passiva* (1). In Capitulis *collegiatis* de iure communi subdiaconatus non exigitur ut quis canonicatum habeat, bene vero ut vocem activam (et passivam) habeat.

d) Beneficium *parochiale* et generatim beneficia *curata* Ordinem *presbyteratus* requirunt. Ordo tamen pro canonicis et parochis requisitus non statim ab initio exigitur, sed intra annum post adeptam beneficii possessionem accipi debet. Si Ordinem constitutum accipere neglexerit, *parochus ipso iure* beneficio privatur, *canonicus* eo privari *potest*.

227. 2) **Aetas.** Pro certis beneficiis aetas a iure determinatur, pro multis pendet tantum a necessitate Ordinis recipiendi.

Pro *R. Pontificatu*, ad validitatem alia aetas non requiritur, nisi ut electus acceptare possit, i. e. aetas rationis seu discretionis (2). Ad liceitatem convenit ut saltem habeat aetatem pro episcopatu requisitam, i. e. 30^{m} completum.

Pro *quolibet beneficiio* requiritur 14^{us} annus inchoatus (Trid. sess. 23. c. 6).

Cardinales olim non ante 30^{m} completum eligi poterant, sicut Episcopi. Derogavit Sixtus V, pro Cardinalibus diaconis, quibus sufficit 22^{us} inchoatus, ita ut intra annum diaconatum accipere valeant.

Pro *Episcopatu* requiritur 30^{us} completus.

Pro *canonicatu*, aetas quam exigit Ordo intra annum suscipiendus, si quis sit: iamvero pro subdiaconatu, diaconatu, presbyteratu requiritur respective 22^{us}, 23^{us}, 25^{us} annus inchoatus (Trid. sess. 23. c. 2. de ref.).

Pro *parochiali officio* et ceteris *officiis curatis*, 25^{us} inchoatus; pro *dignitatibus*, quibus animarum cura non incumbit, 22^{us} (Trid. sess. 24. c. 12. de ref.) (3).

228. 3) **Coelibatus** requiritur vel consensus uxoris et cessatio cohabitationis (Cf. supra n. 169.).

(1) WERNZ l. c. n. 295. not. 88. et. n. 300.

(2) WERNZ l. c. 295. 577. BARGILLIAT, *Prael. i. c.* n. 378.

(3) Scil. 22^{us} *completus*, iuxta WERNZ l. c. n. 295. V.; SCHMALZGR. in tit. 14. l. I n. 4.

4) **Legitimi natales.** His assimilatur *legitimatio* per subsequens parentum matrimonium, quae tamen non sufficit in ordine ad dignitatem cardinalitiam adipiscendam: at haec solum excluditur, iuxta sent. communiorem, quam tenent Wernz t. IV, n. 686; Oietti, *Synopsis* v. *Legitimi.* Ad beneficia simplicia obtinenda dispensat Episcopus, ad cetera solus R. Pontifex.

229. 5) **Scientia.** Iam iure naturali ea scientia requiritur quae ad officium exercendum necessaria est: haec practice ad *liceitatem* tantum exigitur, at irritanda esset collatio, si beneficiatus *nollet* aut *non posset* eam intra breve tempus acquirere. Immo qui a Tridentino exiguntur gradus, ei non ad *validitatem* exiguntur, nisi quis plane illiteratus esset.

Iure positivo exigitur ut *Episcopus* sit doctor vel saltem licentiatus in S. Theol. vel iure can. aut aliquo testimonio academico publico insignitus, quo ostendatur aptus ad alios docendos. Si Regularis sit promovendus, praebeant Superiores testimonium scientiae aequipollentis. (Trid. sess. 22, c. 2. de ref.).

Vicarius Capitularis « saltem in iure can. sit doctor vel licentiatus. vel alias, quantum fieri poterit, idoneus » (ib. sess. 24. c. 16.).

Hortatur etiam S. Synodus ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, *dignitates* omnes et saltem *dimidia* pars *canonicatuum* in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in Theol. vel iure can. » (ib. sess. 24. c. 12.). Idem fere dicitur ibidem de archidiaconis (et proinde de Vicario generali), de poenitentiariis (1).

(1) *Canonicus theologalis*, cum S. Scripturam exponere et interpretari debeat et quidem per se ipsum, ita ut si sit incapax, nulla et invalida sit collatio (Trid. sess. 5. c. 1. de ref.), scientiam ad hoc sufficientem habere debet, de qua Episcopo per examen constabit. At pro Italia et insulis adiacentibus statuit Benedictus XIII. Const. « *Pastoralis* » ipsum debere gradum magistri in S. Theol. vel iam habere vel intra annum obtinere, secus

Parochus ea scientia pollere debet quae requiritur ut parochianos obligationes eorum docere possit.

230. 6) **Pietas et morum honestas.** Eximia requiritur in Episcopo, qui « in statu perfectionis » constitutus toto gregi exemplo praelucere debet; minor in ceteris gradibus, at certe pro maiore muneris gravitate et altiore Ordine exercendo, maior etiam exigitur perfectio.

Hic inquirendum venit debeatne beneficium *digniori* conferri; et utrum ad liceitatem solummodo an etiam ad validitatem.

Sciendum est *digniorem* illum dici qui non *absolute* loquendo sed *relative*, i. e. omnibus spectatis: aetate, scientia, morum honestate, necnon et necessitatibus loci, incolarum, bono pacis, modo notabiliori ceteris praestat.

Certe qui scienter *indignum* promovet, graviter peccat. Insuper omnes qui ad *Episcoporum* promotionem concurrunt mortaliter peccant « nisi quos *digniores* et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint.... praefici diligenter curaverint » (Trid. sess. 24. c. 1. et prop. 47. ab Inn. XI. die 2. Mart. 1679. damnata).

Immo videtur idem affirmandum pro *quolibet officio*, praesertim *curato*. At *invalida* non consenda est designatio, nisi in casu quo post *concursum* indictum alius ac dignior sumeretur (1).

N. B. — Antequam beneficium conferatur, de his qualitatibus constare debebit conferenti beneficium. Si de Episcopo agitur, conficitur aliquis *processus*, per S. C. Consist. (nunc vi Const. « *Sapienti consilio* ») vel per S. C. de Pr. Fide; cuius *processus* modus accurate statutus est a Gregorio XIV. et Urbano VIII. (2).

---

eo ipso vacat eius beneficium. Quam praescriptionem plures etiam de Canonico Poenitentiario intelligunt, v. g. Oietti, *Synops.* v. *Canonicus*, at ex dicta Const. non videtur erui (Cfr. Lucidi, *De visit. ss. lim.* t. I. c. III. n. 191).

(1) Wernz. l. c. n. 311. iuncto n. 425.

(2) Aichner, *Comp. iur. eccl.* § 83.

II. — De personarum designatione

231. **Praenotanda.** — Beneficia sunt vel *liberae* vel *necessariae* collationis (supra n. 207.), prout Superior, ad munus conferendum competens, *libere designat* personam cui confertur, vel sibi ab alio *designatam acceptare* debet. Si collatio *libera* est, Superior competens unico actu designat personam et beneficium confert (1).

Si collatio sit *necessaria*, alius designat, alius confert. Tunc nomen *collationis*, per oppositionem ad *designationem* seu *vocationem*, reservatur actui Superioris, qui officium vel beneficium personae designatae tradit.

Per ipsam *designationem* iam aliquod ius personae designatae acquiritur, at *ius ad rem* tantum, i. e. ius ut ipsi a Superiore competente beneficium detur, nisi aliunde inepta aut indigna fuerit; solum per *collationem* proprie dictam acquirit *ius reale* (*ius in re*) in beneficium, quo scilicet beneficium fit eius, etsi forte illud nondum actu possideat.

Collatio proprie dicta semper fit per Superiorem ecclesiasticum competentem, generatim per R. Pontificem vel Episcopum; *designatio* potest per personam etiam non ecclesiasticam fieri: praecipui modi sunt *electio*, *nominatio* (cui aliquid simile praebet *commendatio*), et *praesentatio*.

A) De electione (2)

232. **Definitio.** — Sensu hodierno *vulgari* electio designat deputationem alicuius muneris per suffragationem factam: sic eliguntur per suffragationem, plus minusve restrictam, deputati ad Comitia publica; nec requiritur post electionem interventio auctoritatis cuiusdam superioris ut

(1) Ab Aichner, *Comp. iur. eccl.* § 80. et aliis reservatur nomen *collationis* (simpliciter) vel *plenae provisionis* huic actui liberae collationis.

(2) Lib. I. tit. 6. de electione et electi potestate, in Decretal. Greg. IX. et in Sexto; tit. 3. in Clem. et Extr. Com.

electus munus obtineat. Hoc sensu etiam in iure canonico habetur electio Vicarii capitularis, cui Capitulum suam potestatem iurisdictionis transfert; sic etiam saepe in Capitulis electio ad praebendas vacantes vel ad beneficia Capitulo incorporata.

Insuper electio sensu vulgari intellecta designare solet deputationem factam per *individuas personas*, quae singillatim suum suffragium deferunt, et si forte illae tantum personae ad electionem admittantur, quae ad certos coetus pertinent, hae tamen non tam *collegialiter* procedunt quam ut *singulares personae*.

At electio, sensu *canonico* stricto, est *personae idoneae designatio seu vocatio ad praelaturam ecclesiasticam saecularem vel regularem, per legitimam suffragationem, a corporatione competente factam.*

Dicitur *personae idoneae*, i. e. quae non sit vel *indigna* ob aliquam culpam vel *inhabilis* ex carentia conditionis cuiusdam praerequisitae. *Indignus* habetur haereticus, excommunicatus, suspensus, qui interdictum locale violavit, delictis communibus assuetus: *inhabilis* est qui caret legitimis natalibus, vel aetate requisita. Inhabilitates aliquando dispensabiles sunt, aliquando indispensabiles (ex regula et praxi Ecclesiae). Qui inhabilis tantum est et quidem dispensabiliter, quamvis eligi nequeat, postulari tamen potest (cf. infra n. 237.);

Ad praelaturam ecclesiasticam saecularem vel regularem: nam fere ad huiusmodi praelaturas, quae episcopalem vel quasi-episcopalem potestatem includunt, electio nunc de facto restringitur.

A corporatione ecclesiastica, quae fere erit Capitulum cathedrale, aut Capitulum vel Congregatio Ordinum regularium aut Congregationum religiosarum. Electio quidem est actus collegii et proinde fit ab electoribus collegialiter congregatis: et « haec *communis* electio adeo necessaria est, ut formae vitio sit nulla, si omittatur » (AICHNER, *Comp. iur. eccl.* § 82.);

Per legitimam suffragationem, in qua scil. tum *numerus*

suffragiorum a iure requisitus habeatur (ad praelaturas ecclesiasticas maioritas absoluta votorum, i. e. plus quam dimidia pars eorum qui suffragium dant, requiritur; pro electione R. Pontificis duae tertiae partes exiguntur), tum *formalitates* observatae sint, quae in Decretalibus Gregorii IX. et in libro Sexto (l. I. tit. 6.) determinantur. Quae si omnes ad amussim servari debeant, electio dicitur solemnis, secus *simplex*.

Effectus electionis est quod electus ius ad beneficium obtineat, et Superior teneatur illud ei conferre, nisi obstet impedimentum canonicum.

233. **Notae historicae.** — Saec. XII., *electio* a Capitulo cathedrali cum confirmatione Metropolitani, fuit modus ordinarius designationis Episcoporum et fuse describitur in Decretalibus Gregorii IX. et Bonifacii VIII. Sed ob abusus irrepentes, inde a saec. XIV. RR. Pontifices vel confirmationem electionis vel etiam ipsam Episcoporum nominationem sibi reservare coeperunt: hinc dici amplius non potest *electionem* Episcoporum *de iure communi* ad Capitula pertinere; viget tamen adhuc in Borussia, Belgio, quibusdam dioecesibus Austriae et Helvetiae, etc.

Insuper per electionem adhuc nunc providetur Praelaturis saltem supremis in plerisque Ordinibus et Congreg. religiosis, etiam monialium. At attendendae sunt Regulae et Constitutiones particulares quae vel iuri communi aliquid addere vel etiam ipsi derogare possunt (1).

234. **De iure eligendi.** — *Electores* sunt, seu iure eligendi (iure *electionis activae*) praediti, omnes qui membra sunt corporationis ecclesiasticae, cui electio competit, nisi per aliquam exceptionem excludantur. Potest insuper corporatio alicui *clerico extraneo* pro una vice ius suffragii concedere (2), dummodo unanimis electorum accedat consensus;

(1) De huius derogationis valore constare debet per clausulas has Constitutiones approbantes: quae si in *forma speciali* hanc approbationem continent, derogandi vim habent.

(2) Non autem *laico*, et invalida esset electio in qua laicus partem haberet.

potest etiam aliquis *clericus extraneus*, sive ex Apostolico privilegio sive ex consuetudine legitime praescripta, ius suffragii obtinere.

E contrario a suffragatione excluduntur: 1) membra Capituli (etiam collegiati), qui nondum saltem *subdiaconi* sunt; 2) *privati voce activa* in aliquorum delictorum poenam; 3) *excommunicati*, *suspensi* totaliter aut saltem ab universo officio, personaliter *interdicti*. Si *excommunicatus vitandus* in electione partem habuit, haec invalida est; non autem si *toleratus* sit, at potest is ad petitionem cuiuslibet de Capitulo ab electione repelli (1).

Non positive excluduntur, sed ius non habent ut ad electionem vocentur, qui in loco adeo remoto versantur ut ad electionem venire nequeant. Si versentur in loco unde vocari deberent, at infirmitate, incarceratione, etc. ita detineantur ut personaliter interesse impares sint, possunt sibi procuratorem deputare qui pro ipsis votum dabit (2).

235. **De forma electionis.** — In cap. Quia propter 42. h. t. 6. l. I. tres electionis modi recensentur: *scrutinium*, *compromissum*, *quasi-inspiratio*.

In **scrutinio,** qui est modus magis usitatus, tres scrutatores (vel etiam plures), ex suffragantibus eligendi per actum capitularem, inquirunt sive *scrutantur* cuinam electores suffragium conferre velint.

Suffragatio potest fieri *vel scripto:* tunc scrutatores schedulas electorum colligunt, numerant, nomina rescripta inspiciunt et notant, numerant, comparant; *vel voce:* tum accedunt ad singulos ut accipiant nomen illius quem unusquisque designat (ita demissa voce ut soli scrutatores audiant); designati nomen unus scrutatorum scribit.

(1) WERNZ n. 357. cum nota 29.; SÄGMÜLLER, *Kirchenr.* § 73.

(2) Is vel de Capitulo assumitur, vel extraneus, dummodo unanimis Capitularium consensus habeatur. Nequit votum scriptum impediti deferre, at suffragium eius eodem modo ac suum proprium dabit; potest impeditus vel procuratori suum candidatum designare vel ipsi permittere ut eligat quem digniorem reputabit; patet ipsum tunc debere pro eodem suffragium proprium (si sit elector) et mandantis suffragium dare.

Publicantur alta voce suffragia, qua publicatione facta, electores suffragium suum mutare prohibentur. Ut quis eligatur, debet absolute maiorem suffragantium numerum obtinuisse, secus iteratur electio ; si quis numerum sufficientem obtinuerit, tunc fit per praesidem *commune decretum*, postquam omnes electores, ab eo requisiti utrum ipsis placeat electionem proclamari, responderint « Placet » (1). Et hoc commune decretum, sicut et votorum publicatio, ad validitatem electionis omnino necessarium est (2).

Compromissum fit praesertim ubi scrutinium ad effectum electionis non perduxit, vel ad lites vitandas; ut ad compromissum recurratur, debent unanimi consensu omnes consentire (3).

Compromissarius vel, si sint plures, (numero impares quantum fieri potest), compromissarii eligunt ad pluralitatem suffragiorum. Speciale autem hic habetur quod si unus e compromissariis designatur, sibi ipsi accedere potest, i. e. suffragium proprium sibi dare, ne electio vacua fiat: hoc tamen pro electione R. Pontificis a Const. « *Vacante Sede* » n. 78. excluditur (4).

Quasi-inspiratio habetur, quando omnes electores *unanimi consensu absque praevio tractatu et absque praevia suggestione, absque haesitatione, in eumdem designandum conveniunt.*

N. B. Concilium Tridentinum (sess. 25. c. 6. de ref. Regul.) pro electione quorumcumque Superiorum regularium

(1) Commune decretum hoc modo fieri potest : « Ego, Benedictus,.... nomine meo et omnium eligentium, eligo Carolum in Episcopum (vel Abbatem) ». Cf. SCHMALZGR. in tit. 6. l. I. n. 49.

(2) WERNZ n. 371.; SCHMALZGR. in l. I. tit. 6. n. 46.

(3) At non videntur necessario unanimes esse debere in compromissariorum delectu qui tunc ad pluralitatem votorum designabuntur — nisi tamen aliud a iure statuatur : sic pro electione R. Pontificis, vi Constit. « *Vacante Sede* » n. 55 , compromissarii ad unanimitatem suffragiorum designari debent.

(4) WERNZ n. 372. ; SCHMALZGR. l. c. n. 52.; PIRHING in h. l. n. 204.; SÄGMÜLLER, *KR.* § 73. I.

sequentia decrevit: « S. Synodus districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur » : excluduntur proinde *compromissum* et *quasi-electio*, solo manente *scrutinio*.

236. **De tempore requisito.** — Post habitam notitiam vacationis sedis episcopalis vel praelaturae regularis, *intra tres menses* fiat electio. Quod si per electorum negligentiam intra hoc tempus facta non fuerit, *devolvitur* pro hac vice electio ad Superiorem, qui eam confirmare debebat.

Intra *octo dies* electo manifestetur ; qui habet *mensem* ad acceptandum aut recusandum, quo tempore elapso a iure suo decidit et alia electio est facienda. Si acceptaverit, debet *intra tres menses* confirmationem a Superiore competente petere, intra *mensem* si a R. Pontifice sit petenda : quod si neglexerit, a iure suo cadit [1].

B) De postulatione [2]

237. *Postulatio* locum habet quando persona quae *indigna* non est, sed e contra ad officium exercendum habilis Ecclesiaeque utilis iudicatur, ob aliquod impedimentum canonicum *eligi* non potest : v. g. clericus 28. annos natus, vel qui iam Episcopus est, etiam titularis tantum, in ecclesiam vacantem eligi nequit. Supponitur tamen istud canonicum impedimentum esse *dispensabile* (Cf. supra n. 232.). *Postulatio* duplex distinguitur : proprie dicta seu *solemnis*, et improprie dicta seu *simplex*.

238. **Postulatio solemnis** est *petitio corporationis ecclesiasticae, cui ius eligendi competit, ad Superiorem competentem directa ut eum, qui propter impedimentum canonicum eligi nequit, ad praelaturam admittere velit per dispensationis gratiam, concedi tamen solitam* [3].

[1] Cf. cap. 6. 16. de elect. in Sexto. I. 6. ; Wernz n. 383.

[2] Lib. I. tit. 5. de postulat. praelatorum, in Decret. Greg. IX. et in Sexto ; tit. 2. in Extr. Com.

[3] Wernz n. 391.

Ubi notandum est: 1) postulationem non fieri a *postulato*, sed ab ipsa *corporatione* eligentium;

2) fieri ad Superiorem competentem, qui regulariter est is ad quem electionis confirmatio spectat; at cum Superior requisitus debeat in impedimentis dispensare posse, ordinarie ad R. Pontificem recurrendum erit;

3) dispensatio non potest peti nisi in impedimentis quae *inhabilem*, non *indignum* reddunt; immo in his tantum in quibus concedi solet, quaeque dicuntur *dispensabilia*. Quae pro electione statuta sunt de tempore pro notificatione, acceptatione etc. etiam in postulatione servanda sunt. At donec admittatur postulatio, postulatus non acquirit ius ad beneficium; immo, quoadusque postulatio Superiori praesentata non fuit, possunt electores mutare; postea vero, non nisi de Superioris consensu (1).

In postulatione solemni servanda sunt quae de electione statuta sunt. Si postulatio *admittitur*, idem effectus habetur ac per electionis *confirmationem:* acquiritur scilicet *ius ad beneficium*. Si reiiciatur, de regula generali *devolvitur* ius providendi ad Superiorem qui electionem confirmare debuit, nisi ex privilegio vel Indulto Capitulum denuo eligere vel postulare possit (2).

239. **Postulatio simplex** est *petitio ad Superiorem ecclesiasticum directa, ut subdito suo permittat electionem ad praelaturam acceptare*. Supponitur proinde subditum ab electione non prohiberi (quae proinde valide fit), at, ob aliquod obedientiae vinculum, ad licentiam eam acceptandi petendam obligari: sic Religiosus, propter sui traditionem Ordini vel Congregationi factam, nequit, sine Praelati consensu, praelaturam saecularem acceptare (3); item Cardinalis,

(1) WERNZ n. 396.

(2) WERNZ n. 398. 399.; AICHNER, *Comp. iur. eccl.*, § 83.; BARGILLIAT n. 190.; PRÜMMER q. 170.

(3) Immo Religiosi Ordinum Mendicantium nequeunt eligi nec postulari solemniter ad praelaturas saeculares episcopatui inferiores nec ad praelaturas aliorum Ordinum.

etsi non Episcopus, sine consensu R. Pontificis, praelaturam acceptare nequit (1).

Postulatus postulatione simplici acquirit ius ad beneficium, *hypotheticum* tamen, quia Praelatus acceptationem denegare valet. Si postulatio facta fuit ante electionem, simpliciter eligi potest (2).

C) De nominatione et commendatione

240. *Nominatio* est alius ex modis designandi personam, quae ad aliquod officium, maxime ad praelaturam ecclesiasticam, promovenda est. Qui modus, ex privilegio a S. Sede praesertim per conventiones aut concordata concesso, in multis regnis et Statibus catholicis viget. Huius praxis antiqua quaedam vestigia reperiuntur, at praesertim inde a fine saeculi XV. a S. Sede concessum est tale ius, et saeculo XIX. multis guberniis aut confirmatum aut datum est: sic Galliae per concordatum a. 1801. art. 4., Bavariae a. 1817. art. 9., Austriae a. 1855. art. 19, Lusitaniae, variis Statibus Americae Meridionalis (3). Rex Hispaniae habet ius *praesentationis* ex patronatu regio.

Guberniis *acatholicis* nunquam conceditur *nominatio*, bene vero aliquis influxus in personae designationem.

Aliquam tandem similitudinem cum nominatione praebet commendatio, unde hic aliquid de ea addetur.

241. I. — **Nominatio** definiri potest *personae idoneae ad praelaturam vel aliud beneficium ecclesiasticum designatio seu vocatio, a principe civili ex peculiari S. Sedis concessione facta.*

Dicitur *a principe civili* at potest ipsi vel *personaliter* concedi et tunc mutata gubernii forma ius non subsistit, vel ut est caput gubernii Statusque administrator, et mutata gubernii forma ius non tollitur;

(1) Si Cardinalis sit Episcopus suburbicarius, aut residentialis, aut titularis, *eligi* nequit sed tantum *postulari*, sicut n. 237. dictum est.

(2) Cf. SCHMALZGR. in l. I. tit. 5. n. 4.

(3) NUSSI, *Conventiones inter S. Sedem et civilem potestatem* p. 140. 149. 314. etc.; LEO XIII., *Conventiones*, etc. p. 7. 25. 48.

ex peculiari S. Sedis concessione: nullum enim ius nominationis habet Status ex propria sua natura, et damnata est per Syllabum propositio 50.: « Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos » (1).

Ius nominationis, quamvis iuri praesentationis patronorum (de quo infra n. 257.) analogum sit, ab eo tamen differt: 1) *ex parte originis:* nam patronatus regulariter ad erectionem beneficii sequitur, rarius ad directum privilegium S. Sedis, nominationis ius ex privilegio semper habetur (2);

2) *ex parte subiecti* cui inhaeret: praesentatio ad simplicem patronum, nominatio ad principem vel Status administratorem, qua talem, pertinet;

3) *ex parte exercitii*, quatenus minus stricte a principe quam a patrono exigitur ut normis statutis, praesertim pro tempore designationis personae, sese conformet.

Manet tamen semper, sub gravi, obligatio Tridentina de eligendo, saltem ad episcopatum, digniore subiecto (3).

242. II. — *Guberniis acatholicis* nunquam ius nominationis conceditur, aliquando tamen aliquis influxus minor in electionem. Sic in regionibus regni Borussiaci, ubi adhuc viget ius electionis Episcopi a Capitulo, obligantur electores ad non eligendum illum quem regi minus gratum esse cognoverint (4). Qua dispositione potius *obligatio* Capitulo imponitur quam *ius* principi traditur, vel certe si ius ipsi datur, non praetergreditur obligationem Capitulo imposi-tam. et quidquid sibi ultra arrogaret princeps, abusus esset potestatis. Praesertim non tollitur obligatio *digniorem* eli-

(1) Denz.-Bannw. n. 1750.

(2) At reges aliquando ius praesentationis ad quaedam beneficia, vi patronatus, habent; sic rex Hispaniae, sic olim rex Siciliarum, quod ius adhuc sibi vindicat rex Italiae at sine ullo titulo, ut optime probat Giobbio, *Lezioni di diplomazia eccl.*, t. II. n. 131. sq.; cf. infra de amissione iurispatronatus n. 260.; Aichner, *Comp. iur. eccl.* § 82. ed. 11. p. 291. not. 8. p. 293. not. 14.

(3) Supra n. 230.

(4) Pius VII. Breve « *Quod de fidelium* » 16. Iulii 1821; Nussi., *Conventiones...*, p. 378.

gendi, qui certe talis iudicandus est non tam ob qualitatem illam *potius negativam*, regi minus gratum non esse, quam ob *positivas* qualitates scientiae, probitatis, zeli apostolici et fortitudinis; et semper praestat illa regula quod salus animarum sit *suprema lex*, quam eligentes observare debent.

Cum modus iudicandi de illa qualitate « principi ingratus ne sit » non determinetur, sat commode is adhibetur quod aliquis index nominum eligendorum principi praesentetur, qui minus gratum vel minus gratos expunget. At 1) in isto indice iam inter dignos soli digniores essent exscribendi; 2) non posset princeps omnes vel fere expungere ita ut ipse, non iam Capitulum, aequivalenter eligat. Immo aliquando a S. Sede explicite statuitur debere tria saltem nomina manere inter quae Capitulum eligat (1).

243. III. — **Commendatio**, quae praesertim in regionibus olim S. C. de Prop. F. subiectis viget (in Anglia, Hibernia, Scotia, Hollandia, Statibus Foederatis Americae), variis modis exercetur. Vel enim soli Episcopi comprovinciales tria nomina designant (ita in regione Canadensi); vel notabiliores e clero (canonici soli in Anglia, cum parochis in Hibernia) tres candidatos ad pluralitatem suffragiorum designant, quorum nomina coetui Episcoporum comprovincialium deferuntur, qui vel Rom. Pontifici simpliciter eadem transmittunt, propriam de eorum meritis sententiam referentes (sic in Anglia), vel alia nomina addere aut etiam substituere possunt, prout pro variis locis res determinata est.

Effectus illius commendationis non est ut ius *ad rem* uni ex commendatis acquiratur, ne *hypothetice* quidem, nempe si alius ex simul commendatis non eligatur, at habetur mera propositio S. Pontifici facta, ut ex clausula finali Constitutionis 21. Apr. 1852. pro Anglia clare apparet: « Ceterum animadvertendum ac declarandum censuit S. Congregatio his omnibus contineri tantum commendationem, adeo ut,

(1) Cf. AICHNER, *Comp. iur. eccl.*, § 82. not. 11. quomodo gubernium Badense a. 1868. ex 8. candidatis a Capitulo Friburgensi propositis unum tantum reliquerit, cui praetentioni fortiter restitit Capitulum.

quando necessarium vel opportunum videatur, Apost. Sedes suo utatur iure alterum quoque praeter commendatos eligendi » (1).

Hinc eruitur magnum discrimen cum *electione* et *nominatione*, quae utraque est de *unico* et dat ipsi *ius ad rem*, dum commendatio *de pluribus* est, nec illis dat *ius ad rem*, cum S. Pontifex alium praeter commendatos assumere possit.

D) De praesentatione et iurepatronatus (2)

244. Tertius modus praecipuus designationis ad officium vel beneficium est *praesentatio*, quae definiri potest: *idoneae personae ad officium vel beneficium vacans designatio seu vocatio, vi iurispatronatus facta.* Et praesentatio quidem est praecipuum, non tamen unicum, *patronorum* ius. Antequam de praesentatione in specie agatur, aliquid dicendum est de ipso *iurepatronatus.*

245. I. **Definitio et divisiones iurispatronatus.** — Iuspatronatus est *complexus iurium et obligationum, quas quis circa ecclesiam vel beneficium obtinet, ratione fundationis vel alicuius actus aequivalentis.*

Dividitur: I. pro *subiecto* cui *inhaeret*, spectato simul *titulo* ob quem ipsi inhaeret, in iuspatronatus *ecclesiasticum*, *laicale*, *mixtum. Ecclesiasticum* competit ordinarie personae ecclesiasticae, extraordinarie personae laicali, at semper *titulo ecclesiastico:* scil. alicui instituto ecclesiastico vel alicui dignitati, officio aut beneficio competit: si instituto, a Superiore instituti exercetur; si dignitati, vel officio, a titulari huius dignitatis, officii. *Laicale* alicui personae, laicali aut clericali, competit, propter *titulum laicalem*, v. g. ratione familiae, hereditatis. *Mixtum* habetur si duplex *titulus, ec-*

(1) *Collect. S. C. de P. F.* ed. 1. n. 42.

(2) Lib. III. tit. 38. in Decret. Greg. IX.; Wernz n. 400. sq.; Aichner l. c. § 89.

clesiasticus et *laicalis* concurrit, v. g. si ius annectitur in solidum monasterio et familiae privatae: generatim tunc duplex persona, una ecclesiastica, altera laicalis, concurrit in iuspatronatus.

Insuper iuspatronatus potest esse *ecclesiasticum*, *laicale* vel *mixtum*, ratione *fundationis*, seu ex natura bonorum e quibus fundatum est, prout ius provenit: 1) ex bonis *stricte ecclesiasticis*, v. g. ex bonis superfluis beneficii, quae clericus in opera pia expendere tenetur; aut 2) ex bonis *mere laicalibus*, v. g. ex *patrimonio*, aut etiam ecclesiasticis de quibus clericus libere disponere potest, ut ecce ex bonis parsimonialibus; aut 3) *ex utrisque* (1).

II. in iuspatronatus *personale* vel *reale*. Personale immediate *personae* inhaeret, sive *physicae* sive *morali*, *reale* alicui *rei*.

Personale a persona ad personam transit. Dicitur *familiare* vel *gentilitium*, si ad eos tantum transit qui sunt de familia (quocumque modo transeat); *hereditarium*, si ad illum qui maiorem partem hereditatis obtinet (2).

Reale transit cum ipsa re ad dominum rei, quocumque modo res transferatur: per donationem, venditionem etc. (3).

III. in iuspatronatus *privatum* vel *regium*, prout personae privatae attribuitur vel principi, sed ex titulo patroni, non iure nominationis ex privilegio pontificio. Ita habet rex Hispaniae iuspatronatus in episcopatus. Patet principes, qui bona ecclesiastica usurparunt, nullum ius patronatus in ea sibi vindicare posse (4).

(1) SÄGMÜLLER, *KR.* § 79.

(2) Tunc est potius reale, praesertim si non statuitur ut heres ille debeat esse de familia. — Si in fundatione constituitur ut iuspatronatus cum ipso fundatore exstinguatur, dicitur *personalissimum*, aut etiam *non-transferibile;* in aliis casibus est *transferibile*.

(3) Iuspatronatus ecclesiasticum generatim inhaeret *Universitati bonorum*, i. e. alicui instituto vel loco pio, ratione bonorum quae possidet, et est *reale;* si personae alicui morali, v. g. Capitulo, competit *ratione personarum* quibus constat, tunc est potius *personale*.

(4) Cf. infra 260.

IV. in iuspatronatus *in ecclesiam*, v. g. cathedralem, cum iure praesentandi ad episcopalem dignitatem, aut *in beneficium*.

N. B. — Omnino distinguendum est a iurepatronatus *activo*, de quo hucusque, iuspatronatus *passivum*, quod est ius alicui familiae aut loco concessum, ut ex eius membris vel incolis eligatur aliquis ad tale beneficium.

246. II. **De principiis et historia iurispatronatus.** — Iuspatronatus est intrinsece spirituale, vel saltem spirituali annexum et proinde sua natura Ecclesiae reservatum. Nam 1) verum influxum in iurisdictionem conferendam exercet patronus; 2) ius habet ad quaedam emolumenta ex bonis ecclesiasticis et ad aliquos honores in ecclesia, quae sunt res ecclesiasticae. Proinde etiam leges ferre, iudicare, poenas decernere circa iuspatronatus pertinet ad Ecclesiam; quae tamen aliquid gubernio concedere [1], vel etiam abusus quosdam, ad maiora mala praecavenda, tolerare potest.

Origo iurispatronatus est Ecclesiae gratitudo erga benefactores; iam saec. V. in Conc. Arausicano I. (a. 441.) et saec. VI. novellis Iustiniani quaedam iura concedebantur his qui ecclesiam fundaverant vel dotaverant; at praesertim ex legibus germanicis hoc ius ortum habuit, quae dominis fundi iura fere illimitata concedebant in ea quae in fundo reperiebantur: hinc isti in ipsas ecclesias et clericos ministrantes iura omnimoda, praesertim eos nominandi et destituendi pro lubitu, sibi usurpabant. Abusus huiusmodi exstirpare volentes, accurate iura patronorum determinare sategerunt Alexander III. et Concilia oecumenica Lateranensia III. (a. 1179. sub eodem Alexandro) et IV. (a. 1215. sub Innoc. III.); inde exortus est tit. 38. l. III. Decretalium Gregorii IX., qui ex sequentibus decretalibus vel etiam per Conc. Trid. non multum est mutatus [2].

247. III. **De modis acquirendi iuspatronatus.** — Alii sunt *originarii*, quibus *primum acquiritur ius* in ecclesiam

[1] Cf. Concord. cum Austria art. 12.; Nussi, *Convent.* p. 312.
[2] Wernz l. c. n. 406. sq.

aut beneficia; alii derivativi, quibus ius ab uno patrono ad alium *transfertur*.

248. A. **De modis originariis.** — 1) *Primus modus originarius*, ceterum *principalis* seu *ordinarius*, est *fundatio* ecclesiae vel beneficii. Fundatio ecclesiae (idem dicatur, mutatis mutandis, de beneficio) tria complectitur: *donationem* fundi in quo exstruatur, *aedificationem*, *dotationem* seu donationem pecuniae sufficientis ad hoc ut ecclesia conservetur, ut expensae cultus et honesta sustentatio clerici, qui curam ecclesiae habebit, procuretur, inde versus:

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Quamvis ius canonicum circa hoc punctum non sit omnino clarum, doctrina communis canonistarum, haud paucis S. C. Concilii responsis fulta, tenet nullum haberi patronum, donec tria haec iam habeantur, at quando habentur, sufficere unum ex tribus titulis ut quis patronus fiat: si unicus tres simul habeat, est triplici titulo patronus, unde difficilius ius patroni amittet (1).

Si ad dotationem plures concurrunt, simul sumpti unicum patronum, titulo dotis, constituunt, qui cum ceteris duobus concurrit. Si dotatio incompleta fuerit, qui eam complet post consecrationem, dummodo ultra medietatem summae dederit (plures Auctores duas tertias partes requirunt), erit patronus titulo dotationis (2).

Patroni ratione fundationis ius habent determinandi pro sua parte modum patronatus (an reale, personale, gentilitium, hereditarium?), approbante tamen Episcopo: ad vitandas lites in futurum, magni interest ut haec clare determinentur et exprimantur in ipsis fundationis actibus.

Quamvis intentio iuspatronatus acquirendi ad illud ob-

(1) SANTI, *Praelect. iur. can.*, in l. III. tit. 38. n. 15.; S. Rota R. 23. Mart. 1911. in *Actis A. S.* t. III. p. 415. sq.

(2) SCHMALZ. in h. t. 28. n. 57. sq.

tinendum requiratur, haec tamen adesse praesumitur, nisi fundatores contrarium exprimant (1).

249. 2) *Secundus modus originarius* est *privilegium* et quidem *solius R. Pontificis* (ex disciplina vigenti, qua omnis iurium ecclesiasticorum alienatio ipsi reservatur). Nam Tridentinum (sess. 25. c. 9. de ref.) omnia privilegia antiqua revocavit, praeter illa quae in *ecclesias cathedrales* (ad praesentationem nempe Episcopi) obtinebantur, aut quae *summis Principibus* iura imperii obtinentibus, aut quae *in favorem studiorum generalium* (i. e. Universitatum) concessa fuerant. Unde post Tridentinum, nullus, his exceptis, tale ius praetendere potest, nisi privilegium Apostolicum, tempore Tridentino posterius, exhibere valeat.

250. 3) *Praescriptio*, ut modus *originarius* iuspatronatus acquirendi, post Tridentinum vix admittenda est. Nam 1) videtur praescriptio *immemorialis* (2) omnino requiri; 2) et ipsa immemorialis praescriptio in casu potius admitti videtur ut *probans* existentiam *unius* ex duobus *aliis titulis*, quam ut *titulum independentem* constituens, ita ut si *probaretur* nullum ex aliis duobus exstitisse, iuspatronatus denegaretur (3).

251. B. **Modi derivativi** sunt: 1) *praescriptio*, per quam quis iuspatronatus contra illum, qui antea possidebat, obtinuit. Praeter alias conditiones *bonae fidei* etc., ex parte

(1) Qui in ecclesiam iuspatronatus acquirit, illud etiam obtinet in beneficium vel beneficia, quorum dos non est separata. Si postea beneficium novum in ecclesia fundetur, dotans obtinet patronatum (item *aedificans* cappellam vel altare ratione aedificationis); probabiliter ipsa tunc ecclesia (per rectorem suum), ratione *fundi*, concurrere deberet, at hoc ius saepius ignoratur. Cf. SCHMALZ. l. c. n. 53.

(2) Talis scilicet, cuius initia hominum viventium memoriam praetergrediuntur, ita ut nullus recordetur quando inceperit, quin immo omnes recordentur se a maioribus audivisse rem sic et non aliter fieri.

(3) Tandem ob merito fundatam *usurpationis praesumptionem*, quando *personae publicae* vel *magistratus inferiores*, maxime vero *communitates civiles*, huiusmodi iura praetendunt, Trid. exigit ut praeter immemorialem consuetudinem, afferatur probatio per authenticas scripturas quod per *quinquaginta* saltem ultimos annos omnes praesentationes, ab his factae, acceptatae et suum effectum sortitae sint.

temporis attendatur oportet utrum de iurepatronatus *ecclesiastico* an *laicali* agatur. Laicale *reale* praescribitur iuxta leges civiles hodiernas, nempe ordinarie per 30. annos sine titulo, per 10. vel 20. cum titulo, prout patronus et praescribens sunt vel non sunt in eodem loco; pro iurepatronatu *personali*, Ecclesia sequitur tempus a iure Romano statutum. Ad praescribendum iuspatronatus ecclesiasticum requiruntur 40. anni (immo aliquando 60. vel 100.) cum titulo, sine titulo immemoriale tempus;

252. 2) pro *iurepatr. reali, omnes modi* quibus legitime *transfertur dominium rei*, scl. venditio, permutatio; si res *locatur*, videndae sunt conditiones statutae; si nil est determinatum, transit ius ad conductorem seu locatarium (1). Qui rem possidet, exercitio iuris sui interim renuntiare potest, at successores suos in dominio rei ligare nequit (nisi quando licet penitus iuri renuntiare).

Si res inter plures *dividatur*, hi simul sumpti unum patronum constituunt; si in multas minimas partes dispescatur res, ius cessat. Si res *iniusto modo acquiritur*, v. g. per usurpationem bonorum a Principibus factam, iuspatronatus ad iniustum possessorem nequaquam transit (2), nec ad ullum detentorem, etiamsi bonae fidei existat.

Iuspatronatus reale nequit *vendi separatim* ab ipsa re nec permutari pro aliqua re temporali, cum sit ius spirituale; pretium rei nequit propter iuspatronatus augeri, et talis contractus, iuxta canonistas, est *nullus*, insuper est simoniacus, inducens excommunicationem vel interdictum (pro communitate vel Universitate) ferendae sententiae, et vendens privatur ipso facto iurepatronatus (3);

253. 3) *ius hereditarium*, si nulla fundationis clausula speciales induxerit regulas, transit ad heredes *testamentarios* (in testamento designatos); si nulli sint, ad *necessarios*

(1) Cf. FERRARIS, *Bib. prompta* v. *Iuspatr.* art. II. n. 69.

(2) WERNZ l. c. n. 422. Cf. infra n. 260.

(3) FERRARIS l. c. n. 51. ex c. 6. 16. X. de iure patron. et Trid. sess. 25. c. 9. de ref.

seu *ab intestato*, non ad meros *legatarios*, quibus aliqua res relinquitur ab herede tradenda. Si in defectu heredum, res *fisco* adiudicetur, cessat ius, nam fiscus non succedit ut heres, sed ut bona derelicta occupans (1).

Si plures sunt heredes, non multiplicatur patronatus, at dividitur exercitium iuris: immediati heredes succedunt per capita, mediati per stirpes. De modo quo iure suo utentur convenire possunt, iuxta infra dicenda de praesentatione;

254. 4) *iuspatronatus familiare* transit iuxta terminos fundationis, quos accurate determinare interest, v. g. quod semper primogenito familiae reservetur. Si familia exstinguitur, et fundator suae familiae taxative ius reservavit, cessat cum ultimo superstite, secus ex dispositione ipsius iuris communis transit ab eo ad heredem et de familiari fit hereditarium (2).

255. IV. **De exercitio iurispatronatus.** — Cum *exercitium* proprie dictum iurisdictionis non contineatur in iurepatronatus, non excluduntur ab acquisitione neque ab exercitio iurispatronatus, laici, nec feminae, bene vero qui de corpore Ecclesiae non sunt. Ad acquirendum inhabiles sunt apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati etiam tolerati (3), infames saltem declarati. Toleratur aliquando ut haeretici iuspatronatus reale exerceant, quod ad ipsos cum re transit; nunquam transit ad ipsos iuspatronatus familiare, sed ad sola membra catholica familiae (4). Excommunicatus *vitandus* ita est exclusus ab exercitio iurispatronatus ut praesentatio ab eo facta nullius sit valoris; *toleratus* potest vel admitti vel reiici ab Episcopo. *Infantes* per se praesentare

(1) Si aliquod *institutum ecclesiasticum* heres evadit, sive per testamentum sive ab intestato, iurispatronatus *realis* vel *hereditarii*, ius e laicali ecclesiasticum evadit nec amplius per hereditatem transmittetur; si *gentilitium* est, institutum, v. g. monasterium illud habet, vivente monacho cui accedebat, quo mortuo ad alium de familia revertitur. Cf. Ferraris l. c. n. 17. 18.

(2) Wernz l. c. n. 419.; Ferraris l. c. n. 11. sq.

(3) Ita Wernz l. c. n. 409. contra plures v. g. Sägmüller, *KR.* § 80.

(4) Aichner, *Comp. iur. eccl.*, § 90. p. 321.

non possunt, at per tutorem vel curatorem; *impuberes* et *minores,* quamvis per se possint, melius per tutorem vel curatorem ius exercebunt.

256. V. **De iuribus et obligationibus patronorum.** — Patroni iuribus quibusdam *honorificis* et aliquando *utilibus* gaudent, praesertim vero iure *praesentandi;* ipsis vero incumbit onus *defendendi* ecclesiam et eius *necessitatibus* obveniendi, quae omnia duobus notis versiculis exprimuntur:

> Patrono debetur honor, onus, utilitasque;
> Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.

1) *Honor* (praesit) ipsi redditur per constitutionem sedis honoratioris in ecclesia, stemmatis gentilitii appositionem vel nominis inscriptionem in ecclesia aut ad ianuam ecclesiae, thurificationem, praecedentiam prae ceteris laicis in processionibus, etc. Quae iura sunt separabilia et separatim contra ea per consuetudinem contrariam praescribi potest.

2) *Utilitas* (alatur egenus), praestatur patrono, qui in inopia decidit, ipsi sustentationem ex reditibus superfluis, non autem ex ipsa dote, praebendo. At in limine fundationis aliquid plus, v. g. annuum censum, sibi reservare potuit.

3) *Defensio ecclesiae* non est *iurisdictio* in eam, nec ius *bona illius administrandi*, at potius ius patroni invigilandi ne id, quod *res sua* aliquo modo manet, pereat vel detrimentum patiatur. Hinc non contra ecclesiasticam potestatem exercendum est, quin potius sub ea, ad eamque adiuvandam, nisi forte ob abusum ab ea commissum, ad Superiores maiores recurrendum esset.

4) *Onus* insuper patronum urget contribuendi ad *reparationem* vel *reaedificationem* ecclesiae, vel ad reditus providendos pro expensis cultus, si aliunde defecerint. At onus illud non urget nisi patronum ob titulum correspondentem, scil. aedificationis pro reaedificatione, donationis pro expensis, dote pereunte; eumque non urget *absolute* sed *conditionate*, i. e. si velit suum ius servare (cf. infra n. 260. de cessatione iurispatronatus).

5) *Praesentatio* est ius praecipuum patroni, unde in ea paululum insistendum est.

257. VI. **De praesentatione.** — Praesentatio definiri potest: *ius designandi collatori beneficii clericum illum cui beneficium conferre debet.* Ius patroni est ita strictum ut collatio beneficii facta, praesentatione spreta, sit invalida; si ante praesentationem collatio facta fuerit, irritabitur ad instantiam patroni (1).

Patronus *ecclesiasticus sex menses* ad praesentandum habet, a die cognitae vacationis; *laicus quatuor;* in iure patronatus *mixto* probabiliter etiam *laicus sex menses* habet.

Patronus, sive laicus sive ecclesiasticus, potest unum vel plures praesentare, et si plures sint, unusquisque ius tantum *hypotheticum* ad beneficium obtinet, scil. eligi, si nullus ex aliis praesentatis eligatur. Insuper laicus, et is solus, habet ius *variandi*, i. e. iam praesentatis alios addendi, at sine exclusione iam praesentatorum: in rigore iuris, Episcopus non tenetur exspectare lapsum quatuor mensium, sed potest statim praesentatum a laico instituere.

Si intra tempus determinatum praesentatio facta non fuerit, sive ob negligentiam sive forte ob lites inter varios patronos, ius designandi beneficiatum devolvitur pro hac vice ad eum qui praesentato beneficium conferre debuisset.

Modus praesentandi, utrum verbo an scripto, a iure non determinatur.

Si plures sunt patroni, vel 1) hi *collegium aliquod* constituunt, v. g. Capitulum: tunc designatur praesentandus actu collegiali ad maioritatem absolutam suffragiorum; vel 2) agunt ut *singulae personae* et tunc inter se convenire possunt de modo candidatum designandi, v. g. successive per turnum; vel singuli suum candidatum proponunt et Episcopus eum sumet, qui relative maiorem votorum numerum

(1) Schmalz. in l. III. tit. 7. n. 4.; Wernz n. 445.

tulerit, aut si aequalia sunt vota, libere eligit. Non permittuntur patroni rem dirimere per sortem (1).

258. Praesentatus debet qualitates in limine fundationis forte requisitas habere, v. g. quod sit de tali familia vel loco, vel talibus gradibus aut Ordinibus praeditus (quae si *in bonum commune* statuuntur, ad liceitatem exiguntur; immo si per modum condicionis *sine qua non,* etiam ad validitatem); si *in favorem aliquorum* constitutae sint et hi non reclament, suo iuri renuntiare censentur.

Semper autem debet esse *ad minus dignus*, immo patrono ecclesiastico « generatim incumbit obligatio digniorem praesentandi » (2); si plures praesentantur, Superior digniori beneficium conferre debebit. Si patronus *ecclesiasticus scienter indignum* proposuerit, pro hac vice ius suum amittit, si *ignoranter*, iterum praesentare potest; si patronus *laicalis*, etiam *scienter,* indignum praesentaverit, ab Episcopo monitus alium praesentare debet, semper tamen intra tempus sibi competens.

Quando de beneficio parochiali agitur, patronus ecclesiasticus debet digniorem eligere inter eos qui concursum feliciter peregerunt, designatus a patrono laicali debet « ab eisdem deputatis examinari et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti » (Trid. sess. 24. c. 18. de ref.).

259. VII. **De cessatione iuris patronatus.** — Potest amitti *partialiter* vel *totaliter; partialiter* quidem: 1) si quis pro hac vice ius praesentandi exercere prohibetur, v. g. quia tempus elapsum est, vel quia scienter indignum praesentavit (si sit patronus ecclesiasticus), vel quia excommunicationem incurrit; 2) per *praescriptionem* aliquorum iurium (v. g. honorificorum), manente iure praecipuo, scil. praesentandi, vel vice versa per istius amissionem, ceteris manentibus.

260. *Totaliter* amittitur: 1) per *suppressionem* a R. Pon-

(1) Cf. Trid. sess. 25. c. 9. et S. C. Conc. 17. Febr. 1821. in edit. RICHTER p. 456. n. 20.

(2) WERNZ n. 425. innixus Trident. sess. 24. c. 18. de ref. et sess. 25. c. 9. de ref.

tifice factam, qui certe iura omnia tollere potest, si unquam Ecclesiae fini noceant;

2) *pereunte subiecto*, cui titulus patroni inhaeret, v. g. legitime suppresso instituto ecclesiastico (1), exstincta familia vel hereditaria successione, destructa re temporali cui annectebatur iuspatronatus reale;

3) *pereunte obiecto*, circa quod ius exercebatur: v. g. ecclesia penitus diruta sine spe reaedificationis, destructa totaliter dote vel etiam fundo (2);

4) per *praescriptionem* iisdem conditionibus ac supra n. 251. pro modis derivativis acquirendi iuspatronatus dictum est (3);

5) per *resignationem*, quantum per leges fundationis et ius commune licet, cauto etiam ne onera patrono imposita sic vitentur. Iuripatronatus *reali* renuntiari licet; iuri *gentilitio* non potest quis renuntiare nisi pro se solo; iuri *hereditario*, nec simul *gentilitio*, facilius renuntiari potest (4);

6) iuxta ius commune, si patronus *consentit commutationi* ecclesiae patronatae in cathedralem, collegiatam, regularem, amittit ius praesentandi, servatis ceteris (5);

7) tandem amittitur iuspatronatus *in poenam* aliquo-

(1) Ut transeat ius ad alios, v. g. ad regem, requiritur Indultum S. Sedis, ut datum est art. 35. Concord. cum Austria 1855., art. 11. Conc. cum rege Bavariae. Cf. Nussi, *Conventiones*, p. 315. 150.; Aichner, *Comp.* § 94.

(2) Ubi notandum est, ut supra iam innuebatur, patronum ratione aedificationis, dotationis, fundi, non teneri *absolute* ad reparanda haec damna, at *hypothetice*, si patronatum servare voluerit, et tunc praefertur aliis qui damna reparare vellent.

(3) At generatim non sufficit non-usus iuris sed usus contrarius requiritur, v. g. si alius patronatum exercet, vel si Episcopus libere nominat, praesertim si Episcopus praesentationem factam non admisit et beneficium, patrono intra tempus sibi concessum non reclamante, libere contulit. Aichner, *Comp. iur. eccl.*, § 94. p. 335. b.; Sägmüller, *KR.* § 85.

(4) Sic licebit ei renuntiare in favorem ecclesiae patronatae, vel etiam in favorem alterius ecclesiae; et si sit laicus, etiam sine Episcopi consensu.

(5) Idem habetur si *unioni* per *subiectionem* aut *incorporationi* plenae (vel plenissimae) consentit; si *unioni* per *confusionem* nil sibi reservans, omnia iura amittit. Sägmüller l. c. § 85.

rum *delictorum:* 1) ob venditionem aut permutationem simoniacam; 2) ob usurpationem bonorum aut iurium ecclesiae patronatae; 3) ob haeresim, schisma, apostasiam, vel aliud crimen confiscationem bonorum inducens; 4) ob occisionem aut mutilationem rectoris vel alius clerici ecclesiae patronatae. In hoc ultimo casu amissio iurispatronatus est definitiva et omnes successores occisoris vel mutilatoris affectat; in ceteris, solum delinquentem ([1]).

III. De collatione proprie dicta

261. **Notio et divisio.** — Facta *designatione* seu *vocatione* per *electionem, nominationem* vel *praesentationem*, ius *ad beneficium* tantum acquiritur, et illa *designatio* improprie tantum sub nomine *collationis* venit, cum haec sensu proprio intelligatur actus Superioris qui officium concedit. Per collationem ius *in rem,* seu ius *reale in beneficium* traditur.

Si beneficium sit collationis liberae, nulla praecedit designatio distincta personae, sed simul unico actu, qui *collatio* strictiori sensu vel *plena provisio* ([2]) audit, Superior personam designat eique beneficium confert.

Si aliqua designatio vel vocatio praecessit, tunc pro natura illius designationis, varia nomina sortitur concessio tituli per Superiorem competentem facta: si *electio* praecessit, dicitur *confirmatio electionis;* si *postulatio, admissio postulationis;* si *nominatio* a gubernio civili vel *praesentatio* a patrono, *institutio collativa tituli* (qui est terminus generic us).

262. **De collatore officii et beneficii. — I. De R. Pontifice.** — R. Pontifex sicut erigere, sic conferre potest quaelibet officia et beneficia, et aliquorum collationem sibi reservat vel *absolute* et *in omni casu*, vel in *aliquibus* tantum *adiunctis;* alia beneficia de iure communi per alios Prae-

([1]) Cf. Trid. sess. 25. c. 9., sess. 22. c. 11. de ref.; SCHMALZG. h. t. 38. n. 262.: WERNZ n. 438.; AICHNER, *Comp.* § 94.; SÄGMÜLLER l. c. § 85.

([2]) Supra n. 231.

latos (generatim per Episcopos), conferuntur : hi sunt *collatores ordinarii :* at R. Pontifex non sibi ius aufert *cumulative* cum eis suam universalem potestatem exercendi.

R. Pontifex *solus* beneficia confert in casu *reservationis* (et *affectionis*) aut *devolutionis* (aliquando); *cumulative* cum ordinariis collatoribus concurrit per *praeventionem* aut per *concursum*. De singulis aliquid est dicendum.

263. A). **Reservatio** definiri potest *officii ecclesiastici vacaturi per R. Pontificem ad se facta avocatio:* hoc verbo *vacaturi* significatur quod beneficii istius, *quoties vacabit*, R. Pontifex collationem sibi reservat, at nulli confert ius in beneficium, *antequam vacet*, ut in *praeventione* habetur.

Reservationes dicuntur *generales*, si lege quadam generali sunt statutae, *particulares* vel *speciales*, si ob circumstantias speciales R. Pontifex *in individuo* aliquam collationem sibi reservet ; reservationes generales sunt *absolutae* vel *conditionales*, prout lex omnes vacationes certorum beneficiorum vel sub quibusdam tantum adiunctis, v. g. temporis, reservat.

Reservationes generales praesertim ex Regulis Cancellariae habentur ; quaedam, in poenam delicti, ex Constit. praesertim S. Pii V., Gregorii XIII., Sixti V, statuuntur.

R. Pontifex *solus* confert :

1) *omnia officia maiora* (episcopatus et supra) (Reg. 2. Cancell.) ([1]) ;

2) *Abbatias* « *Nullius* » et *primas dignitates* in *Capitulis* cathedralibus vel collegiatis (Reg. 4.) ;

3) *Beneficia vacantia in Curia Romana*, quando scl. beneficiatus quilibet moritur in loco, ubi degit Curia Rom. vel in distantia duarum diaetarum (C. 2. 3. 34. 35. de praeb. III. 4. in Sext.) ;

4) *Beneficia vacantia in mensibus papalibus* (Reg. 9.),

([1]) Unica exceptio in Occidente est in favorem Archiep. Salisburgensis qui libere confert episcopatus Secoviensem, Lavantinum et (saltem in tertia vacatione) Gurcensem ; Episcopo Gurcensi, in aliis duabus vacationibus nominato ab Imperatore Austriaco, institutionem canonicam confert.

qui sunt sex menses numeri imparis, Ianuarii, Martii, etc. si Episcopus legem residentiae observat; secus octo: Ianuar., Febr., Apr., Maii etc. (1);

5) tandem *ratione criminis,* vel in *collatione beneficii* vel a *beneficiato* commissi, reservantur R. Pontifici: *a*) beneficia a reis *simoniae confidentialis* antea possessa, quae ipso facto amittuntur; *b*) *parochiae iurispatronatus ecclesiastici*, cum neglectu concursus Tridentini provisae; *c*) *beneficium* illius qui in *haeresim* incidit, vel *d*) qui *tonsuram* et *habitum clericalem* non deferens, privatus beneficio fuerit.

Sed varia concordata plures reservationes, praesertim a Reg. Cancellariae statutas, sustulerunt, hisque multum est attendendum.

264. B). **Affectio** est species quaedam reservationis, quae locum habet quando R. Pontifex *aliquem actum circa beneficium posuit, vi cuius, ex reverentia vel obsequio ipsi debito, collator ordinarius hac vice a collatione abstinere debet;* v. g. si Papa beneficium *in commendam* dedit (i. e. alicui curam et custodiam beneficii vacantis contulit), mortuo commendatario beneficium reservatum manet; vel si quis beneficium in manibus R. Pontificis resignavit et is acceptaverit.

265. C). **Devolutio** est « *translatio iuris conferendi officium in immediatum Superiorem ecclesiasticum ipso iure facta ob culpam vel negligentiam in provisione admissam* » *ab electore vel patrono vel collatore* (Wernz l. c. n. 324.). Habebit locum vel *ob negligentiam*, qua statutum *tempus* praeterlapsum fuit; v. g. si patronus ecclesiasticus intra sex menses, laicalis intra quatuor, neminem praesentaverit; — vel ob *culpam in ipsa provisione admissam,* ut si patronus ecclesiasticus *scienter* indignum praesentaverit; — vel ob *formam* aliquam *substantialem omissam,* v. g. si post suffragationem

(1) Huic reservationi non subiacent beneficia quae iurispatronatus laicalis sunt ex titulo *primariae fundationis.*

publicatio votorum aut *communc decretum* praetermissum fuerit (1).

Tunc devolvitur ius ad *immediatum Superiorem,* qui tamen vera iurisdictione gaudeat, non mero titulo aut praerogativa honoris decoratus sit, ut nunc solent esse Patriarchae et Primates praesertim in Occidente ; i. e. ad Episcopum, si agitur de electore, patrono aut collatore ipsi inferiore; ad Metropolitam, si de Episcopo aut Capitulo, sede vacante; ad R. Pontificem, si de Metropolita vel etiam de Praelatis et Episcopis exemptis agitur.

266. D). **Praeventio**. — R. Pontifex *cumulative* cum ordinario collatore ad beneficii provisionem confert: scl. ante beneficii vacationem aliquem designando qui illud obtinebit quando vacabit. Illae *exspectativae* olim saepius concedebantur, at ob non parva incommoda omnes iam concessae sublatae sunt a Concilio Tridentino, quod etiam prohibuit eas in futurum fieri (sess. 24. c. 19. de ref.). Inde non ligatur R. Pontifex, bene vero omnes inferiores collatores ; nec solet ipse Papa exspectativas concedere, nisi pro Episcopis vel Praelatis regularibus *coadiutoribus cum iure successionis,* quae exceptio ceterum ab ipso Tridentino (sess. 25. c. 7. de ref.) est admissa.

267. E). **Concursus** cum ordinario collatore in hoc consistit quod vacans officium tum R. Pontifex tum collator ordinarius conferre potest, et tenet collatio prius facta; quia supponitur a primo conferente absolute facta collatio beneficii *adhuc vacantis,* non iam *impleti* per collationem ab altero. Quod si uterque simul confert, legitime possidens manet in possessione; si neuter adhuc possederit, is obtinet cui R. Pontifex contulit.

268. II. **De collatoribus R. Pontifici inferioribus.** — A). De iure communi Episcopus beneficia minora in sua dioecesi confert, et quidem a die quo litteras Apostolicas suo Capitulo cathedrali praesentavit ; exercet illud ius etiam extra dioecesim ; nomine Episcopi Vicarius generalis, etiam

(1) Cf. supra n. 235.; WERNZ n. 324.

sine speciali mandato, beneficia confert. Sede vacante Capitulum vel Vicarius capitularis beneficia *necessariae* non autem *liberae* collationis confert (1).

B). Praeter Episcopum aliquando ius collationis habebit Capitulum vel clericus inferior, non autem laicus. At 1) praesumptio stat pro Episcopo, contra quem alter ius suum probare debet (2);

2) si beneficium annexam habeat iurisdictionem, v. g. curam animarum, haec ab Episcopo vel Vicario generalis est obtinenda et actus Episcopi iurisdictionem conferentis illi qui ab alio titulum beneficii obtinuit, dicitur *institutio auctorizabilis* vel etiam *approbatio* (3).

269. **De ipso actu et adiunctis collationis.** — Actus collationis debet esse: 1) *liber* non tantum a *vi* et *coactione*, ob quam involuntarius et proinde invalidus esset, at etiam a *dolo* vel *metu* qui, si gravis et iniustus fuerit, collationem vel invalidam, ut plures volunt, vel saltem rescindibilem facit (4);

2) *uni certae* et *determinatae* personae factus (et hoc ad validitatem);

3) *absolute* non *conditionate* positus (ad liceitatem), iuxta Reg. Iuris 50. in Sext.: « Actus legitimi conditionem non recipiunt (neque diem) ». Et collatio debet *in perpetuum* fieri (5);

4) *signo* quodam *externo manifestatus*, immo *aperte* et *palam*, *non clandestine*: occulta collatio, etsi valida, generatim est illicita. Signum externum ex natura rei non est determinatum, nec de iure communi generatim *scriptura* exi-

(1) Wernz. l. c. n. 339.

(2) Aichner, *Comp.* § 85.

(3) Cf. Wernz. t. II. n. 450. sq. Santi, *Praelect. iur. can.* in l. III. tit. 7. n. 4. 8. 19.

(4) Wernz n. 323.

(5) Quamvis enim *perpetuitas subiectiva* de essentia beneficii probabilius non sit (supra n. 203), a iure tamen explicite pro beneficiis parochialibus collatio perpetua praescribitur, et generatim ab auctoribus etiam pro ceteris requiri iudicatur.

gitur. Aliquando tamen saltem ad exercitium iuris ita requiritur ut ante *confectionem* et etiam *praesentationem* documenti collatio facta non censeatur (1);

5) *absque vitio simoniae iuris divini vel ecclesiastici*, quae et *nullitatem* provisionis et *alias poenas* ipso facto incurrendas vel ferendae sententiae, contra simoniacum conferentem et acceptantem induceret;

6) sine diminutione (cf. supra n. 219.);

7) *intra tempus a iure statutum*. Pro collatione *necessaria* beneficii *parochialis, iurispatronatus sive ecclesiastici sive laicalis, duo menses* post praesentationem conceduntur; (probabiliter pro laicali iurepatronatus, ob concessum ius *variandi*, tempus duorum mensium non urget, nisi a quarto mense post vacationem) (2).

Ius de aliis beneficiis nil statuit, at certe si ordinarius collator nimis tardaverit, poterit patronus ad ipsius Superiorem recurrere (3);

8) *Acceptatio collatarii* ad *valorem* collationis requiritur, nisi Superior *possit* et *velit* officium ei imponere (4).

IV. De adipiscenda possessione

270. Regulariter ille qui ius reale in (officium et) beneficium obtinuit, nequit istud per se ipsum *apprehendere*, sed per actum Superioris competentis *in possessionem immitti* indiget. Ratio est quia interim res ab alio legitime possi-

(1) Sic Episcopus ante praesentationem Capitulo factam Litterarum Apostol. suae promotionis vel confirmationis, administrationem dioecesis inire severe et sub gravissimis poenis prohibetur.

(2) Si intra duos menses Episcopus Officium non contulerit, vi Const. S. Pii V. « *In Conferendis* » 18. Mart. 1567. § 4., R. Pontifici collatio reservatur : si tamen ipse patronus collationem urgere voluerit, recurrere potest pro lubitu ad Metropolitam, vel Episcopum viciniorem, vel R. Pontificem. (WERNZ n. 445).

(3) Is collatori terminum praefiget, quo inutiliter elapso, patronus adire poterit vel Metropolitam (vel Legatum a latere) vel ipsum R. Pontificem.

(4) Cf. supra n. 198, an et quando Superior officium imponere possit invito.

deri potest; insuper, si quis administrator beneficii vacantis sit, de titulo novi beneficiati ipsi constare debet.

Haec *immissio*, quae generali termino *institutionis corporalis vel realis* designari potest, pro variis etiam beneficiis varia sortita est nomina: pro *Episcopis*, *inthronizatio* dicitur; *pro canonicis*, *installatio*, scilicet sedis in choro seu *stallae* assignatio; pro aliis beneficiis, *investitura* seu simpliciter *institutio corporalis* seu *realis*.

Insuper pro beneficiis minoribus haberi potest traditio *verbalis*, seu cuiusdam *rei symbolicae* traditio, qua ipsum beneficium exprimitur et repraesentatur.

Cardinales et Episcopi possessionem suae ecclesiae per se capiunt aut thronum conscendunt; derogatur pro ipsis legi generali: sufficienter enim aliunde incommodis cavetur; pro beneficiatis minoribus autem applicatur regula: unde vel a Superiore in possessionem immittendi sunt, vel ab eo potestatem obtinent *per se* beneficium apprehendendi, quod facilius concedetur si Superior traditionem *verbalem* seu *symbolicam* iam concesserit. Si quis possessionem beneficii minoris nondum vacantis, violentia contra actualem possessorem adhibita, ceperit, eo ipso ius amittit quod vel *ad beneficium* vel *in beneficio* iam obtinuerat (1).

Sola auctoritas ecclesiastica, nullo modo civilis (2), dare potest institutionem realem; immo ipsa immissio fieri non potest nisi per *ecclesiasticam* personam (ut a *laico* fiat, requiritur R. Pontificis Indultum): nam habetur aliquod iurisdictionis exercitium. Olim pro beneficiis inferioribus per *Archidiaconum* fiebat, nunc per *Vicarium generalem* aut per alios ab Episcopo *generaliter* vel *specialiter* deputatos, v. g. per Vicarios foraneos.

271. **Effectus institutionis realis.** — 1) Dat *facultatem expeditam administrandi* beneficium, nisi forte haec iam antea obtenta fuerit, ut pro Episcopis per Litterarum Apost. praesentationem, pro parochis per ipsam tituli collationem;

(1) WERNZ n. 446.

(2) AICHNER, *Comp.* § 85. de abusibus in Austria toleratis.

(at vi Decreti « *Ne temere* » parochi, tantum « a die *adeptae possessionis*, valide adsistunt matrimoniis omnibus in suo territorio celebratis »).

2) Dat *potestatem praescribendi*. Ex Reg. 35. Cancellariae, quando quis *unum annum* pacifice possedit, qui litem contra ipsum intentat, probare debebit possessorem non esse verum dominum, non tantum illegitime possidere, et tunc dicitur lis intentari in *petitorio*, non tantum in *possessorio*; ex Reg. 36. qui per triennium pacifice beneficium, cum titulo colorato, possedit, ipsum praescribit saltem contra querelas privatorum. (De valore istius praescriptionis conferri potest Schmalz. in t. 7. l. III. n. 59. qui putat verum *titulum* inde obtineri, dum Wernz. n. 449. contrariam sententiam Leurenii ut magis fundatam habet).

3) Beneficium *incompatibile* antea possessum vel resignari debet vel ipso facto vacat (qui casus post Trid. universalis dicendus videtur, ut supra n. 206. dictum est).

4) Currit tempus intra quod: *a*) recipi debet *conveniens Ordo* (*sacerdotium* pro curam animarum habentibus, saltem *subdiaconatus* pro canonicis cathedralibus); *b*) *professio fidei* est emittenda (cf. infra n. 273., cum restrictione ex *Motu proprio* « *Sacrorum Antistites* » inducta); *c*) currit etiam tempus a quo in Missa Episcopus nominari debet, aut *d*) beneficiatus Officium divinum recitare tenetur.

Articulus V

De beneficiatorum obligationibus

272. Cum in praecedentibus de provisione beneficii dictum sit, antequam de vacatione beneficii tractetur, seu de modis quibus beneficium desinere possit titularem habere, interest praecipuas beneficiatorum obligationes brevi conspectu proponere. Quaedam obligationes certis beneficiatis, v. g. Episcopis, sunt omnino *propriae*, aliae omnibus beneficiatis aut saltem pluribus beneficiatorum categoriis *com-*

munes; hic tantum obligationes huiusmodi considerabimus; quae omnino propriae sunt, aptius tractantur ubi de singulis officiis.

Obligationes *communes* lato sensu ad sequentes fere reducuntur: professionem fidei, Officii divini recitationem, obedientiam canonicam, superfluorum redituum in causas piaslargitionem, residentiam (pro plerisque beneficiis duplicibus).

273. I. **Professio fidei** [1]. — *Omnes beneficiati*, in *prima Synodo dioecesana*, cui post beneficii adeptionem interesse debent. professionem fidei a Tridentino praescriptam (sess. 25. c. 2. de ref.) emittere tenentur (cuius formula a Pio IV. a. 1564. est delineata, cum adiunctis a Pio IX. post Conc. Vaticanum determinatis);

2.) beneficiati *cum cura animarum*, qui *canonicatus* et *dignitates* in ecclesiis *cathedralibus* obtinent, intra *duos menses* post adeptam possessionem, professionem fidei emittunt « in manibus ipsius Episcopi vel, eo impedito, coram generali eius Vicario vel Officiali »; alterum autem Episcopus delegare non valet sine speciali R. Pontificis Indulto. Insuper canonici et dignitates eamdem professionem semel emittere debent *in Capitulo* collegialiter congregato (quae professio sufficeret, si Episcopus in Capitulo tunc praesens esset).

Qui omnes supradicti (curati, canonici, etc.), si hanc praescriptionem neglexerint, « fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur »: hinc in conscientia tenentur fructus post bimestre perceptos restituere.

Haec a Trid. (sess. 24. c. 12. de ref.) statuta, aliquantulum per *Motum proprium* « *Sacrorum Antistites* » 1. Sept. 1910. sunt modificata. Sancitum est enim omnes *beneficiatos, parochos, canonicos* teneri, *ante ineundam beneficii possessionem*, ad emittendam professionem fidei Pii IV., addita nova formula iurisiurandi contra errores Modernistarum, quam formulam postea subscribere debent. Et ex declaratione S. C.

[1] Wernz t. III. n. 12. sq.; Oietti, *Synopsis*, v. *Professio fidei*.

Consist. 1. Mart. 1911. haec professionis fidei emissio, ante initam possessionem facienda, alteri substituitur (1);

3) *Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi,* in prima *Synodo provinciali* cui intersunt, eamdem professionem Tridentinam emittunt (sess. 25. c. 2. de ref.): ceterum mos est ut omnes Episcopi in Synodo praesentes eam emittant. Hi non tenentur ad iusiurandum contra modernos errores.

274. II. **Officium divinum** (2). — *Beneficiati*, nisi aliter cautum fuerit in lege fundationis, ad *recitationem Officii divini* tenentur. Urget obligatio a die adeptae possessionis, et quidem *ex iustitia*, ita ut fructus retinere nequeant, si non recitaverint. Et Alexander VII. a. 1665. damnavit propositionem, quod restitutio in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis non debeatur (3). Duplex tamen admittitur moderamen: 1) quod beneficiatus ad restitutionem non teneatur pro *sex primis mensibus* ab adepta possessione, quamvis peccaverit recitationem negligendo (4); 2) quod si praeter Officium alias habeat obligationes, v. g. curam animarum, omnes fructus restituere non teneatur, sed partem tantum quae Officio neglecto respondet (5).

275. III. **Obedientia canonica** (6). — Clerici omnes iam aliquo modo tenentur de obedientia legitimis Superioribus praestanda, et qui sacerdotio initiantur, solemnem obedientiae promissionem in ipsa Ordinatione emittunt. At insuper saepe strictiori adhuc modo ligantur beneficiati.

1) Qui professionem fidei Tridentinam pronuntiant, in

(1) Acta Ap. S. t. II. p. 669. et t. III. p. 134.

(2) WERNZ t. II. n. 193. sq.

(3) Prop. 20. inter damn. 24. Sept. 1665. DENZ. - BANNW., *Enchir.* n. 1120.

(4) Conc. Lateran. V. § 38.; S. Pius V. Const. « *Ex proximo* » § 1. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.* t. IV. n. 340. sq.

(5) BUCCERONI, *Inst. Theol. mor.* t. II. n. 122.; NOLDIN, *De praec.* Cf. auctores Theol. mor. de variis obligation. ad recitat. Officii divini pertinentibus.

(6) WERNZ t. II. n. 190. sq.

ea simul promissionem iuratam emittunt de eadem fide constanter retinenda et de obedientia S. Pontifici praestanda.

2) Inde a saeculo XIII., communi iure tenentur omnes Episcopi in consecratione obedientiam R. Pontifici iurare (1);

3) Aliquando, iure particulari, parochis et forte aliis praescribitur aliqua promissio obedientiae iuramento firmata, quae v. g. in investitura canonica pronuntiatur, ex qua tamen novae obligationes non oriuntur, at potius novus habetur titulus, quo ad obligationes implendas adiguntur.

Beneficiati debent Episcopo dioecesano obedire, eius legibus et praeceptis, sententiis et correptionibus, prompte obsecundando, in his praesertim quae ad obligationes Officii spiritualis vel ad administrationem bonorum beneficialium spectant; non debent, absque eiusdem licentia, in aliam dioecesim discedere, derelicto servitio ecclesiae cui in Ordinatione addicti forte sunt. Immo etiamsi ad titulum patrimonii ordinati fuerint, nequeunt pro lubito dioecesim deserere (2).

276. IV. **De redituum superfluorum usu.** — Tenentur beneficiati *reditus superfluos* ex bonis ecclesiasticis, i. e. beneficialibus vel eis assimilatis, in causas pias (pauperes, cultum divinum etc.) expendere.

Beneficiati intelliguntur omnes *titulares beneficii veri nominis*, etiam *manualis*, seu ad nutum Episcopi amovibilis. Sub nomine *beneficialium bonorum* veniunt (seu ratione obligationis eis assimilantur) ea omnia quae beneficiato, praesertim parocho, a subditis vi legis ecclesiasticae necessario modo sunt praestanda: 1) *decimae* vel aliae contributiones

(1) PHILLIPS, *KR.* t. II. § 81. p. 191. sq.

(2) Et quamvis nequeat Episcopus clericum, nullo certo loco adscriptum, impedire quominus e dioecesi discedat ut alibi parochiam accipiat (S. C. Conc. 5. Dec. 1574.; 12. Iun. 1604.), potest tamen, si eius opera indiget, ipsum in dioecesi retinere, dummodo de congrua sustentatione ei provideat (S. C. Conc. 26 Ian. 1833.). Cf. WERNZ. t. II. n. 192. III. cum notis. SCHERER, *Handb.* t. I. p. 449. sq. Cf. etiam Resp. S. C. Conc. 30 Nov. 1911. in Act. Ap. Sed. t. II. p. 911. sq., quomodo Episcopus possit aliquando cogere clericos ad suscipiendum iterum munus parochiale.

necessariae; 2) *iura* quaedam *stolae*, quae nec ut *pretium laboris* nec libere per modum *meri honorarii* dantur, sed ex lege ecclesiastica necessario danda sunt *ut pars sustentationis* parocho debitae; 3) *pensiones* ab his guberniis solutae, quae olim bona ecclesiastica usurparunt (habent proinde indolem restitutionis pro ipsis beneficiis suppressis) (1).

Non comprehenduntur sub hac obligatione ea quae clericus ut *bona propria* habet: 1) *patrimonialia*; 2) *propria industria* acquisita; 3) *parsimonialia*, quae parcius vivendo ex his reditibus beneficii retinet, quos pro se expendere potuisset; 4) *labore personali acquisita*, v. g. stipendia Missarum, honoraria pro certis functionibus, plura iura stolae; 5) ex *spontaneis* fidelium *largitionibus* parta.

In regionibus ubi beneficia parochialia nec parochiae stricte dictae existunt, tali obligationi non subiciuntur *rectores curati*, etiamsi forte pingues habeant reditus; *Episcopi* vero teneri videntur.

Ut *superflua* habentur, quae ultra sustentationem honestam pro clerici gradu et dignitate percepta sunt. Haec debet beneficiatus in pauperes vel causas pias expendere; ipsius tamen est usum determinare. Quo *titulo* teneatur reditus superfluos ita expendere, non plane constat, et res est inter AA. libere disputata (2).

277. V. **De obligatione residentiae** (3). — Inter beneficia ecclesiastica alia ad residentiam obligant, alia non: ge-

(1) S. Poenit. 19. Ian. 1819. WERNZ t. III. n. 83. 184. 186. 1.

(2) Dicendum videtur obligationem illam, ut est *stricta*, *gravis*, *absoluta*, *ex lege ecclesiastica* ultimatim esse repetendam. Ita cum LESSIO, BUCCERONI t. I. n. 870.; WERNZ t. III. n. 186; NOLDIN, *De Praecept.* n. 781. qui post S. ALPHONSUM. *Theol. Mor.* l. III. n. 491-92. addit: ob motivum *religionis*. Hinc cum obligatio ista *ex iustitia* oriri non videatur, et clericus verus dominus horum redituum evaserit, peccabit quidem eos aliter expendens, at tantum contra *legem ecclesiasticam* et *obedientiam* (forte etiam contra *religionem*), non contra *iustitiam*, nec ad restitutionem tenebitur. Obligatio tamen sic contracta, cum sit *realis*, ad heredes clerici transit. *Gravitas* tandem ex materia *absolute spectata* non est stricte computanda.

(3) Lib. III. tit. 4. de clericis non residentibus in eccl. vel praebenda.

neratim *residentialia* sunt omnia beneficia *duplicia*, quibus scl. alia obligatio adnectitur praeter Officium divinum (et forte Missae celebrationem); immo si ista obligatio Officii (Missae) in certo loco implenda esset, beneficium, quamvis simplex, esset residentiale.

Residentia definitur: *continua in loco beneficii commoratio. ratione officii personaliter implendi.* Potest quis *materialiter* tantum residere, corpore quidem praesens, at nullum servitium praestans; residentia, quae *formalis* seu *activa* dicitur, officia muneri adnexa assidue impleta connotat. Patet hanc, non illam, per legem ecclesiasticam intendi, at generatim, nisi residentia etiam materialis negligatur, non incurruntur poenae contra non-residentes. Res enim esset nimis odiosa et facile arbitraria, pertinetque ad vigilantiam Superiorum beneficiatos negligentes ad officia recte implenda exstimulare.

278. Si de origine obligationis residentiae quaeratur, dicendum est: 1) pro *beneficio chorali*, est certe *originis* mere *ecclesiasticae:* nam ipsa Officii divini *obligatio*, a fortiori ut implenda in loco determinato, tota quanta ab Ecclesia constituta est: ergo et obligatio residendi quae ex praecedentibus totaliter enascitur: 2) si de *officio curato* agitur, res est magis dubia: hinc innumerae ferbuerunt controversiae, quas, *theoretice* dirimi non posse animadvertens, Conc. Tridentinum ex proposito reliquit, leges de residentia renovans poenasque vel antiquas confirmans vel etiam novas constituens ([1]).

Breviter innuemus quae circa illam quaestionem dicenda videntur: 1) si quis officium suscipit, cui *cura animarum* annectitur, de *iure naturali*, a fortiori de *iure divino* ex voluntate Christi, obligationes sui officii implere tenetur. Et cum 2) negari nequeat *meliori modo* per personalem administrationem, quae *praesentiam* exigit, curam subditorum agi, hinc quaedam obligatio iuris divini, saltem *convenientiae*, asseri potest: quod *praxis Ecclesia* confirmat, quae quali-

([1]) Cf. BENED. XIV., *De Syn. dioec.*, l. VII. c. 1.

tates *personales* ad beneficium implendum considerat et exigit, beneficiatisque *residentiam imponit.* At 3) non probatur existere *absoluta* et *stricta* residendi obligatio, quae *constanti* modo urgeat: nam fieri potest et saepe fit, ut quis *per alium aeque bene*, immo *melius* ac *per se*, subditos regat, et tunc desinit obligatio *naturalis;* obligatio *absoluta* et *stricta iuris divini* nullibi diserte in S. Scriptura exprimitur nec clare ex Traditione eruitur; unde ex *sola lege ecclesiastica*, etiam pro Episcopis, derivanda dicenda est; a fortiori adhuc pro *parochis* quorum officium, cum adiecta cura animarum, institutionis ecclesiasticae est (1).

Hinc intelligitur ampla potestas Ecclesiae dispensandi in *personali* residentia, dummodo curae animarum satis provideatur: *propria* enim, non tantum *vicaria* potestate in ea dispensat. De modo quo lex residentiae urget Episcopos, canonicos, parochos, aptius tractabitur ubi de singulis his officiis.

Articulus VI

De beneficiorum vacatione

279. **Notiones.** — Sicut varii gradus in provisione alicuius beneficii distinguuntur, per quos aliquis ex *non-beneficiato* paulatim ad statum *beneficiati* ascendit, gradatim obtinens: 1) *ius ad rem* (per electionem, nominationem, praesentationem), si beneficium necessariae collationis sit, dein 2) *ius in re* (per liberam collationem vel per confirmationem electionis aut per institutionem collativam tituli), tandem 3) *possessionem beneficii* (per inthronizationem, installationem, investituram); sic distinguendi sunt varii gradus in vacatione beneficii, prout *actuali* tantum *possessore* care-

(1) Cf. Schmalzgr. in l. III. tit. 4. n. 26. sq. Quamvis propugnet obligationem iuris *divini*, non tamen eam absolutam et indispensabilem facit. Cfr. Wernz t. II. n. 471.

bit, vel tantum *titulari* (seu domino) beneficii, vel tandem *utroque*.

Si beneficium quidem habet *titularem* (cui proinde ius in re competit), at qui *nondum* vel *non amplius* possidet, *vacare* dicitur *de facto tantum;* si *nullus titularis* beneficii existit, id vero *de facto* detinetur seu possidetur, sive *legitime*, v. g. ob titulum coloratum cum bona fide, sive etiam *illegitime*, v. g. per intrusionem, (ut rectius tenet Wernz t. II. n. 312. contra aliquos), beneficium *de iure tantum* vacat. Si tandem neque titulus realis in beneficio nec actualis possessio habetur, vacat *de iure et de facto* (*plena vacatio*). Quando in iure sermo est de vacatione, intelligitur haec *plena* vacatio vel saltem *vacatio tantum de iure* (non autem *de facto tantum*).

Vacatio, si *in fieri* spectatur, *amissio* beneficii dicitur.

280. **De variis modis vacationem inducendi.** — Vacatio (vel amissio) beneficii induci potest: 1) ipso facto; 2) voluntate beneficiati; 3) voluntate Superioris ecclesiastici.

I. **Ipso facto** inducitur 1) *morte beneficiati*, non autem ratione *morbi, senectutis*, etsi forte inde incapax officii rite exercendi evaderet: at tunc coadiutorem sibi assumere vel a Superiore datum admittere eique congruam sustentationem praebere debet (1), reliquos fructus sibi retinens;

2) per *assecutionem beneficii incompatibilis*: Si incompatibilitas sit *primi generis* (cf. supra n. 206.) vacatio primi beneficii eo ipso inducitur quod pacifica possessio alterius initur. Si *secundi generis*, tenetur tunc beneficiatus primo beneficio renuntiare (2). Sed nunc, post Tridentinum, multi Auctores tenent eodem modo induci vacationem pro om-

(1) Cap. 1. 3. 5. X. de clerico aegrot. III. 5.

(2) Ex iure antiquo incompatibilia sunt (incompatibilitate primi generis, pro modo loquendi antiquiorum canonistarum): 1) beneficia omnia *maiora*, abbatiae, beneficia *curata, dignitates* et *personatus,* ita ut nec duo *similia* nec duo *quaecumque* illius primae categoriae simul haberi possint; 2) duo beneficia etiam *simplicia uniformia*, i. e. eamdem functionem, puta servitium chori, *sub eodem tecto*, i. e. in eadem ecclesia, habentia; 3) duo beneficia *regularia*. Ex iure praesertim Tridentino duo beneficia residentialia, immo

nibus beneficiis incompatibilibus, ita ut secundo pacifice obtento, prius eo ipso vacet (1);

3) per *solemnem professionem* in aliquo Ordine regulari omne beneficium vacat; at per professionem *simplicem* etiam *perpetuam* de iure communi non vacat beneficium saltem non-residentiale (2);

281. 4) in poenam *Ordinis non recepti*, et quidem a parochis. ob non receptum sacerdotium intra annum a possessione; ab Episcopis, si consecrationem episcopalem, intra sex menses a promotione per R. Pontificem, non receperint (supra n. 226.). Alii quidem beneficiati, v. g. canonici, non amittunt ipso facto beneficium, at ipsis terminus praestituitur ut Ordinem statutum accipiant, quo inutiliter transacto, beneficio privabuntur;

5) per *matrimonium* a beneficiato in minoribus Ordinibus constituto, sive *valide* sive etiam *invalide* initum, nisi invaliditas sit ex defectu consensus (proinde etiam per matrimonium *clandestinum invalidum* vel *civile*, cum consensu tamen et intentione maritali): clericus Ordinum maiorum non amittit ipso facto beneficium, at per Superiorem privari debet (3);

6) ob *alienationem bonorum beneficii* contra canonicas sanctiones factam;

---

duo beneficia seorsim ad sustentationem sufficientia cumulari nequeunt; (at haec *olim*, incompatibilitate tantum secundi generis, incompatibilia fuissent, ita ut vel propria renuntiatio vel privatio per competentem Superiorem necessaria fuisset). Cfr. SCHMALZGR, in l. III. tit. 5. n. 105. sq.

(1) HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze* § 257. not. 2.; cf. WERNZ t. II. n. 317. 319.; SÄGMÜLLER, *Lehrb. d. k. K.* § 66. Aliter AICHNER, *Comp.* § 88.

(2) S. C. Ep. et Reg. 30. Mart. 1908. in Actis S. S. t. XLI. p. 304. VERMEERSCH, *Periodica* t. V. p. (17.); contradicit vero AICHNER, *Comp.* § 95. p. 337. Utrum vacatio beneficii *residentialis* inducatur per professionem perpetuam in Congregatione votorum simplicium non constat, etiam post responsum (particulare) affirmativum S. C. Ep. et Reg. pro Filiis Cord. Imm. B. M. V. De his cf. tractatus de Relig., v. g. WERNZ t. III. n. 638. III. cum not. 283. VERMEERSCH, *De Relig. Inst. et pers.* n. 202. sq.

(3) AICHNER, *Comp.* § 95. et § 75. 2.; WERNZ t. II. n. 532. 201. III.

7) ob alia *gravia* et *notoria crimina:* haeresim, schisma (saltem cum haeresi coniunctum), falsificationem Litterarum Apost., sodomiam, mutilationem aut percussionem aut vulnerationem Cardinalis, Episcopi proprii, rectoris seu parochi proprii, i. e. in cuius ecclesia situm est beneficium. Requiritur tamen *sententia declaratoria*, nisi omnino statuatur: « *absque alia sententia declaratoria* » vel « *nulla monitione praevia* » (1). At effectus sententiae retrahitur ad diem quo crimen fuit commissum.

282. II. **Voluntate beneficiati** inducitur vacatio per beneficii *resignationem*, aut per *permutationem*.

Resignatio definitur: *voluntaria dimissio proprii officii et beneficii facta ex iusta causa coram legitimo Superiore acceptante.*

Dicitur: 1) *proprii officii et beneficii*, quo innuitur saltem ius *in beneficio* acquisitum, etsi forte nondum adepta fuerit possessio, nam iuri *ad* beneficium renuntiare non est proprie *resignare;*

2) ex *iusta causa,* quae competenti Superiori probanda est, haec ad *liceitatem* exigitur;

3) *acceptatio* ad *validitatem* requiritur: officium enim ecclesiasticum rationem habet muneris publici, quo quis propria tantum voluntate sese liberare non potest.

Resignatio est *pura* seu *absoluta* vel *conditionata*, prout resignans nullam vel aliquam conditionem suae resignationi apponit, v. g. quod sibi pars fructuum reservetur.

283. **Regulae de resignatione.** — *Causae iustae,* si agitur de munere *episcopali* resignando, in summario cap. Nisi quis 10. X. de renunt. I. 9. sic exprimuntur:

> Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
> Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

(1) Immo plures cum LEGA, *De delict. et poen.* tenent hanc sententiam declaratoriam saltem ex consuetudine semper requiri. Contradicunt: WERNZ t. VI. n. 63. 117.; HOLLWECK, *D. k. Stratzg.* § 90. not. 11.

Quae quidem non *taxative*, i. e. per completam enumerationem, ad exclusionem cuiusvis alterius causae, enuntiantur, at *per modum exempli*. Cum autem eo fortius sit vinculum, quo altior dignitas, minor causa requiretur ad resignandum beneficium inferius. v. g. parochiale.

At insuper lex *restrictiones* apposuit exercitio iuris resignandi. Praeter casum enim quo beneficiatus *incapax* est actus voluntarii ponendi, puta ob amentiam, (et tunc ipso iure *naturali* prohibetur), insuper iure *ecclesiastico:*

1) qui *ad titulum beneficii* ordinatus est, illud resignare nequit, nisi sibi alium honestae sustentationis titulum procuraverit;

2) qui Religionem stricti nominis ingressus est, ante duos menses qui solemnem professionem praecedunt, nullis beneficiis renuntiare valet, immo renuntiatio in illo bimestri facta effectum non habet nisi secuta professione.

Superior competens ad accipiendas resignationes est: 1) *R. Pontifex solus* pro beneficiis *maioribus* (etiam praelaturis « *Nullius* ») vel *exemptis;* pro beneficiis omnibus etiam minoribus, quoties resignatio non est *pura* et *absoluta*. Sic ipsi reservantur: resignatio cum *reservatione accessus*, *ingressus* vel *regressus* [1]; vel cum *reservatione pensionis;* vel *in favorem tertii* [2].

2) Episcopus est competens pro beneficiis *minoribus:* nam de regula generali resignationem is acceptat, qui beneficiatum *destituere* vel *deponere* potest. Ad vitandos tamen

[1] Cf. Trid. sess. 25. c. 7. de ref. Reservatio *accessus* habetur, si obtinens ius *ad* beneficium, huic renuntiet sub hac conditione quod is, cui beneficium conferetur, istud postea, ad nutum resignantis, vel ipsi vel tertio quem designabit relinquet: renuntiatio cum tali reservatione non est proprio sensu *resignatio*, cum haec supponat ius *reale* iam acquisitum. Reservatio *ingressus* habetur quando is, qui ius *in* beneficio habet, nondum adepta possessione, suo iuri renuntiat, at sub eadem conditione ac supra. Dicitur tandem reservatio *regressus*, quando, possessione iam obtenta, aliquis beneficio renuntiat, sub conditione quod illud denuo pro lubitu regredi possit.

[2] Schmalz. in l. I. tit. 9. n. 23.; Sägmüller, *KR.* § 86.; Wernz n. 498.

abusus, restricta est haec potestas ad resignationes *puras* et *absolutas*.

284. **Permutatio** beneficiorum dicitur *simplex*, quando duo beneficiati suo beneficio renuntiant ea tamen, eaque sola, conditione adiecta, quod uterque in alterius beneficium instituetur; hinc *beneficium* pro *beneficio*, non pro *alia re*, v g. pro *pensione* tradendum est. *Reciproca* est permutatio si uterque renuntiat, non iam in favorem alterius beneficiati, sed personae ei gratae, v. g. consanguinei (1).

285. **Leges de permutatione.** — Beneficiati *propria auctoritate* permutationem beneficiorum facere non possunt, et qui eam attentarent, beneficium, saltem post iudicis sententiam, amitterent (2). Cur propria auctoritate nequeant, facile apparet ex eo quod permutatio pro unoquoque beneficiato duos actus includat, ad quos auctoritas Superioris necessaria est: *renuntiationem* unius beneficii et alterius *adeptionem* (3) (cf. supra n. 114. 196. 282.).

Admittere potest *Episcopus* permutationem *simplicem* beneficiorum minorum suae dioecesis coram ipso factam, dum adsit causa legitima et consensus eorum, si qui sunt, qui eligendi, praesentandi vel etiam conferendi ius haberent. Si *desit* iusta causa, vel a Superiore non fuerit examinata et approbata, permutatio nullius est valoris.

Alias permutationes Episcopus admittere nequit; quae ceterum merito habendae sunt ut resignationes *in favorem tertii*, quas (supra n. 283.) diximus Rom. Pontifici esse reservatas (4). Possunt tamen *tractatus praevii* inter beneficiatos haberi, quibus habitis, rem Episcopo detegunt, simul

(1) *Triangularis* (vel *quadrangularis*) est permutatio, si *primus* in favorem *secundi* renuntiet; *secundus*, *tertii* (*tertius*, *quarti*); *ultimus* tandem in favorem *primi*. Nec difficulter intelligitur hos omnes modos excogitatos fuisse ad leges quasdam ecclesiasticas invertendas, v. g. quae stricte prohibent ne filii illegitimi beneficium obtineant in ecclesia in qua pater suum habuit. Cf. Trid. sess. 25. c. 15. de ref.

(2) SANTI, *Prael. iur. eccl.* in l. I. tit. 9. n. 27.; WERNZ n. 510.

(3) WERNZ t. II. n. 504. cum notis 25. 26.

(4) WERNZ l. c. n. 501. III.

ac faciunt renuntiationem simplicem ab eo petentes ut iuxta tractatum beneficia renuntia conferat.

286. III. **Voluntate Superiorum** vacare possunt beneficia per *translationem* et per *privationem*, aut per *administrativam remotionem*.

Translatio est *mutatio magistratus vel beneficiati ecclesiastici de uno officio in aliud ex competentis Superioris ecclesiastici auctoritate, ob iustam causam necessitatis vel utilitatis Ecclesiae, canonice facta*. Duo includit: *revocationem* ab uno officio, *promotionem* ad aliud, at generatim accedente consensu clerici translati. Servanda sunt omnia quae in beneficiorum collatione praescribuntur.

R. Pontifex solus Episcopos, *Episcopus* inferiores beneficiatos transferre potest.

Si translatio, *volente* beneficiato, fit, potest ad quaecumque beneficia etiam minus bona fieri; si ipso *invito*, gravior requiritur causa et recurrendum est ad remotionem administrativam seu oeconomicam (de qua infra n. 288.), nisi tamen ratio necessitatis aut magnae utilitatis animarum illam translationem exigat ([1]).

287. **Privatio** est *amissio beneficii a lege ecclesiastica vel a competente Superiore inducta ob delictum a beneficiato commissum*. Privatio aliquando *ipso facto* incurritur, aliquando *sententia iudiciali* infligitur. Supra (n. 281.) innuebatur etiam in primo casu semper requiri *sententiam declaratoriam* criminis, probabiliter ne excepto quidem casu in quo dicitur « absque alia sententia declaratoria ». Effectus huius sententiae est ut beneficium ab ipso momento criminis commissi amissum censeatur: fructus proinde ab eo tempore restitui debent. E contra si sententia iudiciali condemnatoria beneficii privatio inducitur, effectus privationis a momento tantum prolationis sententiae incipiunt.

Crimina propter quae *ipso facto* incurritur suspensio n. 281. enumerata sunt. Ea pro quibus infligi *potest* (*vel de-*

([1]) Cf. nuperrimum responsum S. C. Conc. Rmo Episc. Apamiensi, quo hoc asseritur, in *Nouv. Revue Théol.* 1914. p. 7.

bet) sunt: 1) *non-residentia,* quando praeviae monitiones et correctiones contemptae sunt; 2) *non-susceptio Ordinis* qui pro canonicis exigitur in cathedralibus vel collegiatis; 3) alia tandem crimina, v. g. concubinatus, in iure determinata, non arbitratu Episcopi determinanda; quae semper sunt delicta gravia.

Degradatio tam verbalis quam realis, et depositio adnexam habent beneficii privationem.

Ordinarius loci est ad sententiam ferendam competens.

Appendix. — De amotione administrativa parochorum

288. Aliquando parochus, quamvis nullam commiserit ex culpis propter quas beneficio privari possit, tamen facto ipso sese inhabilem et incapacem ostendit parochiae ita regendae ut animarum saluti apte provideatur. Quae cum sit suprema lex, iam olim admittebatur (et in praxim deducebatur haec sententia) parochum cogi posse ad renuntiandum, et si renueret, beneficio privari; quae privatio *remotio oeconomica* seu *administrativa* dicebatur.

Cum autem ius Episcopi satis indeterminatum et praxis valde variabilis esset, prodiit 20. Aug. 1910. decretum S. C. Consistorialis, quod incipit « *Maxima cura* » (1), per quod et causae amotionis et procedura sequenda clare constituuntur. Huius decreti summa sequentibus continetur:

1) Causae amotionis sunt praesertim insania, incapacitas, aut gravis infirmitas reddens parochum officiis suis implendis imparem, odium populi (etiam iniustum), bonae aestimationis amissio, crimen occultum, at quod mox publicum erit cum scandalo, neglectio gravis officiorum parochialium. (Const. cit. can. 1.).

2) Si qua ex his causis habetur, Episcopus, de consensu duorum ex examinatoribus synodalibus, invitat parochum ad renuntiandum (can. 8. sq.).

3) Si is renuit, decretum amotionis fertur ab Episcopo,

(1) *Act. Ap. Sed.* t. II. p. 636. sq.

cum suffragio deliberativo etiam duorum ex examinatoribus synodalibus (can. 14. sq.).

4) Si parochus appellat, Episcopus negotium revidet et decernit, cum suffragio deliberativo duorum *consultorum*, qui et ipsi eligi debent in Synodo, at ex parochis semper, et diversi erunt a praecedentibus (can. 22. sq.).

5) Non datur locus ulteriori appellationi contra hanc sententiam (can. 25. § 2.).

Accurate traduntur in decreto regulae sequendae ad designationem et interventum tum examinatorum tum consultorum (can. 3.-7. et passim) (1).

Decretum illud regit remotionem omnium qui parochiam obtinent, quovis titulo, ut proprii rectores (can. 30.); et valet etiam pro Anglia et Statibus Foederatis Americae Septentionalis (2).

SECTIO III

De variis gradibus hierarchiae iurisdictionis.

Praenotandum.

289. Postquam in Tractatus Secundi Sectione I^a^ de *iurisdictione in genere* actum est, et in Sectione II^a^ de *officiis* et *beneficiis*, quoad erectionem provisionemque ipsorum, et quoad obligationes (in genere) eorum qui talia obtinent, restat ut de *singulis officiis in specie*, seu de singulis gradibus hierarchiae iurisdictionis tractemus, quod erit obiectum Sectionis III^ae^.

Cum autem duplex ex his gradibus, nempe *Primatus R. Pontificis* in universam Ecclesiam, et *episcopatus*, de iure divino constitutus fuerit; cum proinde doctrina generalis

(1) Cf. etiam Resp. S. C. Consist. 3. Oct. 1910. *Act. Ap. Sed.* II. p. 854.

(2) Resp. S. C. Consist. 28. Febr., 13 Mart. 1911. *Act. Ap. Sed.* t. III. p. 133.

circa potestatem illam duplicem ad ius ecclesiasticum publicum pertineat (1) (aut etiam aptissime in Theologia dogmatica fundamentali proponatur, ut in Universitate Gregoriana fit), nobis fere unice proponenda manet expositio regularum canonicarum, seu iuris proprie *ecclesiastici*, quibus determinatur tum constitutio seu designatio illorum magistratuum, tum exercitium potestatis eorumdem. Plura enim non *a iure divino* in specie, sed *ab Ecclesia* ipsa sunt determinata.

Insuper ceteri gradus, qui in hierarchia iurisdictionis nunc reperiuntur, ab Ecclesia constituti sunt: hinc variae quaestiones circa ipsorum constitutionem, potestatem, mutuas relationes, ad ius privatum et consequenter ad actualem tractationem pertinent.

In Articulo I. de *R. Pontifice* agetur, ubi, postquam de *transmissione potestatis* pontificiae et *designatione personae* egerimus, varia de *exercitio potestatis* eius trademus et in specie de *forma* qua eam suis subditis manifestat, nempe per *Constitutiones* (sensu generico) et *Rescripta*; duplex addetur appendix de *immunitate personali* et de *potestate temporali* R. Pontificis.

In Articulo II. de *Cardinalibus*, qui sunt praecipui et magis immediati R. Pontificis adiutores, et de *Curia Romana* agemus, seu de variis *Congregationibus*, *Tribunalibus* et *Officiis*, quibus ipsa constat.

Articulus III. erit de *Legatis Pontificiis*, utpote qui post Cardinales strictiorem nexum cum persona Pontificis habent ipsiusque potestatem magis directe repraesentant.

Articulus IV. de *Patriarchis, Primatibus* et *Metropolitis*, pro eminentiore dignitate qua gaudent super omnes, exceptis S. R. E. Cardinalibus.

Articulus V. erit de *Episcopis*, ubi etiam de *Synodo dioecesana* tractabitur. Tandem successive agetur de *Capitulis* et de *Vicario capitulari* (art. VI.) — *de parochis* (art. VII.)

(1) Cf. Quaest. iur. eccl. publ. p. 9. 10.

— de *vicariis* tum *in genere*, tum *in specie* (de vicariis R. Pontificis, Episcoporum, parochorum adiutoribus) (art. VIII.).

Ultimo loco, per modum appendicis, agetur de *Conciliis oecumenicis*, *plenariis*, *nationalibus*, *provincialibus*, quoad ipsorum *potestatem* et quoad *modum*, quo exercetur haec potestas iuxta leges ecclesiasticas (*remissive* tamen, ubi quaestio dogmatica tangetur).

Articulus I.

De Romano Pontifice.

A. De electione R. Pontificis.

I. — Notiones praeviae.

290. **Praesupposita dogmatica.** — Ex tractatu dogmatico de R. Pontifice, probatum assumimus Christum Dominum Petro primatum iurisdictionis, plenam nempe potestatem directam et immediatam in omnes fideles et quoad omnia negotia ordinis religiosi contulisse. Quem primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam, B. Petro *immediate* et *directe* a Christo promissum et collatum, usque ad finem mundi perdurare voluit divinus Ecclesiae institutor ; et Ecclesia, supra Petrum fundata, a Petro semper, i. e. a R. Pontifice, Petri successore, suum robur obtinet. Unde Conc. Vaticanum (sess. IV. c. 2. 3.) definivit R. Pontificem esse B. Petri in primatu super universam Ecclesiam successorem, et obtinere « plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent », et habere « totam plenitudinem huius supremae potestatis », quae est ordinaria et immediata, « sive in omnes ac sin-

gulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles » (1).

Quae omnia sunt de fide definita; at definitum non est *quomodo transmittenda* sit successoribus Petri potestas illa suprema, nec *quomodo designanda* sit persona illa, quae Petro in primatu succedere debeat: quae sunt duo inter se distincta.

Hinc primo aliquid de transmissione potestatis dicetur; deinde de ipsa designatione personae, seu de R. Pontificis electione, amplius tractabitur.

291. **De potestatis transmissione.** — Potestas suprema, seu primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam, personae illi, quae in R. Pontificem electa fuit, *immediate a Deo* confertur, simul ac electionem acceptat. Quod sic probatur: 1) nullus est in terris superior R. Pontifice, a quo potestatem accipere possit; nec 2) ullo probatur argumento Deum hanc potestatem ipsi Ecclesiae, vacante Sede Romana, contulisse, quam electo deinde transmitteret; (sive nomine Ecclesiae intelligatur coetus fidelium, sive clerus, sive Cardinales); quam si non accepit, transmittere non valet. Unde Innocentius III. (c. Novit 13. X. de iud. II. 1.) ait: « Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo » (2).

R. Pontificis potestatem accipit electus, statim ac electioni de se factae consentit, ante inthronizationem, coronationem vel consecrationem, ut patet tum ex antiqua Ecclesiae praxi, vi cuius statim post electionem et acceptationem suo munere fungi incepit, tum ex declarationibus Nicolai II. et praesertim Clementis V. (c. 4. de sent. excomm. V. 10. in Extr. comm.) qui excommunicatos ipso iure fore decernit eos qui litteras impugnare auderent a R. Pontifice ante electionem concessas.

(1) DENZINGER-BANNWART n. 1824. sq. praes. 1825. 1831. Cf. tractatus dogmaticos de R. Pontifice, v. g. PALMIERI, *De R. Pontifice* Part. I.; MAZZELLA, *Praelect. Scholastico-dogmat.* tract. de R. Pontif., disp. V.; BILLOT, *De Ecclesia Christi* t. I. q. XIV; PESCH, *Praelect. dogmat.* t. I. prop. 45.; WILMERS, *De Christi Ecclesia* l. II. c. 2.

(2) WERNZ t. II. n. 568.

292. **De personae designatione.** — Duo ut certa assumere possumus: 1) Deus *non immediate* per revelationem Petri successorem designat, quae res est evidens; 2) Deus *modum* designationis *non constituit*. Nullum enim huius rei vestigium nec in S. Scriptura nec in divina Traditione reperire est, et ex ipsa ecclesiasticae disciplinae variatione satis patet huiusmodi determinationem deficere.

At ex altera parte, cognita natura Ecclesiae, qualis a Deo constituta est, i. e. qua societas *perfecta* et *hierarchica*, certo concludere possumus: 1) Ecclesiam, societatem *perfectam* et *independentem*, in negotio maximi momenti, scl. in supremi sui capitis designatione, a societate nulla civili, utpote ordinis diversi et inferioris, dependere ullatenus debere; 2) cum sit societas *hierarchica* et *inaequalis*, nequaquam pendere potest illa designatio a *laicis*, qui infimum in Ecclesia locum obtinent, et qui, iuxta ipsius Christi voluntatem, obedire, non praeesse debent.

Unde tandem asserere licebit ad ipsum R. Pontificem pertinere modum designationis determinare. Nec enim ad ullum alium in Ecclesia, v. g. ad Concilia generalia vel PP. Cardinales, hoc pertinere per aliquod iuris divini testimonium probatur; et certe supremae et plenae R. Pontificis potestati adversaretur; ceterum argumentum evincens habetur, constans et perpetua Ecclesiae praxis, quam erroris insimulare nefas esset.

Proinde varios modos designationis R. Pontificis exquirere nil aliud est nisi varias determinationes rimari, quas de hoc negotio per decursum temporis pro varietate adiunctorum RR. Pontifices constituere (1).

(1) Inter auctores libere disputata est quaestio sequens: an R. Pontifex ipse suum successorem designare et eligere possit? Quamvis enim communior videatur sententia negans, quam propugnarunt FAGNANUS, BARBOSA, FERRARIS, recentius PHILLIPS, *KR.* t. V. p. 729. sq.; HERGENRÖTHER, *Lehrb.* p. 243.; LECLERCQ, *Hist. des Conc.* t. II. p. 1349. sq.; nunquam tamen defuerunt auctores bonae notae qui affirmarent hanc potestatem, ad minus in casu verae et extraordinariae necessitatis, R. Pontifici probabilius non deesse. Ita VICTORIA. LEDESMA, SUAREZ, VASQUEZ,

II. — Conspectus historicus de electione R. Pontificis (1)

Satis apte distingui potest triplex forma praecipua electionis R. Pontificis, quas formas ratione temporis quo viguerunt, *antiquam*, *novam*, *novissimam* nuncupare licebit: *antiqua* usque ad Nicolaum II., qui Cardinalibus electionem reservans, *novam* induxit formam; *novissima* vero accurate a Leone XIII. et Pio X. constituta est.

293. **Forma antiqua** varias nec leves admisit mutationes.

I. *Electio a clero, approbante populo.* Tempore persecutionum, seu primis tribus saeculis, fere ad coniecturas reducimur: probabile est R. Pontificem, sicut ceteros Episcopos, electum fuisse a clero suo, i. e. a presbyteris et

---

nunc MANY, HOLLWECK in *Archiv. f. kath. Kirchenrecht* t. 74. p. 329. sq.; SÄGMÜLLER ib. t. 75. p. 413. sq.; WERNZ t. II. n. 567.; GRISAR, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen Age* t. II. p. 49. sq. Cfr. ORTOLAN in *Diction. de Théol. cath.* v. *Election des Papes* col. 2281. sq. qui huic sententiae potius adversatur. Ipse TARQUINI, quamvis talem potestatem in genere neget, nihilominus addit: « nisi forte in casu verae et extraordinariae necessitatis ». CAPPELLO, *De Cur. Rom.* II. p. 185 sq. optime rem tractat.

Ratio affirmandi est: quia suprema potestas iurisdictionis ad hoc etiam negotium sese extendere dicenda est, nisi vel ex argumentis iuris divini vel ex ipsa rei natura probetur limitari. Iamvero nullum argumentum ex S. Scriptura vel Traditione in contrarium afferri potest; ex natura autem rei si aliqua ratio habetur cur talis modus ut ordinarius excludatur, ne successio quasi hereditaria in damnum Ecclesiae inducatur, exclusio tamen in *omni* casu nullatenus inde concludi potest.

Nec spernendum argumentum eruitur ex facto, nunc vix in dubium revocato, designationis Bonifacii II. (530,-532.) a S. Felice IV. (526.-530.) factae. Ipse Bonifacius suum successorem designaverat et, si ante mortem designationem Vigilii retractavit, immo et decretum nominationis combussit, non probatur hoc fecisse quasi de *potestate* sua dubitaverit. Si tandem documenta quaedam RR. Pontificum contra sententiam affirmantem invocantur, haec vim statuti disciplinaris non excedunt nec sunt verae definitiones et authenticae declarationes. (Cf. WERNZ l. c. n. 567.; GRANDERATH, *Stimmen aus Maria Laach*, t. 45. (1893.) p. 81. sq.).

(1) THOMASSIN, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, P. II. l. II. c. 16. 25. sq.; PHILLIPS, *Kirchenrecht* t. V. § 248. sq.; WERNZ t. II. n. 570. sq.

diaconis Romanis, adiectis forte Episcopis vicinis; populus Romanus suo consensu electionem comprobabat (1); summa pace, ut videtur, negotium istud procedere solebat.

II. *Ingerentia Imperatorum et Regum.* Data pace Ecclesiae, Imperatores paulatim aliquam sibi potestatem vindicaverunt in negotium electionis, sive sub praetextu tumultus compescendi aut contentiones sedandi, sive ex innato dominationis desiderio. Quam ingerentiam Reges Barbarorum, Italia suis armis subiugata, imitati sunt; ipsi Imperatores Byzantini, Imperio Occidentali recuperato, saltem electionem approbandi et eius occasione tributum ingens exigendi ius praetenderunt (2), vel etiam « veto » apponendi, quod saepe longissimis vacationibus et omnimodis turbationibus occasionem dedit.

III. *Maior RR. Pontificum independentia* saec. VIII. et IX. successit, cum ab Imperatoribus Byzantinis liberi evaserunt et territorium independens sunt nacti; quod si, ob auxilium a Pipino et Carolo M. praestitum, Imperatoribus Gallis manifestatio electionis post vel etiam ante consecrationem fieri debuit, inde non magnum detrimentum subiit electionis libertas; at saepissime influxum infaustissimum in electionem exercuerunt factiones Urbis, plebis tumultus, maxime vero saec. X. principum et comitum Romanorum colluctationes, effrenataque dominationis et influxus in S. Sedis provisionem exercendi cupido.

IV. *Instaurato Imperio* a Ioanne XII. (955.-964.) in fa-

(1) « Factus est (Cornelius) Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras... de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus, de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum paene omnium testimonio, de plebis quae tunc adfuit suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio ». S. Cyprianus. Ep. 55. ad Antonianum apud. KIRCH, *Enchir.* n. 244. Cf. ORTOLAN, in *Dict. de Théol. cath.* v. *Elect. des Papes* col. 2287.

(2) Cf. LECTOR, *Le conclave* p. 26.; GRISAR, *Hist. des Pap.* t. II. p. 12. sq. 15. 26. sq. 50. sq. Iam anno 532. Ioannes II. summam 3000. solidorum aureorum (circa 300.000 libellarum nostrae monetae) Attalarico Regi solvere debuerat.

vorem Ottonis I. et Regum Germaniae, talem potestatem sibi novi Imperatores vindicaverunt ut practice electio canonica illusoria evaserit et ab ipso Imperatore personae designatio facta fuerit (1). Laudi quidem Imperatorum, praesertim Henrici III., cedere debet quod viros omnino dignos et idoneos nominaverint, at luce clarius apparet talem potestatem, constitutioni Ecclesiae vix consentaneam, maximis abusibus ansam praebuisse.

294. **Nova forma.** — I. *Electio a Cardinalibus.* Nicolaus II. in Conc. Romano a. 1059 (c. 1. Dist. 28.) potestatem illam Imperatorum exorbitantem et nullo vero iure fundatam restrinxit novumque electionis modum constituit. Principalis pars in electione Cardinalibus Episcopis reservabatur, accedente reliquorum Cardinalium, cleri et populi consensu, « salvo debito honore et reverentia dilecti filii Henrici ». Per praxim paulatim remota est cooperatio ceterorum clericorum et privilegium Imperatoris (2), et *soli* sed *omnes* Cardinales electionem peregerunt. Quam praxim Alexander III. in Conc. Later. III. a. 1179. saltem tacite ratam habuit (c. 6. de elect. I. 6.), statuens duas tertias partes Cardinalium votum concors dare debere ut quis electus habeatur.

II. *Disciplina conclavis.* In Conc. Lugdun. II. a. 1274. (c. 3. de elect. I. 6. in Sexto) Gregorius X., ad vitandum ne longissimo tempore Sedes Apostolica vacaret (3), disciplinam conclavis introduxit, seu inclusionis Cardinalium in loco electionis peragendae, ubi seorsim unice negotium istud curarent, statuta etiam parsimonia cibi et potus, quae postea a Clemente VI. (1342.-1352.) ad benigniores terminos est redacta.

(1) Clemens II. (1046.-47.) concessit Henrico III. potestatem R. Pontificem confirmandi; Romani vero, desiderio pacis moti, iuraverunt se nullum in Papam electurum nisi consentiente Imperatore. Cf. ORTOLAN l. c. col. 2309.

(2) Gregorius VII. (1073.-1085.) *ultimus* est qui electionem suam Regi Henrico IV. notificaverit.

(3) Vacaverat S. Sedes 2. annos et 9. menses, ante ipsius Gregorii electionem!

Clemens V. (1305.-1314.) decreverat nullum Cardinalem ab electione ob censuram ecclesiasticam esse excludendum (1). At Iulius II. (1503.-1513.), per Const. « *Cum tam divino* » postea in Conc. Later. V. (a. 1913.) approbatam, poenam invaliditatis contra electionem simoniacam statuit; item Paulus IV. (1555.-1559.) Const. « *Cum ex Apostolatus Officio* » 15. Feb. 1559. electionem illius qui unquam in haeresim incidisset ipso iure nullam declaravit. (Cf. infra n. 297. an hae duae praescriptiones adhuc vigeant).

Forma electionis accurate a Gregorio XV. (1621.-1623.) per Const. « *Aeterni Patris Filius* » 15. Nov. 1621. et per Const. « *Decet Romanum* » 12. Mart. 1622. (cum *Caerimoniali* ei adiuncto) descripta est, cum schedularum forma, eas plicandi modo, numero suffragationum in die faciendarum. Quae forma electionis, vix mutata, a Clemente XII. et Pio IX. confirmata est, salvo iure R. Pontificis pro casibus extraordinariis providendi. De facto Pius IX., capta Urbe, quatuor Constitutionibus vel Edictis, novo rerum statui provident, praesertim per Const. « *Consulturi* » et per *Regolamento* diei 10. Ian. 1878., pro casu quo extra Urbem electio fieri deberet. Quod accuratius adhuc per Leonem XIII. Constitutione « *Praedecessores nostri* » et *Regolamento* adiecto fuit determinatum.

III. — Disciplina vigens de electione R. Pontificis

295. **Novissima forma** determinatur per Const. Pii X. « *Vacante Sede* », quae negotium *electionis* nunc *unice* regit et *potestatem S. Collegii*, tempore vacantiae S. Sedis, accurate declarat, sublatis omnibus aliis Bullis, decretis, etc. praeter Const. « *Commissum nobis* » de iure exclusivae et Const. « *Praedecessores* » cum « *Regolamento* » Leonis XIII., pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis (2).

Hac Constitutione, quamvis disciplina anterior essen-

(1) C. 2. de elect. I. 3. in Sext.

(2) Cf. prooem. Const. « *Vacante Sede* » Act. Pii X. t. III. p. 240.

tialiter mutata non fuerit, plura tamen nova sunt constituta, plura mutata et tandem omnia, quae ad vacantiam Sedis Apost. et negotium electionis pertinent, claro et conspicuo modo sunt praescripta. (Cf. CAPPELLO l. c. t. II. l. III. c. 4.-6.).

296. **Electores** sunt *omnes* et *soli* Cardinales legitime creati (nec depositi aut quorum renuntiatio a R. Pontifice acceptata fuerit), mente sani, in Conclavi praesentes; — qui sint saltem diaconi (1); — et in Consistorio publicati, etsi nondum insignia cardinalitia acceperint nec os eis apertum fuerit (2).

Censuris irretiti non excluduntur (3). Ius Cardinalium eligendi Papam salvum manet, etiam tempore Concilii oecumenici, quod ceterum per ipsam Pontificis mortem suspenditur (4).

Cardinales absentes a Cardinali Decano vel, eo impedito, ab alio Cardinali moniti, debent in virtute S. Obedientiae statim iter ad locum electionis arripere, nisi legitime impediantur (« *Vac. Sede* » n. 35.).

297. **Eligibilitas**, seu *ius passivum* electionis, vix restringitur iure divino aut ecclesiastico (5).

(1) Secus excluduntur ab electione (Pius IV. Const, « *In eligendis* » § 25.; Sixtus V. Const. « *Postquam verus* » § 5.), nisi forte, ante mortem Papae, Indultum consecuti sint, ius electionis ipsis concedens.

(2) Const. « *Vacante Sede* » n. 30.; at Cardinales « in pectore » reservati, non sunt electores. (Cf. infra de Cardinalibus n. 336.).

(3) Clemens V. c. 2. de elect. in Sext. et Pius X. Const. « *Vacante Sede* » n. 29.

(4) Pius IX. Const. « *Cum RR. Pontificibus* » 4. Dec. 1869.

(5) Nullum ius competere ex voluntate Christi potestati civili sese intromittendi in negotium electionis, ut aliquem sive imponat sive excludat, tam evidens est ut probatione non indigeat. Viguit tamen ultimis saeculis praetensum aliquod ius *exclusivae*, de quo aliquid innuendum videtur.

Ius exclusivae erat potestas, quam sibi quaedam gubernia arrogabant, unum Cardinalem sibi minus gratum excludendi (cf. LECTOR, *Le Conclave* c. 13. sq.; ORTOLAN, in *Dictionn. de Théol. cathol.* v. *Conclave* t. III. col. 720. sq. *Praxis* quidem impediendi electionem illorum, qui Regi cuidam minus placebant, certe diu viguit. antequam ut ius quoddam vindicaretur. Hinc sat difficile est accurate determinare originem illius praetensi

Omnis vir, etiam laicus (1), dummodo sit baptizatus et usu rationis polleat, ita ut acceptare possit, eligibilis est. Nulla lege nunc excluduntur qui non sunt e clero Romano vel e collegio Cardinalium. Quod si aliqui antiqui canones (cc. 3. 4. D. 79.) non-Cardinales vel eos, qui de clero Romano non essent, prohibere videntur, certe abrogati sunt vel in desuetudinem abierunt. At *practice* Urbanus VI. (1378.-1389.) ultimus fuit, qui tempore electionis nondum Cardinalis, Hadrianus VI. (1522.-1523.), natione Batavus, ultimus, qui Italus non fuerit.

Sublatae sunt etiam iure novissimo, explicite aut saltem tacite, exlusiones aliae de iure ecclesiastico constitutae:

---

iuris. Certe post Pium IV. ita multiplicati sunt Principum interventus, ut v. g. Philippus II, Hispaniae rex (1556.-1598.), non tantum per exclusionem sibi minus gratorum intervenerit, sed etiam per « *inclusivam* », scl. sex vel septem Cardinalium nomina designando, inter quos eligendus esset Papa.

Non autem nisi in Conclavi, in quo Innocentius XII. a. 1691. fut electus, videtur haec exclusiva, seu illud « *Veto* », definitive constitutum et formaliter acceptatum (Lector l. c. p. 562.), ita ut deinceps tamquam praerogativa tribus guberniis Austriae, Galliae, Hispaniae competens agnosceretur, nullo quidem expresso privilegio sed quadam tolerantia et conniventia Ecclesiae: huic enim *exclusivae* solebant Cardinales deferre ad vitandas dissensiones et discordias. Cum autem et res periculosa sit et nunc vix non « *anachronismus* », cessato fere totaliter auxilio, quod olim gubernia catholica Ecclesiae praestabant, Pius X., ab ipso sui pontificatus exordio, 20. Ian. 1904. Constitutione « *Commissum nobis* » (quae tamen non nisi circa finem a. 1908. publicata est, in t. III. Actorum Pii X. p. 289. sq.) sub gravissima poena excommunicationis *lat. sent.*, futuro Pontifici reservatae, prohibuit illud *Veto* seu *exclusivam*. Quae prohibitio, necnon et poenae, a Const. « *Vacante Sede* » n. 81. renovatae, omnes attingunt, etiam non-Cardinales, qui, in Conclavi partem habentes, « munus a quavis civili potestate recipiant Veto seu Exclusivam etiam sub forma simplicis desiderii proponendi, ipsumque hoc Veto, qualibet ratione sibi cognitum patefaciant, sive universo Cardinalium collegio simul congregatis, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso durante ». (Cappello l. c. II. p. 491. sq. accurate rem tractat).

(1) Dissentit Hergenröther-Hollweck, *KR.* n. 344. not. 8. At communior sententia ipsi contraria est. Wernz t. II. n. 577. not, 57.

1) in simoniacos, per Iulium II. (sublata per Const. Pii X. n. 79.) (1);

2) in haereticos, per Paulum IV. Const. « *Cum ex Apostolatus officio* » 15. Feb. 1559.; quae exclusio cum in dicta Const. Pii X. non amplius memoretur, probabiliter est suppressa (2). At certe, iure naturali et divino, is nequit esse caput Ecclesiae, qui non est eius membrum: proinde electio illa, etsi ipso iure invalida dici nequit, nec firma est nec effectum sortiri potest, donec electus ab haeresi (vel schismate) non recesserit.

Cardinales nondum diaconi a suffragio *passivo* certe non excluduntur. Etsi enim verba Sixti V. in Const. « *Postquam verus* » § 5., aliquam dubitationem inducunt, tamen ex Const. Pii IV. « *In eligendis* » § 25., ad quam ipse Sixtus sese refert, dubium evanescit, cum de *non-diacono* dicatur: « is nullatenus ad *eligendum* admitti debeat », Ceterum quomodo excluderetur Cardinalis, etsi non diaconus, quando merus laicus eligi potest?

298. **De electionis forma.** — Ad validitatem triplex tantum forma admittitur: *quasi-inspiratio, compromissum, scrutinium* (cf. supra n. 235.); in hodierna praxi semper fit per scrutinium (3).

Cardinales omnes in Curia praesentes, die undecima post mortem R. Pontificem, expletisque solemnibus exse-

(1) Quod si aliqui auctores, etiam post Constitutionem illam, adhuc tenent *simoniacos* excludi, quamvis *electio* ipsa *simoniaca* valida sit, non apparet unde hoc asserere possint, nam nulla lex ecclesiastica nominatim simoniacos excludit; proinde tantum ut *haeretici*, in casu saltem simoniae notoriae, prohiberi possent, si exclusio haec adhuc vigeret.

(2) Ita WERNZ t. VI. n. 266. not. 41. et CAPPELLO l. c. t. II. p. 436.

(3) Const. «*Vac. Sed.* » c. 5. n. 54. sq. ubi triplex forma confirmatur et accurate describitur. *Adoratio*, saepe saec. XVI. usitata, ita fiebat: plures Cardinales adibant unum et coram ipso sese prosternebant in signum electionis; ceteri sequebantur. Postea suffragiis *apertis* idem eligebatur, quae *electio* non erat tunc nisi mera formalitas. Qui modus iam a Gregorio XV. ad formam solitae *quasi-inspirationis* fere reductus, tandem certe a Pio X. sublatus est. Cf. LECTOR l. c. p. 607. sq.

quiis, Conclave ingrediuntur et die sequenti negotium electionis aggrediuntur. Cardinales qui, incepta at nondum finita electione, ad Curiam perveniunt, in Conclave admittuntur; nec ullus inde exire debet, nisi ob gravem infirmitatem, de qua ex medicorum iuramento constabit.

Habetur quotidie scrutinium mane et vespere. Is electus est qui in una suffragatione duas tertias partes votorum Cardinalium praesentium obtinet, non numerato proprio suffragio, at ipso in numero votantium computato (1). Si in scrutinio matutino aut vespertino nullus est electus, statim aliud scrutinium sequitur: ante Const. « *Vacante Sede* » statim succedebat *accessio* (2).

299. **De acceptatione et coronatione.** — Facta et publicata in Conclavi electione, consensus electi per antiquiorem Cardinalem Diaconum est requirendus (3). Is, iuxta consuetudinem inde a Ioanne XII. introductam, novum nomen sibi assumit. Publicatur populo nomen Cardinalis electi et nomen quod sibi ut Papa assumpsit, a primo Cardinali Diacono (4).

Si electus nondum presbyter vel Episcopus fuerit, iuxta

(1) Cap. licet 6. de elect. I. 6.; Const. « *Vac. Sede* » n. 57.

(2) *Accessio* in hoc consistebat quod omnes Cardinales denuo schedam suffragii dare debebant: qui suffragium mutare volebat, unum tantum ex his Cardinalibus designare poterat, qui in primo scrutinio saltem unum votum obtinuerant: huic *accedere* dicebatur. Qui suffragium mutare nolebat, votum tradebat cum his verbis: Nemini accedo.

Dispositio quaedam schedularum verificationem instituere permittebat ne quis duabus vicibus eidem suffragium daret. Simul numeratis votis scrutinii et accessionis, si quis duas tertias partes obtinebat, electus habebatur; si duo duas saltem tertias partes obtinebant, is qui plura vota habebat eligebatur; si aequalia vota, nullus erat electus.

At nunc vi Const. « *Vacante Sede* » n. 76. suppressus est ille modus sat intricatus, substituta ipsi secunda suffragatione immediate post primam sine effectu factam.

(3) Caerem. Rom. l. I. tit. I. § 34.; Const. « *Vacante Sede* » n. 87. sq.

(4) « Annuntio vobis gaudium magnum: habemus Pontificem Eminentissimum Cardinalem Iosephum Sarto, qui sibi nomen imposuit Pium Decimum ».

antiquissimam Ecclesiae Romanae traditionem, a Decano Collegii Cardinalium, Episcopo Ostiensi, ordinatur et consecratur (1). Postea ipsi traditur pallium. Die dominico vel festo sequenti coronatio sequitur, quae per antiquiorem Cardinalem Diaconum fit (2). Tandem Papa possessionem suae ecclesiae Cathedralis S. Ioannis in Laterano apprehendit.

B) De R. Pontificis potestatis exercitio

300. R. Pontifex *summa* gaudet *potestate* sive *Ordinis* sive *iurisdictionis*. Et potestas quidem *Ordinis substantialiter* eadem est in ipso ac in ceteris Episcopis, at quoad *usum* multo latius patet, cum restringi nequeat in suo exercitio valido aut licito, nec quoad loca, nec quoad personas. *Iurisdictionis* potestas, quae R. Pontifici competit, est duplex: una *propria*, quatenus ipse est Ecclesiae, societatis visibilis et spiritualis, a Christo institutae, Caput et supremus Princeps; alia *vicaria*, quam nomine Dei in ipsum *ius divinum* exercet. Haec innititur dicto Christi ad Petrum: « *Quodcumque ligaveris... erit ligatum... Quodcumque solveris... erit solutum* ». (Matth. XVI. 19.) Vi illius potestatis R. Pontifex remittit, nomine Dei, non solum peccata, sed et obligationes plures ab humana voluntate contractas (3). Ad hanc etiam refertur infallibilis interpretatio tum legis naturalis tum revelationis supernaturalis. Potestas *propria* a Concilio Vaticano (sess. IV. c. 3.) definita est tamquam *plena* et *suprema*, *ordinaria* et *immediata*, in *omnes* et *singulos fideles* et *pastores* et in *omnia negotia* fidei, morum, disciplinae (4). Restat videndum quomodo R. Pontifex in exercitio huius potestatis procedere soleat, quod ad quadruplicem illam potestatem legiferam, administrativam, iudicialem,

(1) Caerem. Rom. l. I. tit. II. § 13.; *Liber diurnus*, ed. SICKEL p. 59. sq.

(2) Caerem. Rom. ib. § 18.

(3) Cuius potestatis existentia et extensio seu limites ab ipsa Revelatione explicita aut implicita cognoscuntur. Cf. de dispensatione legis supra n. 39. p. 39. not. 3.

(4) Supra n. 290. DENZ.-BANNW. n. 1831.

coercitivam spectat, quam Ecclesiae vindicandam esse probavimus, quaeque in suo supremo gradu in Capite Ecclesiae reposita invenitur.

I. Potestas legifera R. Pontificis

301. A. **De amplitudine huius potestatis.** — R. Pontifex potest pro *universo orbe* christiano *leges* condere, quibus tam pastores quam simplices fideles adstringuntur: supremo enim legislatori omnes obedire tenentur (1). At insuper, pro potestate sua *immediata*, regioni vel coetui determinato *leges particulares*, immo singulis christianis *praecepta particularia* imponere valet.

2) *Abrogare* potest leges tam suas quam praedecessorum suorum, necnon omnium Praelatorum inferiorum; — aut eis *derogare;* — aut in eis *dispensare* vel *privilegia* concedere. Nam habet plenam potestatem iurisdictionis in omni ordine, hinc in nullo potest ligari (2).

3) *Abrogare* potest aut *mutare* etiam *canones Conciliorum oecumenicorum.* Ratio est, quia potestas Concilii amplior non est quam potestas solius Papae: cum haec sit in omnibus rebus plena et suprema, et ipse habeat huius supremae potestatis totam plenitudinem: hinc *paris* est potestatis Papa solus et Papa cum Concilio, nec ultra ius suum agit Canones mutando. Hinc Tridentinum expresse statuit canones reformationis ab ipso conditos obligare, « salva semper in omnibus Sedis Apost. auctoritate » (3).

Ceterum praxis constans Ecclesiae fuit, quod Rom. Pontifices explicarent, mutarent, abrogarent canones Conciliorum oecumenicorum (4).

(1) SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 3. n. 10. sq.

(2) Cf. supra de dispens. legis n. 39.

(3) Sess. 7. de ref. in prooemio; cf. sess. 25. c. 21. de ref.

(4) Inde patet quantum a vero aberrarent qui, sive saec. XV. in Conc. Pisano et Constantiensi (sess. 5.) et in Pseudo-Conc. Basileensi, sive saec. XVI. et XVII. (Gallicani), sive postea Van Espen, Febronius (sae-

Nil tamen impedit quin *extraordinaria* vocetur potestas qua Papa non tantum leges novas pro opportunitate condit, sed leges suorum praedecessorum aut canones Conciliorum oecumenicorum mutat vel tollit. (BARGILLIAT n. 388.).

302. B. **De infallibilitate R. Pontificis in condendis legibus universalibus.** — Hic considerandum venit utrum et quo modo R. Pontifex in legibus condendis de disciplina ecclesiastica infallibilis sit dicendus. Doctrina communis Theologorum, cum SUAREZ, *De fide* Disp. V. sect. 8. n. 7.; BELLARM., *De Rom. Pontif.* l. IV. c. 5., quam *certam* et *indubitatam* vocat clariss. P. WERNZ (1), sic exprimi potest: « Infallibiles sunt Romani Pontifices in ferendis legibus *universalibus* de disciplina ecclesiastica, ut nihil unquam statuant contra fidem et bonos mores, licet supremum gradum prudentiae non attingant, ut latius exponunt et probant Theologi, qui omnino admittunt R. Pontificem in *praeceptis* et *iudiciis particularibus* posse errare ». (WERNZ t. II. n. 590.) (2).

Quae doctrina, etsi *in se* non revelata, fundatur in dogmate assistentiae a Christo Domino Ecclesiae suae promissae. Talis enim assistentia Christi et constans Spiritus Sancti influxus permittere nequit ut aliquid *omnibus fidelibus* ab *auctoritate suprema* et *absoluto modo* imperetur, quod eos ad malum inducat aut pro ipsis mali periculum involvat: nam perpetua haec assistentia non solum ad fidem rectam conservandam, sed etiam ad bonos mores efficaciter tuendos extenditur. Iamvero per tales leges boni mores labefactarentur et sic Ecclesia a fine suo deflecteret, qui est religionem christianam conservare et homines ad beatitudinem aeternam ducere (3).

---

culo XVIII.), Nuytz (saec. XIX.), auctoritatem R. Pontificis per auctoritatem *veterum canonum* aut per *consuetudines ecclesiarum particularium* limitare praetendebant.

(1) WERNZ t. V. n. 22. not. 20.

(2) Cf. SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 6. n. 2.; WERNZ t. I. n. 139.

(3) WILMERS, *De Christi Ecclesia* prop. 77.

Ceterum talis *defectus* circa regulam agendi in errorem *doctrinalem* facile redundaret, cum fideles bonum et rectum iudicare vix non necessario debeant, id quod Ecclesia lege universali praecipit; unde si pravi aut periculosi aliquid praecipitur, error doctrinalis circa bonum aut malum morale consequenter inducitur.

Quod autem *lex particularis, praeceptum* aut *iudicium particulare,* minus opportune feratur, immo plus minusve recto et bono opponatur (quamvis id facile praesumi non debeat), non tantum damnum Ecclesiae afferre potest ut assistentia divina hoc impedire debeat, nec talis sententia ullo Theologorum consensu fulcitur.

303. C. **De exercitio huius potestatis.** — R. Pontifex suam potestatem legiferam universalem et supremam exercet: 1) ferendo *leges universales* pro opportunitate Ecclesiae, (v. g. de prohibitione et censura librorum per Const. « *Officiorum et munerum* » 25. Ian. 1897);

2) *reservando* sibi certas materias circa quas *solus* leges ferre possit. Sic R. Pontifex sibi reservat: *a*) omnem mutationem circa Ritus aut preces in S. Missae Sacrificio, Officio divino, Sacramentorum administratione. Episcopi ne authentice quidem dubia dirimere circa has materias possunt, nec ulla consuetudo contraria valet (1);

b) circa *dies festos* instituendos aut abrogandos (2);

c) circa dies ieiuniorum stabili modo praecipiendos (3);

d) negotium *beatificationis*, seu permissionis cultum publicum alicui servo Dei praestandi; a fortiori negotium *canonizationis*, maxime cum ibi, secundum sententiam communem, infallibilitas pontificia interveniat.

304. II. **Potestas administrativa.** — Ad supremam po-

(1) S. Pius V. Const. « *Quod nobis* » 9. Iul. 1568.; Const. « *Quo primum* » 14. Iul. 1570. Cf. WERNZ t. III. n. 325.

(2) Urbanus VIII. Const. « *Universa* » 13 Sept. 1642., saltem accedente declaratione S. C. Rit. 23. Iun. 1703.

(3) *Practice* saltem, nam *theoretice* ex iure communi et universali non fuit sublata Episcopis et Conciliis particularibus potestas ieiunia praecipiendi.

testatem administrativam Rom. Pontificis pertinet *designatio munerum* et *officiorum* in Ecclesia et *vigilantia* in *regimen* omnium inferiorum, quorum administrationis rationem exigere potest, sive eos visitando, si voluerit, sive ab eis rationem exigendo statis temporibus (1).

Practice exercet hanc potestatem per ea quae sibi *reservat:* 1) *erectionem* aliquorum *officiorum* aut *beneficiorum* (episcopatus, novas dignitates in Capitulis), aut *collegiorum* ecclesiasticorum (Capitula sive cathedralia sive collegiata) (2);

2) *collationem* aliquorum beneficiorum (per reservationem, affectionem etc.) (3);

3) *confirmationem* Episcoporum (4);

4) *institutionem* Ordinum religiosorum stricte dictorum (5);

5) *Conciliorum* oecumenicorum convocationem, directionem, suspensionem, dissolutionem, confirmationem, et Conciliorum provincialium revisionem (6);

6) *exemptionem* a iurisdictione Episcoporum (7).

305. III. **Potestas iudiciaria.** — Pro potestate suprema et immediata R. Pontificis, ad eum *deferri* potest iam ab initio quaevis causa iudicialis ecclesiastica; aut eam ad se *avocare* potest.

In praxi praesertim potestatem suam exercet: 1) *reservando* sibi *causas maiores*, sive tales sint ratione *obiecti* sive ratione *personarum* (8): ratione *obiecti*, v. g. causas fidei (9); ratione *personarum*, v. g. causas *criminales* Episcoporum,

(1) Episcopi in visitatione ss. Liminum S. Congreg. Consistoriali aut S. C. de Pr. F., Congreg. religiosae quolibet triennio rationem S. C. de Relig. reddunt.

(2) Cf. supra n. 211.

(3) Cf. supra n. 263. sq.

(4) Cf. supra n. 208.

(5) Cf. Part III. art. II.

(6) Infra ih Appendice Partis II^ae.

(7) Cf. Part. III. art. VI.

(8) Nullibi in iure *taxative*, scl. per aliquam exactam descriptionem aut enumerationem sunt determinatae illae causae. Cf. WERNZ t. V. n. 270.

(9) Episcopus inquirit, iudicat reos de haeresi, at decernere non potest utrum propositio nova doctrinaliter sit erronea.

saltem graviores (leviores a Conc. provinciali iudicari possunt, practice semper Romae iudicantur) (1);

2) *appellationes* a tribunalibus et iudicibus aut Praelatis inferioribus *excipiendo*, quas committit generatim S. Rotae Romanae, si in via iudiciali sint tractandae, SS. Congregationibus in via disciplinari (pro appellationibus extraiudicialibus) (2).

306. IV. **Potestas coercitiva suprema** Rom. Pontificis exercetur: 1) per constitutionem *legum poenalium* aut *censurarum* pro universali Ecclesia, (v. g. per Const. « *Apostolicae Sedis* » Pii IX. 12. Oct. 1869.);

2) per *reservationem* certarum *poenarum* aut *privationum*, aut poenarum in certas *personas* ferendarum. Sic ipse solus irregularitates constituit (supra n. 161.), solus Imperatores, Reges, Principes civiles supremos censurare potest, saltem ex praxi vigente;

3) per *reservationem* absolutionis aliquarum censurarum in utroque foro (3), aut aliquorum peccatorum, et per *delegationem* potestatis absolvendi.

307. N. B. — Ad supremam potestatem iurisdictionis R. Pontificis sequitur potestas invigilandi in totam Ecclesiam, et proinde libere communicandi cum omnibus fidelibus sive per litteras sive per legatos. Hinc iniuste praetenditur ius *Regii Placiti* (4): nec minus iniuste impeditur aut restringitur ius Rom. Pontificis Legatos sive stabiles sive ad tempus mittendi (5).

(1) Conc. Trid. sess. 24. c. 5. de ref.; cfr. WERNZ t. V. n. 297. et n. 393. not. 20.

(2) Cf. infra de SS. Congreg. n. 348 sq. De appellationibus ad R. Pontif. conferri potest PHILLIPS, *Kirchenrecht* t. V. § 213. sq.; de celebri quaestione appellationum Africanarum ib. § 217.

(3) Const. « *Apostolicae Sedis* » ser. I. et II.

(4) Cf. *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 101. sq.

(5) Cf. infra in art. III. de Legatis R. Pontif. n. 418 sq,

C) De Constitutionibus R. Pontificis

308. Postquam de *exercitio* potestatis R. Pontificis diximus, ordo rerum postulat ut aliquid addatur de *forma* sub qua potestatem hanc exercet; quamvis nil impediat quominus verbis seu oraculo vivae vocis suas decisiones et sententias exprimat, modus tamen ordinarius, quo R. Pontifex voluntatem suam fidelibus intimat, est *scriptura*, et distingui solent, praesertim ratione *obiecti* circa quod versantur, *Constitutione* et *Rescripta*, quamvis termino generico (et lato) *Constitutionum* comprehendantur etiam *Rescripta* pontificia, necnon *Decreta* et *Responsa* SS. Congregationum.

Constitutiones dici solent illae *ordinationes communes*, quae totam communitatem christianam attingunt, aut forte partem tantum eius, aliquid tamen *generale* et *stabile* statuentes (*constituentes*). *Rescripta* sunt *ordinationes particulares*, quae gratias aut dispensationes concedunt, aut causas particulares definiunt.

309. **De divisione Constitutionum**. — Constitutiones pontificiae dividuntur:

1) ratione *extensionis*, in *universales*, *generales*, *particulares*, prout omnes fideles aut partem tantum eorum attingunt;

2) ratione *occasionis*, qua latae sunt, in *Decreta* et *Decretales*. *Decreta* eduntur sine ullius instantia; saepe decorantur inscriptione « *Motu proprio* »; *Decretales* ad relationem, consultationem, postulationem alicuius eduntur. At observandum est nomine Decretalium non raro designari omnes leges pontificias (sic habemus Decretales Gregorii IX. etc.);

3) ratione *formae* habentur *Bullae*, *Brevia*, *Litterae Apostolicae* (simplices), *chirographa*. *Litterae encyclicae*, quae ad universos Episcopos orbis christiani aut alicuius regionis (aliquando simul ad Episcopos, clerum et simplices fideles) diriguntur, non habent formam specialem determinatam.

310. **Bullae** eminent inter alias epistolas pontificias, ratione formae solemnioris: propterea reservari solent ne-

gotiis maioris momenti. Antiqua forma et solemnitates adhibitae in exarandis Bullis non parum mutatae fuerunt per *Motum proprium* Leonis XIII. « *Universae Ecclesiae* » 29. Dec. 1878.(1) et recenter prodiit ordinatio de nova forma in eis exscribendis usurpanda, quae tamen ordinatio iuris publici non fuit facta.

Bulla scribitur in carta pergamena magna, crassa, subobscura, olim characteribus *gothicis* nunc autem *latinis* (vi *Motus proprii* Leonis XIII.).

Appendebatur *numisma* plumbeum, capsula parva inclusum (ex forma rotunda numismatis nomen Bullae derivatur), quod *funiculo* diversae materiae et coloris ipsis Litteris inhaerebat (2). Numisma in una facie *imagines* SS. Apostolorum Petri et Pauli referebat, in alia *nomen*, aliquando imaginem regnantis *Pontificis* (3). Nunc numismata etiam plumbea reservantur Bullis, quibus negotia maioris momenti expediuntur, v. g. fundatio, divisio, collatio episcopatuum. In aliis Bullis, numismati substituitur impressio *sigilli* rubei coloris, cum imaginibus SS. Petri et Pauli et superscriptione nominis regnantis Pontificis (ex eodem *Motu proprio*).

Pro *inscriptione*, ante initium textus, habetur *solum nomen* R. Pontificis, v. g. *Pius*, sine alio addito quam: *Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Annus nunc computatur secundum *vulgarem* et usitatum *modum*, scl. a die 1. Ianuarii, non iam a festo Incarnationis Dominicae (4); servatur tamen modus computandi dies mensis per *calendas, nonas, idus.*

(1) In *Actis S Sedis* t. XI. p. 465.

(2) Pro absolutione censurarum, collatione beneficiorum S. Sedi reservatorum, funiculus flavi et rubei coloris adhibebatur; funiculus autem ex filis auro et argento intertextis, si quando aureum numisma appendebatur, ex quo Bulla dicebatur « *aurea* ».

(3) Nomen regnantis Pontificis non nisi post eius incoronationem inscribi solebat, unde si quae Bullae antea publicabantur, dicebantur Bullae *dimidiatae;* at eiusdem erant auctoritatis (cf. supra n. 291.). Vide PHILLIPS, *Kirchenrecht* t. III. § 154. p. 646.

(4) Const. « *Sapienti consilio* » III. 5°.

Bullae quae *consistoriales* dicuntur, in Consistorio praeparatae, post subscriptionem Papae his verbis: « Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus » (vel « Pius PP. X. »), subscribuntur ab omnibus Cardinalibus in Consistorio praesentibus (1).

311. **Brevia,** quae pro negotiis minoris momenti adhibentur, simplicioris sunt formae. Membrana pergamena subtilis et candidi coloris usurpatur; characteresque *italici* seu cursivi.

Praemittitur nomen completum Pontificis, v. g. *Pius PP. X.* (2) et generatim postea ponitur: Ad perpetuam rei memoriam. *Datatio* iuxta *modum vulgarem* fit.

Ipse R. Pontifex Brevia non subscribit; at Cardinalis Secretarius Brevium (scl. Secretarius a Statu) nomen apponit. Imprimitur cartae *sigillum cereum*, quo repraesentatur S. Petrus in navi piscans et in parte superiore nomen Papae describitur, ea forma: *Pius X. Pont. Max.* Ratione huius sigilli, Brevia dicuntur dari *sub annulo Piscatoris* (Bullae vero *sub plumbo*).

Etsi forma Bullae est solemnior, ex parte auctoritatis nullum est discrimen inter Breve et Bullam, nec tam raro negotia etiam gravissima per Brevia tractantur.

Litterae simplices carent omni forma solemniori: in principio nomen R. Pontificis gestant; *vulgarem* in fine *datationem*, *sigillum cum stemmate.* Si ab ipso subscribuntur (a fortiori si totaliter exscriberentur), dicuntur **Chirographa.**

N. B. — Ut supra indicatum est, *Litterae encyclicae* (idem dic de litteris *Motu proprio* datis) nulli speciali formae adstringuntur: nunc per Bullam, nunc per Breve, nunc sub forma Litterarum simplicium dantur.

(1) Exemplum Bullae consistorialis et etiam Brevis habes apud PRÜMMER, *Manuale iur. eccl.* t. I. post p. 30. Cf. in Act. Ap. Sed. t. I. p. 620. 637. Bullas canoniz. SS. Josephi Oriol et Clementis Hofbauer. 13. cal. Jun. 1909.

(2) FERRERES, *La Curía Romana* n. 1166. notat ante saec. XV. Brevia incepisse sicut Bullas.

D) De Rescriptis (1)

312. **Definitio et divisio.** — *Rescriptum* est responsum supremi Principis ad alicuius relationem, supplicationem vel consultationem, in scripto datum.

1) Ratione *materiae* distinguuntur rescripta: *gratiae*, quibus favores vel facultates praeter vel contra ius commune conceduntur, v. g. dispensationes, beneficia; *iustitiae*, quibus Pontifex causam iudicialem dirimit aut iudicem designat qui eam tractet; *mixta*, quibus utrumque simul habetur.

2) Rescripta praesertim *gratiae* ratione *formae* dividuntur in rescripta data in *forma gratiosa*, si Princeps exprimit gratiam petitam a se concedi; in forma *commissoria*, si executionem alteri committit, qui de conditionibus ad concessionem favoris requisitis, praesertim de veritate causarum allatarum, inquirit; quae si verificatae inveniuntur, gratiam concedere debet. Si autem executoris aequo iudicio rectaeque conscientiae permittitur gratiae largitio vel denegatio, apte vocari potest forma *mixta* (2).

3) Si forma externa consideratur, rescripta possunt dari per *simplices Litteras*, aut etiam per *Bullas* aut *Brevia*.

De requisitis ad valorem rescriptorum. — Conditiones requisitae se habent: 1) ex parte *personae petentis*; 2) ex parte *precum*; 3) ex parte *responsionis* (3).

313. I. **Conditiones ex parte petentis.** — Quaedam personae a rescriptis accipiendis prohibentur. Sunt: 1) *haeretici* et *schismatici*;

2) *excommunicati vitandi* vel *tolerati*, etiam *occulti*, nisi agatur de causa ipsius excommunicationis aut de appellatione in qualibet causa civili aut criminali. Hinc solebat

(1) Lib. I. tit. 3. in Decret. Greg. IX.

(2) Alii AA. aliis nominibus utuntur ad designandas varias rescriptorum formas: clarius autem nunc definitur in Const. « *Sapienti Consilio* » quid sit forma *gratiosa*, quid *commissoria*. (Normae peculiares c. III. art. I.).

(3) Bargilliat t. I. n. 414. sq.

rescriptum pontificium continere absolutionem *ad cautelam*, quae pro negotio tantum, circa quod rescriptum versabatur, concessa intelligebatur, et vel statim cum ipsa gratia concedebatur (in rescripto in forma *gratiosa*), vel executori fulminanda (in rescr. in forma *commissoria*) (1).

Sed nunc vi Constit. « *Sapienti Consilio* » « gratiae ac dispensationes omne genus a S. Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint aut a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis mulctati » (2);

3) Olim prohibitum fuit obtinere rescripta *iustitiae* pro aliis, nisi fuissent coniuncti vel mandatum speciale dedissent (3): at nunc ex consuetudine et *stylo curiae* sublata dici debet haec prohibitio; nec unquam interdictum fuit pro aliis rescriptum *gratiae* petere.

314. II. **Conditiones ex parte precum.** — Rescriptum pontificium concedi non solet nisi ob *certas causas* et verificatis quibusdam *conditionibus*. *Causae* illae vel *motivae* vel *impulsivae* sunt; causa *motiva* ea est quae efficaciter Principem ad postulationem admittendam impellit et de se sufficit ut petitioni annuat; *impulsiva* de se non sufficit, at inclinat ad concedendum ita ut si plures impulsivae simul concurrant, gratiam facilius concedere dignetur.

Circumstantiae quaedam personarum, locorum etc., faciunt ut petitioni difficilius annuatur; unde Superior eas cognoscere vult antequam concedat.

Cum autem omne rescriptum exprimat vel saltem subaudiat clausulam: « *si preces veritate nitantur* », quando causae allegatae sunt falsae (habetur vitium *obreptionis*), vel

(1) Immo ab effectu illius absolutionis (sine qua nullius valoris erat rescriptum), excludebantur quidam facinorosi et omnes excommunicati (saltem publici et nominatim denuntiati), qui per annum in sua contumacia insorduerant.

(2) Hinc absolutio ad cautelam jam non erit practici momenti, nisi quando Episcopus vi Indulti pontificii generalis, rescripta concedere valeret. Cf. WERNZ t. I. n. 151. II.

(3) Cap. 28. h. t. I. 3.; WERNZ n. 151. III.

circumstantiae necessario exprimendae reticentur (*subreptio*), decipitur Princeps. Non tamen omnis subreptio vel obreptio rescriptum vitiat, unde:

1) Si *obreptio* vel *subreptio dolo* facta fuit (cum intentione Superiorem decipiendi), vitiatur certe rescriptum *gratiae*, at iuxta plures AA. rescriptum *iustitiae* valet, donec adversarius eius, qui illud obtinuit, rescissionem petierit.

2) Si ex *ignorantia*, *errore* aut alia ratione inculpabili processerit, tunc vi cap. 20. X. de rescriptis I. 3., valet aut non valet rescriptum, prout Pontifex, veritatem cognoscens, favorem concessisset vel non. Iamvero censetur illum concedere velle, dummodo: 1) ex causis allatis una saltem causa *motiva* sit vera; 2) circumstantiae omnes essentiales iuxta veritatem allegatae fuerint.

Quaenam sint causae motivae, habetur ex stylo Curiae et auctoribus, et variae sunt pro variis materiis (1).

Circumstantiae in petitione allegandae determinantur ipsae per stylum Curiae et auctores, quae si habeantur ut essentiales, subreptio (vel obreptio) circa illas rescriptum vitiat (2).

N. B. — I. Si rescriptum clausulam « *Motu proprio* » contineat, sanantur defectus de causa aut circumstantiis, nisi tamen exprimatur causa motiva falsa concessionis.

(1) V. g. pro dispensationibus in impedimentis matrimonii consulenda est Instr. S. C. de Prop. Fide 9. Maii 1877., necnon videndae Formulae Apost. Datariae pro matrimonial. dispens. reformatae a. 1901. Cf. De Smet, *De spons. et matrim.* n. 374.; Wernz t. IV. n. 628. sq. At ubi desunt causae *motivae*, cum plures causae *impulsivae complexive* sumptae pro causa *motiva* haberi soleant, requiritur ut *omnes* causae *impulsivae simul* sint verae.

(2) Nec dicere valet: Superior, si talem circumstantiam scivisset, nihilominus petitioni annuisset; nam Superior non *vult* gratiam concedere, nisi prius de hac circumstantia certior factus fuerit: hinc regula in cap. 20. h. t. indicata non est eodem modo applicanda ac pro errore circa *causam*.

In qualibet petitione rescripti dici debet utrum eadem petitio ab alio organo S. Sedis reiecta fuerit. In specie si matrimonialis dispensatio petitur, exprimi debent nomen et cognomen oratorum, dioecesis originis vel domicilii, species etiam infima et numerus impedimentorum, gradus consanguinitatis etc.; — si beneficium postulatur, utrum aliud beneficium iam

II. Vi Const. « *Sapienti consilio* », dispensationes omnes minores in impedimentis matrimonialibus « perinde valebunt ac si ex motu proprio et ex certa scientia impertitae sint: ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio, sive subreptionis ». (Normae pecul. art. III. n. 21.). (Infra n. 365.).

III. Si rescriptum nullum fuit ob defectum quemdam, in novi rescripti petitione declarari debet aliud fuisse obtentum, vitium accusari, pro validatione rogari.

315. III. **Conditiones ex parte responsionis.** — Praeter conditiones, quae ex superius dictis fluunt, sunt quaedam aliae quae potius ad *valorem* et *authenticitatem* rescripti *probandam* pertinent. Quamvis enim Superior non ligetur per solemnitates quas ipse constituit, si tamen eis se derogare non declaret, *praesumendum* est rescriptum, quod his caret, *suppositititium* et *apocryphum* esse; saltem suspectum est nec eo potest uti petens, (minus adhuc illud exequi delegatus), nisi prius de authenticitate ipsius constiterit.

Sic inter solemnitates necessarias habetur: inscriptio *nominis* R. Pontificis, *datae* per diem anni et mensis, *loci*. Suspectum reddunt rescriptum abrasio verborum vel correctio in loco substantiali facta, necnon error manifestus et gravis in latinitate etc. (1).

316. **De executione et interpretatione rescriptorum.** — Quamvis aliquando rescripta, praesertim gratiae, nullum exigant executorem, generatim talis requiritur (2).

Si is nominatim designatur in ipso rescripto, nullus est ambigendi locus. Aliquando ipsi petenti relinquitur electio: sic in rescriptis quae per S. Poenitentiariam dantur, *confessarius impetrantis* designari solet, at poenitens eligere

---

possideatur an cura animarum adnectatur alterutro; — in rescriptis gratiae, utrum lex vel consuetudo localis obstet; — in rescriptis iustitiae, an adversarius sit persona miserabilis, an lis iam incepta fuerit, an adversarius aliud rescriptum obtinuerit etc.

(1) BARGILLIAT t. I. n. 415.

(2) BARGILLIAT n. 417.

potest quemlibet inter confessarios approbatos. Quod si addatur: sit Doctor in S. Theologia, talis haberi debet.

Rescripta iustitiae iisdem committuntur qui iudices delegati esse possunt, nempe praeter Praelatos: dignitates, personatus vel canonici cathedrales. Rescripta gratiae quae *Episcopo* exequenda committuntur, ab ipso solo, non a Vicario generali nec a Vicario capitulari, sede vacante, executioni mandanda sunt; si *Ordinario loci* aut *oratorum*, praeter Episcopum aliosque episcopali potestate in aliquo territorio praeditos, a Vicario generali vel capitulari.

Executori recognoscenda est rescripti authenticitas; inquirere debet an vera sint exposita, et tunc dispensationem fulminare *tenetur*, si sit executor *necessarius*; si autem *voluntarius*, eam fulminabit prout in conscientia iudicabit (1).

Tempus, quo gratia pro *concessa* habenda est, pendet a forma rescripti. Valet a die *datae* seu *expositae*, scl. a die quo rescriptum a Pontifice subscriptum est, quando datur in forma *gratiosa*. Consequenter debuit causa tunc verificari. In forma *commissoria*, gratia valet a momento quo ab executore *fulminatur* et dicitur valere a die *praesentatae*. Hoc tempore vera esse debet causa allata. Probabiliter non requiritur ut vera fuerit tempore quo rescriptum fuit *concessum*, minus adhuc *toto tempore*, quod inter concessionem et fulminationem fluxit (2).

Ad executionem rescripti pertinet etiam recta eiusdem *interpretatio*. Qua in re considerandae sunt regulae de legum interpretatione, speciatim vero regula de *odiosis stricte*, de *favorabilibus late* interpretandis (3): generatim rescripta *iustitiae* pro *odiosis*, *gratiae* pro *favorabilibus* habenda sunt, nisi tertio praeiudicent aut circa beneficii ecclesiastici concessionem versentur. Si plura rescripta de eadem re habentur, *speciale* derogat *generali*, *posterius priori*, dummodo de eo mentionem faciat.

(1) Wernz n. 155. not. 80.
(2) D'Annibale t. I. n. 239.
(3) Cf. supra n 28.

Potestas executoris cessat: 1) mandato completo; 2) per revocationem a delegante factam; 3) per mortem impetrantis; — delegantis, si res incepta non fuit; — ipsius executoris, si *persona* eius fuit electa.

De *cessatione rescripti*, vel potius de cessatione *gratiae* per rescriptum obtentae eadem dicenda sunt, quae de cessatione *dispensationis* legis: hinc ad ea remittimus lectorem. (Cf. supra n. 42.).

E) De iuribus honorificis R. Pontificis (1)

317. Antequam in duplici appendice, mox subiungenda, de *immunitate* R. Pontificis et de eius *dominio temporali* dicatur, aliquid innuendum est de *iuribus honorificis* quae sive ex consuetudine, sive ex praescriptis iuris ipsi debentur.

Tituli, quibus condecoratur, ad dignitatem et iurisdictionem eius supremam designandam, sunt praesertim sequentes. Vocatur *Papa*, i. e. pater patrum, *Sanctissimus*, Vicarius Christi, Pontifex Maximus aut Summus Pontifex, *Apostolicus* et sedes eius est *Sedes Apostolica*, Episcopus Ecclesiae Catholicae; ipse vero sese ex humilitate appellat *Servus Servorum Dei* (2).

Insignia (3) eius praecipua sunt: *crux*, quae in summitate pedi recti locata, ante ipsum defertur; non utitur baculo *pastorali*, quo designatur potestas *participata;*

(praeter *mitram* qua, sicut ceteri Episcopi, in pontificalibus functionibus utitur), *tiara*, seu *triregnum*, quod sub hodierna forma cum triplici corona (4), triplicem potestatem magistri, legislatoris et iudicis designat;

pallium, quo semper et ubique intra Missarum solemnia et in aliquibus aliis functionibus utitur (5);

(1) Cf. PHILLIPS, *Kirchenrecht* t. V. § 239. sq.

(2) Cf. supra n. 310.

(3) MORONI, *Dizionario* vv. *Baculo*, *Tiara*, *Fanone*.

(4) Scilicet a tempore Urbani V. (1362.-1370.) forte etiam Clementis V. (1305.-1314.) cf. PHILLIPS l. c. § 240.

(5) Cf. infra n. 436. sq.

orale seu *fanon*, quod quasi duplici *mozzetta* constat, ex seta et auro contexta, quarum inferior super albam, superior super casulam demittitur; orale in Missa defert Papa.

Signa reverentiae R. Pontifici debita sunt praesertim: pedis sive sandaliorum *deosculatio*; — *praecedentia* ipsi prae omnibus regibus, imperatoribus data, et ratione ipsius, *Legatis* seu *Nuntiis pontificiis* prae ceteris omnibus; — *nominis* eius in canone Missae ante ceterorum omnium nomina *pronuntiatio*. Insuper ipsi debetur ab omnibus Christifidelibus reverentia, amor, obedientia, quae per preces pro eo fusas, assistentiam in necessitatibus nunc maxime urgentibus, manifestatur.

Plura iura quae olim R. Pontifex exercebat per *concessionem* tituli *regii*, *coronationem* imperatorum aut regum; necnon plura signa reverentiae quae ipsi a regibus ipsis praebebantur, v. g. quod ipsi equum conscendenti stapedem (étrier, staffa) tenerent, nunc vix practici usus sunt. (De his cf. PHILLIPS l. c. § 242. 243.).

APPENDIX I

De immunitate R. Pontificis [1]

318. **Status quaestionis.** — De immunitate Rom. Pontificis potius tractandum esset in iure publico; cum autem ibi omissa fuerit, rem utilem facere putavimus, si appendix quaedam de ea poneretur, in qua sicut et in sequenti de R. Pontificis temporali potestate, expositioni etiam probationes assertorum iungere non negligeremus.

In Quaestionibus iuris publici statuebamus immunitates ecclesiasticas, si in suo complexu spectentur, probabilius non esse *immediate* et *formaliter* de *iure divino,* at *originarie* tantum et fundamentaliter [2]. Ubi vero immunitas ipsius R. Pontificis consideratur, affirmamus: *R. Pontificem iure divino plena et absoluta immunitate personali, relate ad quamlibet auctoritatem temporalem, gaudere.*

Errores. — Hanc immunitatem negavit Marsilius Patavinus cuius prop. 3. a Ioanne XXII. damnata sic effertur: « Quod ad Imperatorem spectat Papam corrigere, instituere et destituere ac punire » [3].

[1] Suarez, *Defensio fidei catholicae* l. IV. c. 4. sq.; Bellarminus, *De R. Pontifice* l. II. c. 26. sq.; Schmalzgrueber in l. II. tit. 2. n. 74. 96. sq.; Cavagnis, *Instit. iur. publ. eccl.* t. II. n. 190.* sq.; Moulart, *L'Eglise et l'Etat* p. 182. sq.; Giobbio, *Lezioni di diplomazia eccles.* t. I. n. 102. sq.; Palmieri, *De R. Pontifice* ed. 2ª p. 577. sq.; Liberatore, *Dirit. pnb. eccl.* n. 289. sq.

[2] Cf. in *Quaest. iur. publ.* p. 211. sq. notiones de immunitatibus et probationem assertionis; Cavagnis l. II. c. V. n. 152.* sq. 170.* sq.

[3] Denzinger-Bannwart n. 497.

Calvinus aliique haeretici saec. XVI. hanc exemptionem Rom. Pontificis prorsus reiiciunt. Nam si unquam episcopatum agnoscunt, « de omnibus... Episcopis et Archiepiscopis censent esse subditos suis Regibus in temporalibus » (1).

319. **Sensus assertionis et ambitus immunitatis pontificiae.** — Contra quos errores communiter tenent Catholici omnimodam immunitatem personalem R. Pontifici competere et quidem de iure divino. « Ipse Pontifex », ait SCHMALZGRUEBER, « cum sit omnium fidelium caput, iudicem alium non agnoscit nisi solum Deum, idque non humano solum sed etiam divino iure, prout passim catholici DD. tradunt » (2).

Asserunt nempe R. Pontificem ita esse ab obligationibus et legibus communibus exemptum ut ligari nequeat per leges, iudicia, coercitionem ullius potestatis civilis. Hinc nec legibus alicuius Regis aut principis ligatur, nec ulli iudicio et multo minus coactioni a principe exercendae subiicitur, nec ullis taxis aut oneribus personalibus adstringitur (3).

Ceterum in Quaestionibus iuris publ. sufficienter explicatum est in quo personalis immunitas consistat; at de R. Pontifice statuendum est ipsum *plena* et *absoluta immunitate*, et quidem de *iure divino* gaudere.

Probatur assertum. — Thesis proposita *innuitur* in S. Scriptura, *probatur* autem ex iure divino naturali et ex documentis ecclesiasticis.

320. I. *Innuitur in S. Scriptura.* Christus interrogans Petrum, apud Matth. XVII. 24.-26. « Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis an ab alienis? » — « Ab alienis »,

(1) BELLARM. l. c. l. II. c. 26. in. Ceterum quomodo esset exemptus? num iure divino? at Christus ipsum non exemit! iure canonico? « non potest Pontifex hoc privilegium sola sua auctoritate assumere »; iure forte civili? istud Papae sicut ceteris, nec plus nec minus concessit. Ita Protestantes, apud SUAREZ l. c. n. 2.

(2) SCHMALZ. l. c. n. 74. Cf. SUAREZ l. IV. c. 4. n. 3.

(3) De obligationibus realibus et localibus hic non curamus, nam ubicumque cum personali immunitate miscentur, eius privilegia participant, v. g. si forte R. Pontifex bona personalia in aliqua regione haberet, posset forte de taxis teneri, at nulla coactio in eum exerceri posset.

respondet Petrus; et Dominus: « Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore eius, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te ».

Inde per discursum colligit SUAREZ, adducens varia testimonia SS. Patrum, v. g. Chrysostomi, Hieronymi, et Origenis, Christum, simul ac seipsum a tributis exemptum declarabat, Petrum sibi in tali exemptione modo peculiari univisse, Petrum autem ut Principem Apostolorum, et consequenter etiam eius successores; asseritque merito posse concludi ad exemptionem R. Pontificis, non tantum a tributis, sed etiam ab omni potestatis temporalis iusrisdictione.

Quae probatio scripturistica intentum nostrum potius innuit quam invicte demonstrat.

321. II. *Probatur ex iure divino-naturali.* — Sensus est: cum ex revelatione cognoscamus Ecclesiae et primatus R. Pontificis divinam institutionem, concludimus Rom. Pontificem *necessario*, et proinde ex ipso *iure naturali*, plena exemptione gaudere. Quod ratiocinium sic evolvit SUAREZ.

Prob. 1°. Per supremam dignitatem factus est Petrus (et Rom. Pontifex) « supra omnes non solum in spiritualibus sed etiam in temporalibus » (*indirecte*, ut patet ex doctrina ipsius SUAREZ); « ergo simul eo ipso exemptus est ab omnium potestate et iurisdictione ».

Et quamvis fateatur consequentiam non esse evidentem, tamen est rationi *valde consentanea* et *vera*. Data enim sapientissima et suavissima Dei Providentia: 1) repugnat posse a Regibus iudicari, cogi, puniri, in vincula coniici illum, cui omnes Reges terrae subiici debent; 2) hic esset fons divisionum et schismatum perpetuus; 3) nulla libertate nec auctoritate gauderet Papa ad exercendum suam potestatem in Reges et principes [1]. Adde 4) quod periret existimatio qua gaudere debet R. Pontifex apud christianos, si ita posset tractari, v. g. in carcerem coniici [2].

Prob. 2°. R. Pontifex aliis personis ecclesiasticis exemptionem

[1] SUAREZ l. c. l. IV. c. 4. n. 6.-9. Cf. BELLARM. l. c.

[2] Unde PALMIERI l. c. p. 580.: « Quapropter licet naturae ius... id absolute non vetet primario praecepto, at certe secundario praecepto id ut graviter inconveniens esse persuadet ». Cf. MOULART l. c. p. 184.

a legibus et oneribus communibus, quoad plura saltem, concessit; atqui hoc facere non potuisset, nisi ipse ab auctoritate civili fuisset iam iure divino exemptus.

Vis argumenti in eo est: 1) quod leges de immunitate condens R. Pontifex in aliena iure invadere non potuit; 2) quod antequam eas ferret potestati saeculari subiectus esse non potuit, « nam sola sua voluntate a subiectione debita nequit quis se subducere, ergo antecedenter non solo iure humano sed divino immunis est ab omni iudicio saeculari » ([1]).

Prob. 3°. R. Pontifex potest, vi suae indirectae potestatis, ob necessitatem boni spiritualis vel ratione peccati, omnes Reges et principes quoad temporalia ligare; quomodo hoc haberetur, si relate ad temporalia ipsis subiectus esset? ([2]).

322. III. *Probatur ex ecclesiasticis documentis:*

1) Nicolaus I. in Epistola scripta a. 865. ([3]) ad Imperatorem Michaelem, refert verba sequentia, quae S. Sylvestro in Concilio Romano 280. Episcoporum, et Concilio cuidam Sinuessano attribuit: « Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Regibus, neque a populo iudicabitur Prima Sedes » et « Prima Sedes non iudicatur a quoquam ». Quamvis non probetur origo his documentis attributa, sunt certe temporis valde remoti ([4]).

2) S. Leo IX. ad Michaelem Cerularium 2. Sept. 1053. scribebat: « Praeiudicium faciendo Summae Sedi, de qua nec iudicium

([1]) Wernz t. V. n. 293. Si quis autem diceret: R. Pontifex per huiusmodi leges, *tantum declaravit* ius *divinum*, tunc *a fortiori* intentum habemus, nam si clericorum immunitates et ipsae sunt de iure divino, *a fortiori* R. Pontificis immunitas. Cf. Cavagnis l. c. n. 190.*

([2]) Palmieri l. c. p. 580.

([3]) Denz.-Bannw. n. 330.

([4]) Addi posset id quod iam a. 502. scribebat Ennodius in opere, cui titulus « Libellus adversus eos qui contra Synodum scribere praesumpserunt », scripto in vindicationem Synodi « Palmaris » a Symmacho PP. 23. Oct. 501. Romae habitae: « Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores coelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam ». Apud Kirch, *Enchir.* n. 887. cf. c. 4. C. IX. q. 3., sub nomine Symmachi.

licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum » (1).

3) Nicolaus III, in Const. Viterbii edita V. kal. Aug. 1278. loquens de Donatione Constantini, quam genuinam esse putabat, dicit Imperatorem non sine aequissima ratione voluisse ut nulla alia dominatio Romae haberetur quam R. Pontificis, et addebat: « Quin magis ipsa Petri Sedes, in Romano iam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec ulli subesset homini quae ore divino cunctis dignoscitur esse praelata ». Hinc Nicolaus tenet Constantinum per hanc donationem id tantum *confirmasse* quod de *iure divino* est, scl. immunitatem R. Pontificis a qualibet auctoritate temporali. Et quamvis erret, donationem illam Constantino attribuens, clare tamen propriam de immunitate Papae sententiam exprimit.

4) Tandem Leo XIII. in Allocutione 1. Iun. 1888. habita: « Princeps omnium (magistratuum ecclesiasticorum est) Rom. Pontifex, universae Ecclesiae divino iure praepositus idemque Dei solius potestati iudicioque subiectus ».

Unde merito concludere potuit jam SUAREZ tam constantem et antiquam traditionem esse argumentum originis divinae immunitatis R. Pontificis: nec enim Papa hoc ius sibi ipsi dare potuit, nec ab Imperatoribus accepit, cum sit antiquius Imperatoribus christianis, qui ceterum exemptionem universalem relate ad alios Reges et principes concedere non potuissent; et tandem nequaquam RR. Pontifices eam a potestate civili repetunt, sed ea m fundant « in eminenti dignitate Rom. Sedis. Et ideo censent tale privilegium esse perpetuum ac omnino firmum et immutabile, quod non posset habere, si ab Imperatore originem habuisset » (2).

323. **Obiectiones** contra omnimodam hanc immunitatem repetuntur: 1) *ex S. Scriptura.* « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit » (Rom. XIII. 1.) et I. Petr. II. 13.: « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti... ».

Resp.: 1) generi per speciem derogatur: generales illae asser-

(1) DENZ.-BANNW. n. 352. sq.
(2) SUAR., *Def. f. c.* l. IV. c. 4. n. 5.

tiones per legitimas exceptiones minime destruuntur; 2) quin immo per ipsam obedientiam R. Pontifici ab omnibus debitam verificantur haec dicta, hinc S. Bernardus in ep. 183. ad Conradum Imperat. verba Pauli referens: « Quam sententiam », aiebat « cupio vos custodire in exhibenda reverentia Christi Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio ». Et hic notat BELLARMINUS clericos non esse proprie subditos Principum, ob exemptionem qua Praelatis ecclesiasticis subditi fiunt.

Facile ostenderetur loca similia SS. Patrum, v. g. S. Chrysostomi hom. 23. in Rom., nequaquam necessario includere Petrum et R. Pontificem in obedientia quam erga Reges inculcant.

2) *Ex factis Pontificum* qui sese Imperatoribus tum paganis tum christianis submiserunt. At si de subiectione erga Imperatores paganos agitur, sicut et de ipsius Christi Domini erga Pilatum subiectione, dicendum est eos « *quoad factum* » nequaquam « *quoad ius* » principibus saecularibus fuisse subiectos (1). Si de Imperatoribus christianis, respondetur: RR. Pontifices sese submiserunt eorum *arbitrio* sua propria voluntate, non *iudicio* et *iurisdictioni;* quoad vim *directivam,* non quoad vim *coactivam* (2).

(1) SUAR. l. c. c. 6. n. 4. sq. c. 7. v. f.

(2) Vis *coactiva* aliquando designat quamlibet potestatem iurisdictionis, etiam legiferam, aliquando restringitur ad potestatem *urgendi* per poenas obligationes a lege impositas. Vis *directiva* etiam duplici sensu per oppositionem ad *coactivam* dicitur et connotat: vel 1) aliquam *convenientiam* aut potestatem *arbitrariam* quam quis alteri in seipsum concedit, sine *stricta* obligatione, saltem ex lege orta, vel 2) *obligationem* veram quae tamen per poenas (vel etiam per iudicia) urgeri nequit. Patet ex contextu SUAREZ intelligere vim coactivam et vim directivam seu arbitrariam primo sensu. SUAR. l. c. c. 7.; cf. PALMIERI, *De R. P.* p. 579. NOLDIN, *De principiis* n. 145.

Immo, ne volens quidem, posset R. Pontifex ulli auctoritati subditus fieri, nec ecclesiasticae (in foro externo) nec temporali. Nam nemo potest eum subditum facere, cum nemo in terris sit ipsi superior; nec ipse se potest proprie subditum reddere, quia non habet in se propriam iurisdictionem et coactionem et, etiamsi talem haberet, non posset ei renuntiare, nam esset privilegium ipsi concessum, non *intuitu personae* sed in *honorem* ipsius *Christi* et in *favorem Ecclesiae* et *dignitatis pontificiae.* Ita SUAREZ l. c. c. 7. n. 2. sq. Cf. BELLARM. l. II. de Conciliis c. 18.

3) Si obiiciuntur *facta Imperatorum*, qui R. Pontifices iudicarunt, responsio est in promptu: « Pios Imperatores pii Pontifices iudicarunt... nusquam autem Imperatores pii pios Pontifices iudicasse aut eisdem imperasse leguntur, ut Nicolaus in Ep. ad Michaelem multis testimoniis probat » ([1]).

4) Si tamen ipsa *Pontificum dicta* allegantur, quibus videntur asserere submissionem erga principes in materia rerum temporalium ([2]), generalis responsio habetur, notando plura dicta explicari: 1) ex Pontificum *humilitate* et *deferentia*, ut si S. Gregorius M. se Imperatorum servum declaret; vel 2) ex eo quod Pontifices, Imperatore adhuc imperium in Urbe Roma, saltem nomine tenus, retinente, plura quasi eius procuratores agerent; tandem 3) quando submissionem erga leges deberi explicite asserere videntur, aut de pontificibus *in genere*, i. e. de ministris Ecclesiae, loquuntur, aut potius discrimen et independentiam mutuam, simul cum auxilio reciproco utriusque potestatis, signant. Ceterum saepe ex ipso contextu apparet R. Pontificem suam propriam potestatem et independentiam, tanquam a Christo acceptam, omnino vindicare, sicut ipse Nicolaus I. in Epist. supra citata aperte facit.

([1]) BELLARM., *De R. Pontif.* l. II. c. 28.

([2]) V. g. Nicolaus I. ait: Sic Christus « actibus propriis et dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit... ut et Christiani Imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent et pontifices, pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur ». Apud MANSI, *Concilia* t. XV. p. 196. 215.

APPENDIX II

De potestate temporali R. Pontificis [1]

324. **Praenotanda.** — Duplex est R. Pontificis *principatus* (*sovranità*): unus *spiritualis*, qui ipsi ut capiti Ecclesiae, societatis perfectae et monarchicae, competit: is semper subsistit et ab illo tolli nequit [2]; alter *temporalis*, qui non ita essentialiter eius supremae potestati spirituali unitur ut haec sine illo subsistere non valeat.

Intendimus probare istum principatum temporalem: 1) cum spirituali *incompatibilem non esse;* 2) quia *iuste* acquisitus fuit et *sacer* effectus, tolli non potuisse absque *iniustitia* et *sacrilegio;* 3) *moraliter necessarium* esse ad dignitatem et praesertim ad in-

[1] Cf. intra alios auctores: Giobbio, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica* t. I. n. 76. sq.; Cavagnis, *Instit. iur. publ. eccl.* ed. 4. t. III. n. 427. sq.; Steccanella, *Il valore e la violazione della Dichiarazione pontificia sopra il dominio temporale della S. Sede;* Wernz t. II. n. 600; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge* P. I.

[2] Cf. Y. de la Brière, in *Etudes* t. 128. (1911.) p. 687. sq., ubi egregie demonstrat, contra argutias et fallacias a D. Baudouin allegatas, in relatione sua coram Tribunali supremo Galliae (Cour de cassation), (quibus fulti iudices, illos condemnaverunt, qui vexillum pontificium explicaverant): R. Pontificem, qua caput Ecclesiae Catholicae, etiam abstrahendo a potestate temporali, habendum esse ut *sovrano* cui iura omnia honorifica supremi principis competunt. Cf. etiam eiusdem in *Etudes* 1913. t. 136. praes. p. 691. sq. Giobbio, *Lezioni di diplomazia eccles.* t. I. n. 78. sq., insuper contendit falso praetendi principatum temporalem *penitus* cessasse etiam *de facto*.

dependentiam qua R. Pontifex in regenda universali Ecclesia gaudere debet.

325. I. **Compatibilis est utraque potestas.** — Nil obstat unioni duarum potestatum in R. Pontifice nec ex parte *iuris naturalis*, quasi se mutuo excluderent, nec ex parte *iuris divini*, quasi verba Domini a suo Vicario potestatem temporalem prohiberent: quod utrumque eodem argumento simul probari potest. Etenim a praepostera textuum S. Scripturae interpretatione est cavendum, qui prima fronte regnum temporale a spirituali omnino separatum et cum eo incompatibile indicare videntur, v. g. « Regnum meum non est de hoc mundo » (Io. XVIII. 36.).

Haec verba enim, quatenus *exclusiva*, vel ad solum Ecclesiae nascentis tempus referuntur, sicut et verba quae omnium bonorum temporalium possessionem Ecclesiae interdicere videntur; vel prohibent tantum confusionem et absorptionem duarum potestatum (quae iam de *iure naturali* esset damnata): sive potestas civilis a pontificia absorbeatur, in damnum libertatis animarum quae ob motiva mere humana regnum Dei amplecterentur; sive potestas religiosa a civili, in perniciem illius libertatis et independentiae, quam Christus voluit, quamque Apostoli sibi contra Synagogam et contra reges et principes fortiter vindicaverunt. At illa confusio nequaquam necessario sequitur ad unionem duarum potestatum, nec proinde vel iure naturali vel ex verbis Christi *partialis* saltem quaedam R. Pontificis dominatio, et ad aliquod territorium restricta, excluditur, qua dominatione salva fiat eius independentia in Ecclesiae universalis gubernatione ([1]).

326. II. **Iniusta et sacrilega fuit usurpatio dominii temporalis.** — Quia enim *iuste* acquisitum fuerat, sine iniustitia eripi non potuit, et quia *sacrum* factum erat, non absque sacrilegio sublatum est.

In acquisitione temporalis dominii varii permiscentur tituli quibus ipsa potestas civilis legitime sibi territorium acquirit:

1) *libera populi electio.* Cives Romani (et postea vicinarum regionum cives) ad R. Pontificem ut ad unicum defensorem recur-

([1]) Prop. 75. Syllabi: « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii ».

rerunt, praesertim contra Barbarorum incursiones et violentias, cum ex debilitate, impotentia aut etiam culpabili sui officii desertione, Imperatores, sive Occidentales sive Byzantini, nil ad Italiae defensionem conferrent aut potius eam opprimerent, excessiva tributa exigentes, quin ullam securitatem ipsi praestarent, saepe etiam ad haeresim propagandam omnia perturbantes;

2) *absoluta conservandae communitatis necessitas.* Quando legitimus dominus omnem curam circa Statum et subditos reliquit, is qui omnes curas, ne dissolvatur Status, in se suscipit, propter operam reparatricem omnia iura coronae acquirere meretur (1);

3) *iura iusti belli.* Pipinus et Carolus M., post iustum bellum contra Longobardos, aggressores et vexatores R. Pontificis et populi Romani, territoria a Regibus Longobardis usurpata restituere, iunctis aliis belli iure acquisitis;

4) *cessio, donatio, pacta legitima.* Sic R. Pontificis territorio accrevere Status, quos Comitissa Mathildis plena cum libertate Papae reliquerat.

Unde, cum iuste acquisita fuerint haec dominia, ab eo qui ea iuste possidebat per *iniustam* violentiam sunt erepta. At insuper etiam *sacrilege.*

327. Sacrilega fuit *usurpatio Statuum pontificiorum*, quia naturam sacri cuiusdam principatus habebant. Sive enim *origo,* sive praesertim *subiectum* et *finis* dominii *temporalis* spectetur, apparet natura sacra illius principatus.

1) R. Pontifex, tamquam *Episcopus Romae* et *Sum. Pontifex,* illam praeponderantiam obtinuit et illum influxum exercuit, qui initium potestati temporali dedit. RR. Pontificibus, qua talibus, data sunt a Pipino et Carolo M., a Comitissa Mathilde regiones et territoria. Nec unquam titulum aliquem temporalem, v. g. Patritii Romani, distinctum a R. Pontificatu, praetenderunt ut Status Ecclesiae dilatarent.

2) *Subiectum dominii* seu potius *iuris* Status pontificii (cuius R. Pontifex non est proprie dominus at supremus administrator), est ipsa Sedes Apostolica seu Ecclesia Romana, *quatenus* et *quia* Ecclesiae Rom. et Sedi Apostolicae coniunctus est primatus iuris-

(1) PATRONI, *Il potere temporale dei Papi* p. 79.

dictionis in universam Ecclesiam. Quae coniunctio non habetur per accidens, ut si unquam princeps aliquis Italiae R. Pontifex fieret, coniungens cum R. Pontificatu dominatum, v. g. in territorium Florentiae: Papa, *quia* est supremus Ecclesiae princeps et gubernator, non alio titulo, dominium temporale obtinet (1).

3) *Finis* dominii temporalis, tantus quantus est, ad Ecclesiae utilitatem et fidelium commodum ordinatur. Nec dicere valet aliquas rationes, quae in constitutionem vel incrementum Status temporalis influxere, nunc, mutatis circumstantias, nil amplius valere; v. g. id quod solus initio ipse praestare potuit, alios nunc tam bene praestare posse. Nam ibi, sicut supra, merito respondetur iura acquisita manere; id quod semel factum est alicuius dominium ab eo iniuste eripitur; id quod semel factum est sacrum dominium, tale manet et sacrilege tollitur, donec per actum legitimum auctoritatis competentis tali exuatur charactere.

Iamvero nec talis actus intercessit, nec facile apparet quomodo intercederet, donec mutatis circumstantiis in eum modum, quem nunc ne suspicamur quidem, principatus temporalis inutilis vel forte etiam noxius Ecclesiae evaderet. Nam tandem Rom. Pontifex non est dominii temporalis *absolutus dominus,* sed tantum *supremus administrator:* unde multo minus ipsi renuntiare valet. Quin immo *quadruplici iuramento* sese obstringere debuit ad conservanda et integre suis successoribus transmittenda Ecclesiae iura et potestates, praesertim civilem Rom. Pontificis principatum (2).

(1) Quod si quando is in R. Pontificem electus est, qui titulo Patritii vel Comitis Romani decorabatur, ut v. g. Octavianus qui nomen Ioannis XII. sibi assumpsit, mansit separata utraque potestas.

(2) Praeter iuramentum a novo Cardinali praestitum, antequam galerum rubrum ipsi imponatur, bis ante electionem R. Pontificis, scl. ante et post ingressum in Conclave, omnes Cardinales illud iuramentum emittunt promittuntque se adhuc emissuros si in R. Pontificem eligantur. « Item promittimus, vovemus et iuramus quod quilibet ex Nobis, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, *praesertim de civili R. Pontificis principatu,* libertatemque S. Sedis integre ac strenue asserere et vindicare nunquam desistet atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum post eius ad Summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit ». Const. « *Vacante Sede* » n. 11. 45. Act. Pii X. III. p. 245 not. 1.

Quod si forte praetenderetur ipsum bonum populorum, olim Rom. Pontifici subditorum, requirere separationem inter potestatem temporalem et spiritualem et proinde ob axioma: « *salus populi suprema lex* », omnia iura, etiam justissime acquisita, renuntiari debere, merito responderi poterit hunc esse praetextum quo omnes usurpationes sese tegunt, nec ullo argumento constringenti et ineluctabili fulciri posse illam praetentionem. Ceterum in responsione ad obiectiones confutabitur illa assumptio contra quam iam praeiudicium validissimum habetur ex statim dicendis, cum mirum esset id damnum et perniciem populi strictiori nexu cum S. Sede coniuncti inducere, quod ad bonum totius Ecclesiae moraliter necessarium esse probabitur, quod insuper eidem populo olim maxime proficuum in multis evasit.

III. **Maxime conveniens, immo moraliter necessarius est dominatus temporalis.**

328. A) *Maxime conveniens est illa dominatio:*

1) per hanc evidenter dignitati et independentiae R. Pontificis in suo spirituali officio, praesertim « in tanta temporalium principum multitudine et varietate » (1) melius consulitur; et condemnata est prop. 26. in Syllabo relata: « *Abrogatio civilis imperii, quo Apost. Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret* »;

2) expensis administrationis pontificiae magna ex parte provideretur, quin omnia a populis extraneis expeti deberent: interdum tandem, longa experientia teste, subiecti Status pontificii multo minoribus taxis ac nunc obruerentur;

3) optimum tandem esset si saltem ibi plena libertate exerceretur cultus divinus, practice observarentur leges Ecclesiae et legaliter florere valerent omnes catholicae institutiones (2).

329. B) *Maxime utilis, immo moraliter necessaria est temporalis potestas.* Constat *ex natura rei* et *repetitis Ecclesiae declarationibus,* in praesentibus adiunctis ex solo temporali dominatu haberi veram et efficacem tutelam independentiae et libertatis Rom. Pontificis.

(1) Nicolaus III. (1277.-1280.) c. 17. de elect. I. 6. in Sexto.
(2) Leo XIII. Epist. ad Card. Rampolla in Act. Leo. XIII. t. VII. p. 145.

I. Iam *ex natura rei* requiritur ut Ecclesia sit *libera* et *evidenter libera* (1). Quod libera esse debeat, probatione non indiget; sed insuper debet esse evidenter libera, ad hoc ut plena fidelium omnium et nationum fiducia gaudeat, sine qua ministerium suum integre et efficaciter nequaquam exercere valebit.

Iamvero temporalis dominatus *moraliter* est *necessarius*: 1) ut Ecclesia *libera* sit. Non est quidem absolute et in omnibus adiunctis necessarius, cum Ecclesia pro se divina promissa habeat, et exemplo trium priorum saeculorum constet Deum aliter providere posse, quo magis divina virtus in defectu humanorum mediorum manifestetur. At dici nequit Ecclesiae status normalis persecutio et apertum dissidium cum Regibus et Statibus, quin immo est status animabus valde noxius (2). Si autem status normalis concordiae cum Statibus stabiliatur, data hominum et praesertim Principum indole, moraliter necessarius apparet principatus civilis, ut perpetuo et constanter servetur plena et perfecta Ecclesiae libertas: secus enim nec omnibus ad R. Pontificem liber patet accessus et communicatio; nec ipse omnibus suas voluntates intimare poterit, absque sui vel suorum officialium periculo et quin teneatur quoad negotia tractanda vel formam adhibendam, semper cavere ne illos offendat in quorum territorio constituetur (3);

2) ut Ecclesia *evidenter* sit *libera*. Vix enim Rom. Pontifex *practice* et *effective* subditus fiet alicuius nationis vel gubernii, licet honores et nomen supremi principis retineat, statim orietur diffidentia contra omnia eius acta, leges et iudicia (4).

(1) Quae bene evolvit CAVAGNIS, *Instit. i. p. e.* t. III. n. 444. sq.

(2) Leo. XIII. Encycl. «*Immortale Dei*» § Fuit aliquando tempus. Cf. *Quaest. iur. eccl. publ.* p. 130. sq.

(3) Quis electionem Rom. Pontificis a pressione gubernii tutabitur? Nonne a. 1877. minister Status, Crispi, declaravit nullum Cardinalem Camerarium nuper defuncto esse substituendum, sed mortuo Pontifice, palatium Vaticanum militari manu esse occupandum ut electionis libertas (!) securior fieret? Cf. Leo. XIII. Epist. ad Card. Rampolla l. c. p. 145.

(4) Et si dicatur: R. Pontifex est infallibilis et Caput Ecclesiae: ergo nullus Catholicus eius auctoritatem reiicere aut ipsi obedientiam detrectare poterit. *Resp.* Est infallibilis quando *ex cathedra* loquitur: *Conc.* (at hoc raro facit); — in praeceptis aut iudiciis *particularibus: Nego;* immo in ipsis

Sufficit adducere lugendum exemplum residentiae Avenionensis a qua ob suspectam (nec semper immerito) R. Pontificis a Rege Galliae dependentiam, tot mala originem duxerunt: abalienatis enim a S. Sede nationibus, facile initium habuit Magnum Occidentale Schisma, ex quo tot dissensiones processerunt, quae tandem in violenta multarum nationum avulsione a S. Sede quasi naturalem terminum invenerunt. Hinc Pius IX: « Omnibus enim compertum est fideles populos, gentes, regna, nunquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura R. Pontifici, si illum alicuius Principis vel gubernii subiectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem confirmaret atque idcirco actis illis hoc praetextu saepe refragari non dubitarent ». (Alloc. « *Quibus quantisque* » 20. Apr. 1849.) (1).

---

legibus *universalibus* non est infallibilis hoc sensu quod magis *opportunum* et *utile* semper statuere debeat. Hinc facile suspicioni obnoxius erit, quod ex desiderio placendi aut timore offendendi gubernium, in cuius ditione stat, aliquid mali et iniusti iudicaverit aut praeceperit, aut aliquid saltem minus prudens aut opportunum per legem etiam universalem constituerit. Facile patet quomodo inde subditorum amor, reverentia, obedientia ipsa minuatur.

(1) Ex historia obiicitur: 1) per septem priora saecula RR. Pontifices, potestate politica destituti, optime Ecclesiam gubernarunt; 2) dominatio temporalis semel adepta ambitionem excitavit tum occupandae Sedis pontificiae tum dominium eius dilatandi: inde contentiones et factiones quibus saepe pravi Pontifices electi sunt, innumera bella aut foedera quae fere tantum rationibus politicis inita magnum detrimentum religioni attulere; 3) nunc autem, liberati a curis temporalibus, maiori reverentia et amore quam ullo alio tempore RR. Pontifices circumdantur. Hinc concludere licet vanos prorsus esse timores praetensos et dominium temporale potius nocivum quam utile fuisse et fore Ecclesiae.

Resp.: 1) vix ac persecutiones finitae sunt, Rom. Pontifices *practice* talem influxum exercuere ut supremam fere aequivalenter potestatem temporalem in Urbem et mox in regiones vicinas obtinuerint;

2) abusus, qui in rebus ab hominibus gestis semper reperientur, non negamus, at dicimus: *a*) iniustitiae flagrantis est mala tantum advertere, egregia merita RR. Pontificum reticere aut negare, cum etiam viri Acatholici sincere fateri non dubitent Pontifices, potestate temporali utentes, faustis-

330. II. Haec necessitas ex *verbis* et *declarationibus RR. Pontificum* et *consensu Ecclesiae* comprobatur. Iteratae declarationes RR. Pontificum, praesertim Pii IX. ante et post consummatam principatus temporalis destructionem, et Leonis XIII., necessitatem hanc vindicant. Praeter verba paulo superius citata, adhuc Encycl. « *Qui nuper* » 18. Iun. 1859. sic habet: « Necessarium esse palam edi cimus Sanctae huic Sedi civilem principatum ut in bonum Religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit » (1); et die 26. Mart. 1860.: « Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis, quae temporum conditioni ac necessitati congruerent; idcirco singulari prorsus Divinae Providentiae consilio factum est... ut ... R. Pontifex... civilem assequeretur principatum... ut illa frueretur politica libertate quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam » (2). Leo XIII. in Ep. ad Card. Ramp. « Fino ad ora l'unico mezzo, di cui si è servito la Provvidenza, per tutelare, come si conveniva, la libertà dei Papi, è stata la loro temporale sovranità; e quando questo

---

simum in Europam influxum exercuisse; *b*) comparari debent Pontifices cum principibus et regibus eiusdem aetatis, ut iustum feratur iudicium; *c*) nec obliviscendum est abusus tum maxime invaluisse, cum debilior facta est potestas pontificia, unde faciliorem influxum factiones principum aut populi Romani in electionem aut acta Pontificum exercere potuerunt;

3) si ex spoliatione maxima incommoda et damna pro independentia S. Sedis nondum orta sunt, inde nil contra thesim nostram concludere licet: nam omnibus notum est apertum dissidium inter S. Sedem et gubernium italicum. (Cf. De la Brière, in *Etudes* 1914. tom. 138. p. 399. sq.; p. 401. testimonia affert virorum acatholicorum, qui fatentur non nisi ex modo agendi Pontificum, quo aperte dissidium patet, salvam fuisse eorum independentiam). Insuper Deus speciali quadam Providentia non nisi eximia virtute et praeclaris ingenii dotibus conspicuos Pontifices Ecclesiae praefici permisit. At status ille conflictus anomalus est, nec Deus tenetur non nisi de praestantissimis Pontificibus Ecclesiae suae providere. Finge cessari acutum dissidium, finge Pontificem eligi qui minorem amorem et reverentiam sibi conciliaverit, statim exsurgent omnia mala a Pio IX. tam vivide descripta.

(1) Apud Steccanella, *Il valore e la violazione*... p. 407.

(2) Apud Steccanella l. c. p. 420.

mezzo mancò, i Pontefici furono sempre o perseguitati, o prigioni, o esuli, o certo in condizione di dipendenza... ». His declarationibus RR. Pontificum Episcopi sexcentis vicibus adhaeserunt in suis ad proprios greges litteris pastoralibus vel concionibus, necnon modo solemniore in declaratione Pio IX. die 9. Iun. 1862. oblata, ubi inter alia haec habent: « Civilem S. Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus; nec declarare dubitamus in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri » (1).

331. **Conclusio.** — Si tandem quaeratur quo modo iura Rom. Pontificis apte componi possint cum praesenti statu rerum in Italia, hanc admodum arduam et salebrosam quaestionem dirimere non intendimus. Certe ante eventus qui ab a. 1848. usque ad a. 1870. sese invicem exceperunt, non tam difficulter inveniri potuisset solutio, quae simul iura S. Sedis et Principum cum legitima adspiratione populorum Italiae ad maiorem unitatem et liberationem a iugo populorum extraneorum conciliasset, quin huic satisfieret per eversa regna guberniaque legitima, tumultus populares excitatos, inania simulacra plebiscitorum provocata (2).

Post consummatam destructionem principatus temporalis S. Sedis, certe multo difficilior est solutio, si humanae tantum praevisiones considerentur, quin a Deo extraordinarius exspectetur interventus. Ceterum non ad privatos pertinet solutionem invenire, multo minus ad ipsos spoliatores eam imponere, bene vero ad ipsam Ecclesiam spectat media determinare quibus iura eius legitimaque independentia salva et incolumia esse possint. *Ipsa* enim *laesa* fuit

(1) Non iniucundum erit audire ipsum Imperatorem Napoleonem I. de principatu temporali loquentem: « C'est là l'œuvre des siècles et ils l'ont bien faite. C'est l'institution la plus sage et la plus avantageuse qu'on puisse imaginer dans le gouvernement des âmes ». Apud BARGILLIAT t. I. n. 402. Cf. alia testimonia apud GIOBBIO l. c. t. I. n. 76.

(2) Talia plebiscita ab auctoribus etiam acatholicis, nec de nimia benevolentia erga S. Sedem suspectis, merito habita sunt aut pro inutili et ridicula comoedia aut pro aperta et flagrante iniustitia. GIOBBIO l. c. t. I. n. 88.

in suis iuribus; insuper in conflictu iurium inter duas societates perfectas, ad *superiorem* pertinet talem *conflictum* auctoritative *dirimere* (1).

(1) Cf. GIOBBIO t. I. n. 90. p. 112. not. Primi fautores independentiae nationalis ne cogitaverunt quidem de Italia *una* a qua excluderetur pontificia potestas, omnium antiquissima, vereque « *italica* » ratione originis, traditionum, influxus, officiorumque praestitorum.

Et CAVAGNIS t. III. n. 464. merito notat: etsi unitas, qualis nunc est, maius esset bonum pro Italia. adhuc praestaret bonum totius Ecclesiae bono nationis alicuius privatae; ceterum per copiam bonorum ordinis spiritualis, quae ob electionem a Deo factam Romae et Italiae pro Sede pontificia collocanda, in hanc maxime regionem effunduntur, in immensum compensatur aliqua imminutio ipsius temporalis prosperitatis: quam ceterum admittere non cogimur, cum utilitates et commoda etiam ordinis materialis quam plurima ex praesentia R. Pontificis hauriat Italia, quae tamen praetendere non potest, et quae vix sperare debet, nisi Pontifex plena independentia sua gaudeat.

Articulus II

De Curia Romana (1)

Praenotandum

332. **De nomine et compositione Curiae Romanae.** — Nomine *Curiae Romanae* designatur sive *locus,* ubi ordinarie residet R. Pontifex cum suis administris, — sive *complexus* earum *personarum* et *Institutorum,* quae ipsum iuvant in regimine universalis Ecclesiae (2).

Curia Romana constat tum *personis singularibus,* qui sunt Cardinales, Praelati, alii Officiales, tum *personis moralibus,* quarum aliae vera iurisdictione ecclesiastica praeditae sunt (collegia *iurisdictionis:* tales sunt SS. Congregationes et Tribunalia); aliae mera quadam administratione ad tuenda iura gradus et dignitatis (collegia *status,* v. g. collegium Protonotariorum Apostolicorum).

Insuper, ratione *competentiae,* distinguuntur personae, quibus competit potestas aliqua:

vel *regendi* (tales sunt SS. Congregationes quae per *decreta* et *responsa* sua auctoritative leges interpretantur, tum modo generali tum in casibus particularibus);

vel *ius dicendi* in linea *iudiciali* (S. Rota Rom.);

vel iurisdictio *voluntaria* et *gratiosa* (Dataria Apost.).

(1) Bouix, *Tract. de Curia Rom.*; Phillips, *Kirchenrecht* t. VI § 293. 294. 300.; Lega, *Prael. de iud. eccl.* t. II.; Wernz, *Ius Decret.* t. II. n. 619. sq.; Cappello, *De Cur. Rom.* t. I. — Cf. commentatores in Const. « *Sapienti Consilio* », v. g. Oietti, Ferreres, Simier, Monin; Choupin, in *Valeur des décis. doctr. et discipl. du S. Siège* P. VI. et in *Dict. Apolog. de la Foi cathol.* v. *Curie Rom.*; Besson, in *Nouv. Rev. Théol.* 1908. p. 711. sq. 1909. p. 5. sq. 80. sq. 216. sq.

(2) Non autem quae *proprie* et *exclusive* adhibentur in regimine Urbis Romae (Vicariatus Urbis), aut provinciae ecclesiasticae Romanae. Cf. Oietti, l. c. p. 8.

333. **Notae historicae.** — Quatuor praecipuae periodi in compositione et modo procedendi Curiae Rom. apte distingui possunt.

I. **Ab initio ad saec. XIV.,** solebant Rom. Pontifices *per se ipsos* negotia absolvere; sapienter autem in consilium vocabant tum clerum suum (presbyteros et diaconos), tum Episcopos vicinos aut provinciae totius, immo etiam, quando per historica adiuncta licuit, Episcopos totius Italiae et Occidentis, quos in Synodos adunabant, tanta celebritate inde a saec. IX. et X. frequentatas, ut Conciliis oecumenicis Lateran. I. II. III. saec. XII. viam paraverint.

Insuper iam saec. IX. a Leone IV. imposita fuit Cardinalibus obligatio, ut semel (aut bis) in hebdomada ad palatium Apostolicum se conferrent, ut cum ipso deliberarent (1).

II. **A saec. XIV. ad XVI.,** Rom. Pontifices, negotiis gravioribus sibi retentis, cetera per peculiaria Officia seu Instituta (S. Rotam, Cameram Apost., Datariam, Poenitentiariam) absolvere soliti fuerunt. Cardinales sive simul in *Consistoriis* sive iam in *particularibus commissionibus* adunati operam suam praestabant.

III. **Saec. XVI., Sixtus V.,** aucto Cardinalium numero creatisque pluribus SS. Congregationibus et melius constitutis paucis illis quae iam existebant, ipsis multa negotia commisit sive ad legiferam sive ad executivam potestatem pertinentia (2).

IV. **Constitutione** « *Sapienti consilio* » 29. Iun. 1908., Sñus D. N. Pius PP. X. novam induxit dispositionem Curiae Romanae, quoad numerum et attributiones SS. Congregationum. Successive agemus de personis et de Institutis quibus adiutoribus in Curia Romana Sñus Pontifex utitur.

(1) Leo IV. in Conc. Rom. a. 833. Cf. LECTOR, *Le Conclave* p. 77. FERRERES, *La Cur. Rom.* n. 31. Insuper Ioannes VII. Cardinales ad mensiles adunationes convocavit pro cleri reformatione et litium querelarumque diremptione. quae fuit aliqua prolusio SS. Congregationum constitutioni.

(2) Vi Const. « *Immensa* » 22. Ian. 1587. (1588.), 15. Congregationes exstiterunt, earumque attributiones determinatae sunt.

A. De S. R. E. Cardinalibus

334. **De nomine et origine historica.** — Nomen Cardinalis a vocabulo « *cardo* » derivatur (1). Idem fere significat ac *incardinatus*, i. e. modo constanti, continuo, alicui ecclesiae adscriptus. At communiter reservabatur hoc nomen clericis qui alicui ecclesiae *principaliori* adscribebantur, et in ea tum Episcopo, tum presbyteris, tum diaconis attribuebatur (2).

Romae paulatim usus invectus est ut nomine Cardinalium insignirentur qui principalibus ecclesiis, seu *titulis* (3) praeerant, necnon et *diaconiis*. *Tituli*, seu ecclesiae illae praestantiores, quorum origo ad saec. IV. aut III. (saltem quoad partem) referenda est, certe iam saec. V. numerabantur 25.; *diaconiae* fuerunt domus *hospitales* et beneficentiae quibus *sacella* et oratoria adhaerebant: iam primis saeculis 7. in Urbe numerabantur, a tempore S. Gregorii M. (590.-604.) 5. aliae diaconiae urbanae et 6. in Palatino creatae sunt, unde tandem cum archidiacono, qui ipsis praeerat, 19. diaconi computabantur; qui numerus usque ad tempus Sixti V. retentus fuit (4).

Quo tempore dicti sint *Cardinales*, presbyteri illi et diaconi, qui titulis aut diaconiis praesidebant, non liquet: ineunte saec. VI. nondum, at certe saec. VIII. iam usus vigebat (5).

Hoc etiam saec. VIII. Episcopi *suburbicarii*, seu viciniores Urbi, quippe qui ecclesiae Lateranensi, cathedrali sedi

(1) De ratione cur hoc nomen electum fuerit, hic considerare non vacat. Legatur, si placet, Bouix *De Cur. Rom.* c. I.

(2) Cf. Bargilliat, t. I. n. 432.

(3) Cuius nominis origo satis incerta est. An quia designabantur ecclesiae istae nomine fundatorum, serius nomine Sanctorum?

(4) Phillips, *KR.* t. VI. § 267.

(5) Grisar, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen âge* t. I. n. 138.

R. Pontificis, incardinari censebantur, et ipsi dicti sunt Cardinales (1).

Immo serius nomen Cardinalium reservatum est illis Episcopis suburbicariis, necnon presbyteris et diaconibus Romanis, ad exclusionem cleri ceterarum ecclesiarum.

Medio aevo presbyteri Cardinales adscribi solebant 4. Basilicis maioribus praeter Lateranensem et numerus eorum modo constanti ad numerum 28. a Callixto II. (1119.-1124.) est constitutus (2).

Sixtus V., retentis 6. Cardinalibus Episcopis (3), qui sunt Ostiensis (et Veliternensis), Portuensis (et S. Rufinae) Albanensis, Tusculanus, Praenestinus, Sabinensis, Presbyteros Cardinales ad 50. auxit, Diaconos ad 14. reduxit. (Const. « *Religiosa* » 15. Apr. 1587.) Plures tamen numerantur *tituli* et *diaconiae* ac sunt titulares actuales.

N. B. — Ut ex historica evolutione constat, dignitas Cardinalitia, nedum de iure divino sit, (de qua origine nullum argumentum S. Scripturae aut Traditionis afferri potest), ne originem quidem apostolicam sibi vindicare potest.

335. **De creatione Cardinalium.** — Omnino libere fit a R. Pontifice; nec ullo argumento probatur primitivum modum Cardinales promovendi fuisse electionem a Collegio Cardinalium. Unde si unquam Cardinales et praesertim Concilia dicta « *Reformationis* », (Constantiense et Basileense), libertatem R. Pontificis in creatione Cardinalium impedire aut restringere voluerunt, id nullius est valoris, nisi ipse sponte nec invitus his dispositionibus sese subiecerit. Modus vero interrogandi Cardinales in Consistorio, quid ipsis de promovendis videatur et, annuentibus illis, statim promotionis decretum edicendi, ad meram caerimoniam reducitur.

(1) De Stephano III. (768.-772.) refert Liber Pontif.: « Statuit ut omni dominico die a septem Episc. Cardinal. hebdomadariis... super altare B. Petri celebraretur ».

(2) GRISAR, l. c. n. 138.

(3) Aliquando 7. fuerant, at circa a. 1138. S. Rufina seu Sylva Candida, Portuae fuit unita.

Civilia gubernia (Austria, Hispania, olim Gallia, Lusitania), qui aliquem Cardinalem « *coronae* », ut aiunt, *commendant*, non habent ullum ius strictum *praesentandi* nec liberam Cardinalium creationem impedire valent.

336. **N. B.** — Singularis est modus creationis Cardinalium, quando dicuntur in pectore (« *in petto* ») reservari. R. Pontifex tunc in aliquo Consistorio declarat se aliquem aut aliquos viros egregios ad cardinalatum promovisse, at ex iustis causis « *in pectore* » reservasse, arbitrio suo aliquando evulgandos (1). Iustae causae solent esse ratio prudentiae et praesertim officii (v. g. Nuntii Apostolici), quod promotus interea exercere pergit.

Publicatio fit in aliquo subsequenti Consistorio: effectus est ut publicatio censeatur retrotrahi ad diem creationis, et is sedem occupet ante Cardinales dein creatos et publicatos. At talis publicatio necessaria est (2): unde si antea moriatur R. Pontifex, reservatus « *in petto* », nec in Conclavi admittitur, nec erit Cardinalis, nisi R. Pontifex successor, ratam habens creationem, in Consistorio eum publicaverit.

337. **De caerimoniis in creatione Cardinalium adhiberi solitis.** — Postquam R. Pontifex in aliquo Consistorio secreto, coram solis Cardinalibus, intentionem suam declaravit creandi in Cardinales viros egregios, quorum nomina legit, et annuentibus Cardinalibus, statim decretum promotionis tulit, nuntius defertur ad electos, si in Urbe commo-

(1) Saec. XV. nominabantur in Consist., imposita silentii lege; a saec. XVI. nomen reticetur, at solebat tunc P. Pontifex epistolam, nomen continentem, sigillatam alicui ex familiaribus tradere. Cf. LECTOR, *Le Conclave* p. 587. not. 1.

(2) Eugen. IV. Const. « *In eminenti* » 26 Oct. 1431. LECTOR l. c. dicit sufficere ut tres Cardinales in cubiculum R. Pontif. convocentur et coram eis nomen publicetur. — Potest quidem R. Pontifex huius publicationis necessitati derogare, at vix expedit, ne post mortem eius huiusmodi creatis magnae difficultates opponantur: qua ratione motus Pius IX., qui die 15. Mart. 1875. quinque Cardinales *in pectore* reservatos declarans, simul constituerat eos habendos esse ut tales, etiam si ante publicationem moreretur, mox eos in Consist. 17. Sept. 1875. proclamavit. Cf. SANTI, *Praelect. iur. can.* in l. I. tit. 31. n. 24.

rentur, ipsisque annuntiatur R. Pontificem stato die birretum rubrum eis esse collaturum. Quae caerimonia in praesentia PP. Cardinalium et aliquarum delectarum personarum perficitur.

Dein indicitur publicum Consistorium, in quo, expletis certis solemnitatibus, R. Pontifex novis Cardinalibus galerum rubrum imponit, quo significatur eos velle usque ad sanguinis effusionem Ecclesiam defendere; ipsisque *os claudit,* (nisi id statim post in Consistorio secreto faciat), i. e. prohibet ne partem in discussionibus sumant neve suffragium emittant in negotiis collegialiter tractandis a Cardinalibus.

In alio Consistorio secreto, quod nunc immediate subsequi solet, *os ipsis aperit,* annulum cardinalitium tradit, proprium titulum assignat, aliquasque ex SS. Congregationibus ipsis adsignat (1).

Si promotus ab Urbe absit, specialis Legatus, qui *Ablegatus* dicitur, birretum rubrum ipsi affert, in cuius acceptione iurat se infra annum ad Apostolorum limina accessurum (2).

Qui praesentatus seu *commendatus* a Principe civili fuit, ab ipso birretum, ab Ablegato pileolum rubrum accipit.

338. **De dotibus in Cardinalibus requisitis.** — Ex Concilii Tridentini dispositione (sess. 24. c. 1. de ref.) eaedem sunt ac pro Episcopis; clarius adhuc determinatae sunt a Sixto V. Const. « *Postquam* » 3. Dec. 1886.

Requiruntur: 1) legitimi natales, nec ulla *legitimatio* sufficit (Const. cit. § 12.); — 2) aetas 30. annorum completorum: diaconibus Cardinalibus ex derogatione Sixti V. (l. c. § 6.) suf-

(1) Vi Const. Eugenii IV. « *In Eminenti* » nemo iuribus Cardinalium gaudebat nec vocem activam in electione R. Pontif. habebat, nisi insignia cardinalitia accepisset, ipsique os apertum fuisset. At S. Pius V. decreto 26. Ian. 1571. hanc exceptionem sustulit. Unde statim ac quis, in Consistorio Secreto publicatus, acceptavit, vocem activam obtinet. Cf. LECTOR l. c. p. 586. Const. « *Vacante Sede* » n. 30,

(2) Cardinalibus regiae stirpis ab Ablegato defertur ipsum galerum rubrum. Sic Arciduci Austriaco Ranieri a. 1819. Cf. GIOBBIO, *Lez. di diplom. eccl.* t. I. n. 286.

ficit 22^us annus inchoatus, ita ut infra annum diaconatu augeri valeant; — scientia et virtus (ib. § 14.). Immo saltem 4. sint magistri in S. Theologia. — 3) Sint, quantum fieri potest, ex variis nationibus delecti (§ 11.).

Excluduntur: 1) qui matrimonio olim iuncti filios aut nepotes habent (l. c. § 16.) (1); — 2) qui sunt consanguinei in 1.° aut 2.° gradu alicuius Cardinalis viventis (§ 17. 18.); — 3) irregulares ob defectus, vitia, impedimenta quaecumque (§ 13.).

339. **De iuribus et officiis S. Collegii Cardinalium.** — Cardinales constituunt aliquod *collegium*, i. e. corpus aliquod organizatum cum *capite*, qui est antiquior Cardinalis Episcopus, decanus S. Collegii, et solet esse Episcopus Ostiensis; S. Collegium habet indolem personae alicuius iuridicae, unde acquirere potest bona temporalia eaque administrare: huic curae praeest unus e Cardinalibus ab aliis delectus, qui dicitur Camerarius S. Collegii (2). — Aliquis Praelatus (nunc Adsessor S. C. Consistorialis, vi Const. « *Sapienti consilio* » I. 2.° 6.) est S. Collegii *Secretarius*, eique adiunguntur Officiales inferiores pro gerendis et expediendis negotiis.

340. **Sede plena,** S. Collegium Cardinalium est quasi Senatus R. Pontificis, quem suis consiliis et opera adiuvat. Cardinales R. Pontifex in adiutorium suum adhibet: tum 1) simul in Consistorio adunatos, tum 2) in SS. Congregationibus, tum 3) seorsim per legationes.

De S. Congregationibus mox, de Legatis infra in art. III. n. 418. sq. dicetur.

Consistoria sunt *publica*, *semi-publica*, *secreta*. In Consistorio *publico*, in quo Cardinales galerum rubrum accipiunt, aliae caerimoniae magna solemnitate expleri solent, qualis est receptio Regum vel legatorum regiorum, petitio introductionis alicuius causae beatificationis et canonizationis.

(1) Cf. FERRARIS, *Bibl. prompta* v. *Cardinalis*, art. I. n. 30. sq.

(2) Is quotannis mutatur et ex usu munere functo substituitur immediate sequens ordine antiquitatis.

Nec est confundendus cum Cardinali Camerario S. R. E., qui Camerae Apostolicae praeest et ab ipso R. Pontifice deputatur.

In Consistorio *secreto*, in quo creantur Cardinales, solet antea R. Pontifex allocutionem habere de negotiis, quae ad Ecclesiae bonum pertinent; post nominationem Cardinalium, ipse nomina Episcoporum legit, qui nondum in aliquo Consistorio publicati sunt. In fine petitur et datur pallium pro Archiepiscopis aut aliis ius habentibus.

Consistorium *semi-publicum* adunari solet pro causis canonizationum: ei interesse et votum dare permittuntur Archiepiscopi et Episcopi, quotquot in Curia inveniuntur (1).

341. **Sede vacante,** Collegium Cardinalium exclusivum ius habet eligendi R. Pontificem; de quo iure dictum fuit n. 295. sq.

At nequaquam succedit ipsi in regimine universae Ecclesiae: alias non habet potestates nisi quas RR. Pontifices ipsi in antecessum concessere. Per Const. « *Vacante Sede* » n. 1. sq. hae potestates accurate determinantur (2). Nequeunt Cardinales novas leges condere (3), praesertim ad formam pro electione statutam immutandam; at possunt casibus urgentioribus providere, praesertim circa modum avertendi magnum et evidens periculum, ad hoc etiam, si opus fuerit, Concilium oecumenicum convocando.

Negotia inferiorum ecclesiarum, quae dilationem non patiuntur, tractanda committere possunt illis SS. Congregationibus quibus probabiliter Papa eas attribuisset (Const. cit. n. 25.) (4).

Si moriatur Card. Camerarius aut Maior Poenitentiarius, alium interim sufficere possunt (Const. cit. n. 13.) (5).

(1) CARD. DE LUCA, *Il dottore volgare* l. 15. c. 4. n. 2. sq.; BOUIX, *De Cur. Rom.* p. 147.

(2) Cf. Acta Pii X. t. III. p. 241. sq.; Const. Leo XIII « *Praedecessores nostri* » § Etsi vero amplam ib. p. 297.

(3) Cf. supra n. 10. in Tract. de legibus.

(4) Cf. infra n. 347.

(5) Negotia, praeter ipsam electionem Papae ad quam duae tertiae partes requiruntur, decernuntur ad maioritatem absolutam; ad electionem Camer. aut Poenit. maioritas relativa suffragiorum sufficit. Const. cit. n. 4. 7. 13.

342. **De iuribus et obligationibus singulorum Cardinalium.** — I. Cardinalibus competit: 1) Ius *electionis R. Pontificis*, dum in Conclavi sint praesentes ; nec excludi possunt ob *censuram* (Clemens V. et Pius X. Const. cit. n. 29.);

2) ius *suffragii* in *Conciliis oecumenicis* ante ceteros omnes (ex consuetudine multorum saeculorum);

3) *immunitas* a quibusdam *legibus* ecclesiasticis: sic non feriuntur suspensione aut interdicto, nisi nominatim exprimantur in lege;

4) *immunitas* a *iurisdictione S. Officii* et aliarum *SS. Congregationum*, quia tum in civilibus tum in criminalibus immediate R. Pontifici subsunt.

II. Gaudent multis privilegiis, aut confirmatis aut noviter concessis a Sño D. N. Pio PP. X. 20. Dec. 1911. ([1]), quorum praecipua sunt: privilegium absolvendi omnes et ubique ab omnibus peccatis et censuris (exceptis specialissimo modo Sedi Apost. reservatis); — eligendi sibi suisque familiaribus sacerdotem etiam non approbatum in confessarium; — fruendi altari portatili, — ubique insignia pontificia deferendi et more Episcoporum benedicendi.

Insuper iure stemmatis, titulo Eminentiae fruuntur; praecedentiam habent ubique prae ceteris omnibus, etiam Patriarchis; — ipsis *credi* debet in omni causa non litigiosa, v. g. si asserunt aliquid fuisse in praesentia Papae actum, vel sibi ab ipso mandatum oraculo vivae vocis, vel se esse Legatos.

In suis titulis iurisdictionem quasi-episcopalem non retinent, nisi « circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat », scl. per ordinationes et statuta et per correctionem subditorum absque forma iudiciali ([2]). Con-

([1]) Cf. *Razón y Fe* t. 33. p. 243. sq.

([2]) Const. « *R. Pontifex* » Innoc. XII. 17. Sept. 1692. Cf. Wernz n. 632.; Ferraris v. *Cardinalis* art. III. in addit. At cf. Ojetti, *Synop.* v. *Cardinales* p. 578. 579.

trovertitur utrum adhuc possint Cardinales Presbyteri subditis suis tonsuram et Ordines minores conferre (1).

Excommunicationem speciali modo R. Pontifici reservatam incurrunt « omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales », eorumque complices.

Subsistentia Cardinalium procuratur per summam a Camera Apostolica ipsis praestitam (piatto cardinalizio) et ex bonis Collegii Cardinalium. Permittitur ipsis quaedam beneficiorum cumulatio et retentio beneficii in commenda (2).

343. **Obligatio** Cardinalibus, qui Episcopi residentiales non sunt, incumbit, Romae aut in loco Curiae residere (3), nec inde abesse possunt sine facultate a R. Pontifice accepta, quem debent in omnibus officiis ac laboribus, quae eis iniungit, strenue adiuvare.

Tandem debent superfluos reditus in pios usus impendere.

De Praelatis et aliis officialibus Curiae Romanae (4)

344. *Praelati* in Curia Romana distinguuntur in *reales* seu *veros*, qui potestate quadam *iurisdictionis* seu *administrationis* ecclesiasticae praediti sunt; et *honorarios*, qui meras *functiones* exercent aut *praerogativam honoris* obtinent.

(1) Practice ea potestate, si adhuc manet, non utuntur, nisi sint charactere episcopali insigniti. Cf. WERNZ t. II. n. 27. not. 25. Iuxta GASPARRI. (*De S. Ordin.* t. II. n. 965.) possunt conferre Ord. min., ex licentia tamen Vicarii Urbis; immo absque licentia, secundum MANY, *De S. Ord.* n. 58.

(2) *Optio* Cardinalium est transitus ab uno ordine, gradu aut titulo cardinalitio inferiori ad superiorem: quae optio in Consistorio proposita a Pontifice confirmatur. — Reservantur antiquioribus Cardinalibus Episcopis, (Decano et Sub-Decano S. Collegii) episcopatus Ostiensis et Portuensis. Regulae quaedam circa optionem constituuntur, de quibus videri potest WERNZ t. II. n. 629.

(3) Cardinales Episcopi suburbicarii et ipsi Romae resident. Ceterum vi Const. « *Apostolicae Rom. Pontificum* » 15. Apr. 1910. habebunt semper in adiutorium ad administrandam dioecesim *Episcopum suffraganeum* a R. Pont. immediate nominatum.

(4) WERNZ t. II. n. 637. sq.

Praelati veri, qui suam potestatem *singuli* aut *in collegio* adunati exercent, sunt praesertim:

Auditores S. Rotae Rom. qui iudicia exercent; — *Secretarii* SS. Congregationum; — *Adsessor* et *Commissarius* S. Officii; — *Regens* S. Poenitentiariae; — in Camera Apostolica: *Vice Camerarius*, *Auditor generalis*, *Thesaurarius* et *Clerici* Cam. Apost., etc.

Ad Praelatos honorarios pertinent: *Eleemosynarius* Papae; — *Magistri caeremoniarum* pontif.; — *Secretarii* Brevium ad Principes et *Litterarum latinarum*; — *Camerarii secreti;* — *Praelati domestici* etc.

Inter *officiales* commemorandi sunt: *Advocati*, inter quos praecipuum locum occupant *Advocati consistoriales*, qui collegium aliquod constituunt (1); — *Procuratores*, qui agunt pro partibus et nomine earum (2); — *Notarii*, qui scripturas authenticas conficiunt sive in iudicio sive extra iudicium: inter quos eminent *Protonotarii Apostolici*, quibus nunc reservatur munus subscribendi Bullas a Cancellaria Apost. expeditas (3); — tandem *Sollicitatores*, *Expeditores*, *Agentes*, qui pro partibus, extra iudicium, negotiorum decisionem et expeditionem urgent.

B) De SS. Congregationibus Romanis

I. — De SS. Congregationibus in genere (4)

345. **De earum origine.** — Paulus III. a. 1542. Congregationem S. Officii constituit; Pius IV. a. 1569. Congregationem pro executione decretorum Concilii Tridentini; S. Pius V. a. 1571. Congregationem Indicis.

(1) De his videndus est: *Ordo servandus in SS. Congreg.* etc. Norm. comm. c. IX. n. 15. Act. Ap. S. t. I. p. 52.; *Lex propria S. Rot. Rom.* can. 45. ib. p. 32.

(2) Cf. *Norm. comm.* c. IX. n. 3. sq.

(3) Cf. Const. « *Sapienti consilio* » III. 1.° n. 5. in Act. Ap. S. t. I. p. 16.

(4) Cf. auctores citatos n. 332. in nota, v. g. Ojetti p. 1.-44.; Monin *De Cur. Rom.* p. 155.-194.

Constitutione « *Immensa* » 22. Ian. 1587. (1588.) Sixtus V. tres saltem (1) Congregationes iam existentes confirmans, alias duodecim creavit quarum plures negotia civilia Status pontificii, aliae negotia ecclesiastica totius orbis christiani curare debebant. Prioribus decursu temporis fere cessantibus, aliae plus minusve transformatae ad nos usque permanserunt, aliis etiam additis, quarum praecipua fuit S. Congreg. de Prop. Fide a Gregorio XV. a. 1622. instituta.

Initio pontificatus Sñi D. N. Pii X. numerabantur viginti Congregationes, quae ad undecim per Const. « *Sapienti consilio* » reductae sunt (2).

346. **De natura et compositione SS. Congregationum.** — Sunt *collegia Cardinalium:*

collegia: nam in eis PP. Cardinales iurisdictionem exercent non qua personae singulares, sed simul adunati et collegialiter;

Cardinalium: ipsi enim soli iurisdictionem exercent; alii sunt meri auxiliares qui vocem deliberativam nequaquam obtinent.

Numerus Cardinalium in unaquaque variatur, semper tamen debent esse saltem tres (3): re vera pro variis habentur: nunc 9., nunc. 10. 25. 27. Cardinales.

Unaquaeque Congregatio habet ut *Praefectum* unum ex suis membris quem designavit R. Pontifex: excipiuntur Congregationes S. Officii et Consistorialis, quibus ipse Papa praeest, quaeque habent Cardinalem aliquem tamquam *Secretarium*. Cardinales. alicuius Congregationis membra, adiuvantur per varios *Officiales* et per *Consultores*.

(1) *Saltem tres*, nam cf. infra n. 370 de S. C. Ep. et Reg.

(2) Re vera adhuc 14. existunt, si pro una speciali sumatur S. C. de Prop. F. pro negotiis ecclesiarum Rituum Orient., et addantur duae aliae quas commemorat ipsa Const., scl. S. C. Lauretana quae adiungitur S. C. Concilii et S. C. Reverendae Fabricae S. Petri.

(3) « Denique, quo dictarum Congreg. expeditiones validae existant, Cardinales in qualibet Congr. non sint pauciores tribus ». Const. « *Immensa* » v. f. Cf. CHOUPIN l. c. p. 418., qui recte infert tres saltem Cardinales *praesentes* esse debere quando deliberationes sumuntur.

Inter Officiales, alii sunt *maiores*, qui directe a R. Pontifice eliguntur, alii *minores* qui, concursu praevio, nominantur; Officiales *maiores* sunt *Secretarius* (nisi sit Cardinalis), *Substitutus* vel *Subsecretarius* (aut *Subsecretarii*, quando sunt plures, ut in S. C. de Sacramentis). — Officiales *minores* sunt *studii adiutores* seu *informatores* (minutanti); *scriptores* (protocollistae, tabulario addicti, ratiocinatores); *distributores*.

Consultores, quos SS. Congregationes « in consultationibus advocent atque adhibeant » (1), quin tamen ullum suffragium in decernendis causis habeant, debent esse viri S. Theologiae et utriusque iuris periti et rerum gerendarum usu pollentes. Ab ipso Papa nominantur.

De modo procedendi in SS. Congregationibus infra dicetur n. 349.

De competentia SS. Congregationum (2).

347. I. *Competentia* tum SS. Congregationum in genere, tum singularum in specie, nunc potissimum ex Const. « *Sapienti consilio* » et documentis ipsi additis haurienda est. Haec documenta sunt: 1) *Lex propria S. Rom. Rotae et Signaturae Apostolicae*; 2) *Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Rom. Curiae* (3). Habent eamdem prorsus auctoritatem ac ipsa Constitutio.

II. Omnes Congregationes iurisdictione *ordinaria* gaudent, quae consequenter non exspirat per mortem R. Pon-

(1) Const. « *Immensa* » v. f.

(2) Cf. Besson, in *Nouv. Rev. Théol.* 1908. p. 713. sq. aliosque commentatores Const. « *Sapienti consilio* » citatos n. 332. in nota.

(3) Duplicem partem continet *Ordo:* 1) *normas communes*, quae potissimum ad internam omnium Officiorum constitutionem, munerum provisiones, horas ac disciplinam, ferias pertinent; indicatur etiam modus *adeundi officia*. tum privatis, tum Episcopis sequendus; 2) *normas peculiares*, quibus competentia singulorum Officiorum indicatur, et simul determinatur quoad singulas Congregationes, quae negotia et quo modo unaquaeque tractanda habeat.

tificis, quamvis tempore vacantiae Sedis Apost. negotia maioris momenti tractare non soleant (1).

III. Unus e praecipuis novae Constitutionis scopis fuit *suppressio iurisdictionis cumulativae*, quae paulatim introducta plures Congregationes circa idem negotium competentes reddebat: unde practice ad S. C. Concilii et S. C. Episc. et Reg. omnia fere negotia deferebantur, non sine gravi damno pro prompta negotiorum expeditione.

In Const. « *Sapienti consilio* » accurate determinati sunt limites competentiae uniuscuiusque Congregationis. Si negotium *ex errore* ad Congregationem incompetentem translatum fuerit, ipsa ad competentem transmittet; si res sit *dubia*, in *congressu* ipsius Congregationis examinatur utrum ipsa sit competens; quod si dubium manserit, recurretur ad *S. C. Consistorialem*, quae auctoritative dubium dirimet (2). Pars vero quae causam ad aliquod Officium semel detulit, non potest amplius *proprio* marte illam ad aliud Officium transferre (3).

De exercitio potestatis SS. Congregationum.

348. A. **Potestas legifera.** — SS. Congregationes, quamvis ordinarie potestatem suam in *executione* et *administratione* exerant, participant tamen aliquatenus potestatem *legiferam*, in quantum *authentice interpretari* possunt leges, quarum executionem urgere ad ipsas pertinet (S. Officium, sicut olim, ita nunc, authentice interpretatur ea quae ad *doctrinam catholicam* et *mores* spectant) (4); —

(1) Cf. Const. « *Vacante Sede* » n. 22. sq. Non absolvant negotia, quae solent absolvi « facto verbo cum Sño », vel « ex audientia Sñi », vel « vigore specialium et extraordinariarum facultatum ». Si tamen negotium sit urgens, S. Collegium illud committet Praefecto et aliquibus Cardinal. illius S. Congr., cui Papa verisimiliter illud mandasset, qui negotium tractabunt at provisorie. Cf. supra n. 341.

(2) Const. cit. I. 2°. 4.

(3) *Normae pecul.* c. I. n. 2.

(4) Id quod iam innuebatur in *Norm. pecul.* c. II. in., authentice fuit declaratum per S. C. Consist. 11. Feb. 1911. *Act. Ap. S.* III. p. 99. sq.

insuper S. C. Rituum etiam mutare valet leges liturgicas; S. C. de Prop. F. leges fert pro locis missionum.

349. B. **Potestas iudicialis.** — Generatim loquendo *omnis* potestas *iudicialis* reservatur S. Rotae et Signaturae Apost. Excipiuntur tamen:

1) causae *haeresis* vel aliquo modo ad *fidem* pertinentes; has tractat S. Officium;

2) causae *beatificationis* et *canonizationis*, quae *forma iudiciali* apud S. C. Rit. tractantur;

3) causae tum civiles tum criminales fidelium *Rituum Orientalium*, quae a S. C. de Prop. F. pro negotiis Rit. Orient. absolvuntur, nisi ex materia ad S. Officium pertineant;

4) causae iudiciales de *matrimonii inconsummatione* (cf. infra ubi de Congreg. Sacramentorum).

Praeter has exceptiones SS. Congregationes, vi Const. « *Sapienti consilio* », potestate iudicandi, tum in *prima instantia* tum in *appellatione*, privatae sunt, at ipsarum est *tractare negotia* aut *appellationes accipere in linea disciplinari* (1).

350. C. **Potestas disciplinaris et administrativa.**

I. Definitum non invenitur in Const. « *Sapienti consilio* » quid nomine *lineae disciplinaris* veniat; at sufficienter erui potest ex oppositione quae inter *lineam disciplinarem* et *ordinem iudiciarium* inculcatur, inter causas « *administrationis ac disciplinae tramite* » (2) agitandas, et causas *contentiosas* « *ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes* » (3). Hinc merito inferri potest distinctionem hanc non tam *naturam* negotiorum quam *modum* ea tractandi indicare; linea disciplinari tractabuntur: sive res, quae *ius strictum* non involventes, merum aliquod *interesse* concernunt (4), sive illae, in quibus quidem ius strictum involvitur, at quae *iudiciali*

(1) « Ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, in *linea disciplinari* ». Const. cit. I. 4.° 4.

(2) *Ordo servandus... Normae pecul.* c. III. n. 7.

(3) Const. cit. II. 2.°

(4) Oietti, *De. Rom. Cur.* p. 22.

modo non tractantur (1); hoc generatim fieri permittitur, si partes litigantes consentiunt, nisi quaedam exceptio per legem inducatur: sunt enim quaedam causae quae *regulariter* non nisi iudiciali modo dirimi possunt (v. g. causae de nullitate matrimonii, Ordinationis, professionis religiosae); insuper appellari de causa iam *iudiciali modo* tractata non licet nisi per appellationem *iudicialem*.

Inter causas quae ad S. Congregationes deferendae sunt, multae pertinebunt ad exercitium illius potestatis *administrativae* (de qua diximus in *Quaest. iur. eccl. priv.* p. 30), quae executionem legum urget, officia distribuit et in eorum rectam impletionem vigilat, efficaciter subditos ad observantiam legum impellit: ad hanc pertinent quoad magnam partem *provisiones* et *dispositiones* quas Episcopus sumit tum in *visitatione* dioecesis, tum extra illam, etiam quando *corrigit* clericos aut laicos levioresque forte *poenas* infligit, *extraiudicialiter* tamen et potius tamquam *pater* quam tamquam *iudex* agens. Ab ordinationibus et provisionibus huiusmodi generatim appellabitur ad SS. Congregationes, quamvis aliquando, propter ius strictum laesum, non excludatur via iudicialis. A *iudiciis* autem Episcopi ad S. Rotam, non ad SS. Congregationes, appellandum est.

II. Praeter illam iurisdictionem in causis particularibus ad se delatis, exercent SS. Congregationes alias partes potestatis *administrativae: urgent* legum ecclesiasticarum *executionem*, casus *dubios* solvunt, *dispensationes* et *gratias* concedunt, nomine R. Pontificis.

Inde fit, ut ex notitia acquisita circa negotia quae ad tales aut tales materias referuntur, aptiores fiant ad proponendum Pontifici *mutationes* in legibus introducendas: qua-

(1) Ita CAPPELLO, l. c. p. 48. sq. et merito; cf. WERNZ t. V. n. 83.: « quamvis de mutuo consensu partium possint Congregationes videre etiam causas iudiciales, quas tamen procedendi modo sibi proprio, idest administrativo modo, debent cognoscere ».

propter in *novis legibus* praeparandis, opera earum adhiberi solet (1).

351. **De modo hodierno procedendi SS. Congregationum** (2). — Nunc per *congressum*, nunc in *congregatione plena* (3) tractantur negotia. Congressus duplex habet munus: 1) negotia minora expendit et expedit; 2) praeparat ea quae ad plenam congregationem deferenda sunt, ut iudicio PP. Cardinalium absolvantur. In *Normis peculiaribus*, pro unaquaque Congregatione statuitur quae sint negotia *minora*, in *congressu* absolvenda, quae sint *maiora*, *plenae congregationi* reservata.

Quando negotium ad plenam congregationem deferendum erit, semper absque forma iudiciali absolvetur: « remota litis contestatione, exclusa auditione testium, nullisque scriptis patronorum receptis »; at partes audiendae erunt et excutienda documenta, ab eis producta, quae, si voluerint, typis edere possunt (4).

Officiale folium quaestionem compendiose exhibens, addito pro gravioribus negotiis voto unius aut alterius Consultoris, traditur PP. Cardinalibus decem saltem diebus antequam congregatio habeatur (5).

Responsione partibus notificata, pars onerata intra 10. dies petere potest *beneficium novae audientiae*, scl. ut res denuo a S. Congregatione examinetur. In congressu, (vel in plena congregatione, si simul cum responsione declara-

(1) Sic Decretum « *Ne temere* » de matrimonii forma, a S. C. Concilii praeparatum est; Decretum « *S. Trid. Synodus* » de frequenti communione, ab eadem; Decretum « *Quam singulari* » de puerorum prima communione, a S. C. de discipl. Sacram.

(2) Infra, n. 369., ubi de S. C. Concilii, aliquid dicetur de modo antiquo procedendi apud SS. Congregationes.

(3) *Congressus* constat Cardinali Praefecto, Secretario, Substituto vel Subsecretario (aut Subsecretariis); *plena Congregatio*, Cardinalibus S. Congregationis membris.

(4) *Norm. pecul.*, c. III. n. 7.

(5) Ibid. c. IV. n. 2. 3.

tum fuit: « Amplius non proponatur »), decernitur de admittenda aut reiicienda postulatione (1).

352. **De vi et valore decretorum et responsorum SS. Congregationum** (2). — Cum SS. Congregationes, pro potestate sibi tradita in ordine legislativo, administrativo aut etiam aliquando iudiciali, nunc *decreta* condant nunc *responsa* dent, omnino interest videre quaenam vis illis sit attribuenda.

Per *decreta* aliqua stabilis ordinatio constitui solet, v. g. nova lex conditur aut interpretatio authentica legis iam existentis datur, aut ordinatio quaedam executoria vel administrativa statuitur; per responsum, potius particularis quaedam quaestio, v. g. controversia inter duas partes, dirimitur, aut favor vel dispensatio conceditur.

Decreta sunt *generalia,* si ad omnes fideles diriguntur; *particularia* si partem tantum eorum attingunt, puta dioecesim, Ordinem religiosum; aliquando sunt *formaliter particularia* at *aequivalenter generalia*, quando scl. directa ad coetum particularem, aliquam tamen *regulam generalem* exprimere aut *dubium* aliquod *generale* solvere intendunt.

Iamvero si de valore *iuridico* et etiam *doctrinali* tum *responsorum,* tum *decretorum* SS. Congregationum inquiratur, incipiendo a minoribus, de quibus facilior est solutio, respondemus:

353. I. *Responsa particularia* eos ligant eosque *tantum* ad quos diriguntur: *auctoritative* eorum controversias dirimunt, ita ut ipsi sententiae prolatae obedire teneantur, quin aliis ulla obligatio nova imponatur (3); aut favorem vel dis-

(1) Ibid. n. 10. *Restitutio in integrum* contra sentent. alicuius S. Congreg. a Signatura Apost. decernitur. Cf. *Regulae servandae in iudiciis apud Suprem. Signat. Ap. Tribunal* 6. Mart. 1912. Act. Ap. S. t. IV. p. 187. sq.

(2) Quaestio haec eximie tractatur a P. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège.* Paris ² 1913. praes. in P. II. Cf. etiam WERNZ t. I. n. 92.

(3) Iuxta L. 2. Cod. VII. 56. « Res inter alios iudicatae neque emolumentum afferre his qui iudicio non interfuerunt, neque praeiudicium solent irrogare », quam legem ius canonicum suam fecit in cap. 25. de sentent. et re iudicata II. 27.: « Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios iudicata ».

pensationem particularem eis concedunt: at aliis fidelibus inde nullum ius conceditur illo favore utendi. Ex tali decisione nulla imponitur iudicibus inferioribus obligatio eodem modo in causis similibus iudicandi; nam tandem non habetur inde interpretatio quaedam necessaria et authentica legis, quae a solo legislatore datur (cf. supra n. 28.).

Hoc praesertim dicendum est, quando negotium apud aliquam S. Congregationem in *linea disciplinari* seu *administrativa* tractata fuit: quia tunc non solum omnes circumstantiae particulares et variabiles factorum perpenduntur, sed etiam potius secundum *aequitatem naturalem* quam *ad apices iuris* dirimi solent controversiae.

Possunt tamen inferiores iudices in suis sententiis his decisionibus sese accommodare, pro natura et adiunctis rite perpensis negotii tractandi. Immo ex repetitis SS. Congregationum decisionibus oriri potest *consuetudo* quaedam (*stylus Curiae*, ut dicitur), quae vim legis obtineat et inferiores liget (1)

354. II. — Idem dicendum est de *decretis particularibus*, quibus aliqua obligatio aut norma stabilis et constans alicui regioni, Ordini, imponeretur: habenda sunt tamquam leges particulares quae ligant eos quibus imponuntur eosque tantum (2).

355. III. — *Decreta generalia*, quae ad omnes fideles diriguntur, si legem novam, aut interpretationem extensivam legis existentis, aut ordinationem executoriam administrativamve continent, nunc certe publicari nequeunt sine approbatione R. Pontificis (3). Sed approbatio pontificia ali-

(1) Cf. supra de consuetud. n. 45.; WERNZ t. I. n. 146. II., n. 187. II. c.; CHOUPIN l. c. p. 101. not. 2.

(2) Exceptio quaedam statuenda videtur pro Decretis S. C. Rit. quae sunt *formaliter particularia, aequivalenter generalia*. Cf. n. 387. de S. C. Rit.

(3) Clare deducitur ex verbis Const. « *Sapienti consilio* »: « Sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint... ». *A fortiori* enim condi nequit decretum generale sine approbatione pontificia. Cf. OJETTI, *De Rom. Cur.* p. 13.: CAPPELLO, *De Cur. Rom.* t. I. p. 42. 332.

quando in *forma specifica,* aliquando in *forma communi* datur: cuius diversae approbationis valde diversus est effectus: nam in *forma specifica* approbata, decreta fiunt verae leges *pontificiae* et plena auctoritate R. Pontificis firmari possunt, in *forma communi* confirmata, manent *actus S. Congregationis* (1), quae nec gaudet nec gaudere potest praerogativa infallibilitatis sive indefectibilitatis, incommunicabili modo a Deo R. Pontifici concessa, ut ea utatur, pro sapientia sua, in condendis legibus universalibus.

1) Si decretum est *doctrinale* (tale vix nisi per S. Officium condetur), approbationeque *specifica* Pontificis confirmatum, saltem quando apparebit intentio eius loquendi *ex cathedra,* sententia doctrinalis in ipso expressa *irreformabilis* est et *infallibiliter* vera, cui debetur *assensus absolutus* (2); — accedente autem sola approbatione *communi*, manet certe actus S. Congregationis, cui nec irreformabilitas nec infallibilitas attribui potest; debetur tamen ipsi *assensus internus,* quia sententiam refert *moraliter certo* (lato sensu) *veram*, utpote quae lata est ab hominibus doctis, maturam post deliberationem, certe non sine aliqua divinae Providentiae assistentia: huic proinde assentire debet omnis fidelis, qui non habet aliunde certam aut valde probabilem rationem dissensus; non tamen ei debetur *assensus absolutus,* quasi omnis erroris possibilitas esset exclusa (3).

(1) Supra n. 26. cum not. 1. p. 29.

(2) Qui erit assensus *fidei divinae* (*immediate divinae*, pro more loquendi Theologorum), si doctrina praesentetur tamquam a Deo *revelata;* — assensus *fidei ecclesiasticae* (*mediate* tantum *divinae*), si doctrina non est revelata ne implicite quidem, at ob connexionem cum relatione, infallibili magisterio definiri potuit. Cf. Pesch, *Praelect. dogmat.* t. VIII. sect. 2. prop. 15.; Choupin l. c. p. 43. sq. Utrum omnis approbatio *in forma specifica* manifestet definitionem *ex cathedra,* a Choupin l. c. p. 77. in dubium revocatur, nec immerito, ut videtur.

(3) Cf. *Monitore ecclesiastico* 31. Ian. 1908. p. 512.; Choupin l. c. p. 82. sq. 93. Ipse Papa, etiam in Encyclicis ad omnem Ecclesiam directis, non loquitur semper *ex cathedra* (iuxta sententiam fere omnium Theologorum); ipsi tamen *docenti* debetur assensus internus, propter auctoritatem qua gaudet, tamquam supremus pastor Ecclesiae, etiamsi non intendat

2) Si decretum generale est *disciplinare*, continet aliquam legem universalem quae, accedente approbatione *specifica*, fit vere lex *pontificia;* iuxta doctrinam superius traditam (n. 302.) nihil continere potest contra fidem aut bonos mores, quamvis non necessario magis opportunum et utile dici debeat.

Quaestio satis delicata manet solvenda. *Potestne R. Pontifex decretum generale* S. Congregationis, quo novum ius constituitur, *sola approbatione communi confirmare?* Ratio dubitandi ea est: tale decretum est lex *universalis:* iamvero ex una parte diximus leges universales, ob assistentiam divinam, nil contra fidem aut bonos mores unquam continere posse; ex altera parte praerogativa *indefectibilitatis*, per quam haec assistentia exercetur, communicabilis non est.

Unde multo melius quadrat cum principiis supra expositis (n. 302.), sententia quae tenet huiusmodi decreta sine *speciali* approbatione condi *non posse* (moraliter, dico, scl. *non debere*) (1);

Si autem agitur de mera quadam interpretatione comprehensiva, nullum est dubium quin possit sub approbatione communi dari, aut etiam danda permitti S. Congregationi sine interventu R. Pontificis (2).

---

hanc auctoritatem supremo gradu exercere, Cf. CHOUPIN l. c. p. 15. sq. 53. sq. ubi solide hanc sententiam probat. Cf. etiam FRANZELIN, *De Traditione* p. 129. coroll. 3. Idem dicendum est, iuxta sent. in nota praec. relatam, si R. P. approbans *specialiter*, non intendit loqui *ex cathedra*.

(1) Iuxta id quod habet SUAREZ: « Leges canonicae, obligantes totam Ecclesiam, proficisci debent a potestate quae in rebus ad mores pertinentibus errare non potest; haec autem potestas cum pendeat a speciali directione Spiritus Sancti, Pontifici promissa, delegabilis non est, sicut nec potestas definiendi, ut ex propria materia suppono, et ideo nec potestas legislativa pro tota Ecclesia est illo modo deleganda, ne tota Ecclesia periculo alicuius erroris in re tam gravi exponatur ». (*De leg.* l. IV. c. 6. n. 22.). Cf. WERNZ t. I. n. 99. not. 54. et n. 146.

(2) Si tamen aliquis diceret: sed concessa fuit a Papa aliquibus SS. Congregationibus (nempe S. C. Rit. et S. C. de Prop. F.) potestas decreta condendi, nulla confirmatione accedente, ex generali potestate in anteces-

356. **Scholion. De modo recurrendi ad SS. Congregationes aut Tribunalia** (1). — Persona *privata* potest recurrere ad Officium, *per se* ipsam et *directe*, vel per intermedium, seu *procuratorem*, debitis conditionibus munitum (2); item si advocato utitur, is debet apud Officium accreditari (3). — Episcopus etiam *per se* et *immediate* recurrere valet, aut per *procuratorem* aut *advocatum*, sed potest habere *procuratorem* modo *stabili* constitutum ad omnia negotia suae dioecesis (4).

Dictum est supra (n. 350.) in quibusnam causis ad SS. Congregationes recurri possit, et (n. 347.) quomodo ipsae agant, si causa ex errore ad incompetens Officium delata fuerit.

---

sum concessa ; et ipse aliquando in forma *communi* approbavit decreta etiam *generalia*. — Respondetur : 1) de S. C. Prop. Fid. nulla difficultas, nam leges *universales* non condit ; 2) de S. Rit. C., ubi meras interpretationes *comprehensivas* publicat, nulla difficultas. — Si tamen re vera constaret interpretationes *extensivas*, aut *novas* omnino leges publicari sine approbatione *specifica*, ne doctrina tradita, quae videtur omnino certa et bene fundata deseratur, aut, quod nefas esset, dicatur R. Pontificem minus prudenter et recte agere, exponendo « totam Ecclesiam periculo alicuius erroris », maneret dicendum aliquam forte *exceptionem* pati nostram regulam, scilicet non repugnare R. Pontificem per se aut per aliquam S. Congregationem leges universales condere, quae tali praerogativa indefectibilitatis non tegantur, quando materia ipsa, de qua lex fertur, nullum periculum pro fide et moribus involvit. Quod forte innuere voluit BELLARMINUS, dicens: « Non solum in rebus fidei errare non potest Summus Pontifex, sed neque in praeceptis morum, quae toti Ecclesiae praescribuntur *et quae in rebus* **necessariis ad salutem,** *vel in iis quae* **per se bona** *vel* **mala** *sunt, versantur* » (*De R. Pontif.* l. IV. c. 5.).

(1) *Ordo servandus*. Normae communes c. IX. X. Cf. PRÜMMER, *Manuale iur. eccl.* t. I. append. II.

(2) « Catholicum, integra fama, et ad officium in quo agenda sit res, minime pertinentem ». (Normae comm. c. IX. n. 1.).

(3) Ibid. (c. X. n. 1. sq.).

(4) Ibid. (c. X. sect. II.; cf. c. IX. sect. II.)

II. — De SS. Congregationibus in specie

1. De S. Congregatione S. Officii

357. **De origine S. Officii.** — Paulus III. Const. « *Licet* » 21. iul. 1542. S. C. Romanae et Universalis Inquisitionis, seu Sanctum Officium, contra Protestantes instituit, quae habenda est ut Institutum ab Inquisitione Gregorii IX. aut Hispanica prorsus diversum (1). Sixtus V. Const. « *Immensa* » eam confirmavit, praeeminentia super alias Congregationes auxit eiusque praefecturam R. Pontifici reservavit. Inscribitur adhuc prima in Const. « *Sapienti consilio* » sub nomine Congr. S. Officii.

Huius finis fuit non solum haereticos compescere, sed etiam ea omnia deliberare et consulere quae necessaria vel opportuna viderentur ad fideles immunes conservandos ab haeresis contagio (2).

358. **De eius compositione.** — Praefecturam S. Officii retinet etiam nunc Papa. Unus ex antiquioribus Cardinalibus ab ipso designatus est *Secretarius*. Alii Cardinales, S. Theologiae, iuris canonici et ecclesiasticarum rerum tractandarum periti, membra sunt S. Officii.

Inter Officiales primum locum nunc obtinet *Assessor*, qui solet esse Praelatus aliquis saecularis; is conventui Consultorum praeest eorumque acta tum Cardinalibus tum Pontifici refert; expedit etiam ordinaria negotia.

Commissarius, qui olim erat primus post Cardin. Secretarium, a *Vice-Commissario* et duobus *Sociis* adiutus, in processibus conficiendis occupatur: hi quatuor ex ordine Praedicatorum assumuntur. — Assessor et Commissarius sunt Officiales maiores.

(1) De qua cf. *Quaest. iur. publ. eccl.* p. 170.; CHOUPIN, *Valeur des déc... du S. Siège* P. VII.; VERMEERSCH, *La Tolérance* p. 136. sq.

(2) LEGA, *Prael. de iud. eccl.* t. IV. n. 528.

Advocatus fiscalis legum observantiam propugnat, instructionesque conficit ad dirigendas curias episcopales in actibus processuum exarandis.

Habentur insuper: *Advocatus reorum* et *Notarius* cum aliquibus adiutoribus.

Consultores ex utroque clero assumuntur: ex his tres sunt *Consultores nati:* Magister generalis Ord. Praedicatorum, Magister S. Palatii (et ipse ex O. P.) et unus ex Ordine PP. Minorum Conventualium.

Qualificatores seu *censores,* a Consultoribus distincti, habent pro munere praecipuo propositiones, S. Officii examini subiectas, *qualificare*, i. e. ipsis notam theologicam imponere.

359. **De competentia S. Officii.** — Modo generali dici potest: ipsi subiecti sunt *omnes fideles* totius orbis (exceptis solis Cardinalibus) — in *omnibus causis fidem* vel *mores* concernentibus aut cum his connexis. — Insuper negotia de *Indulgentiis* ipsi committuntur.

I. Quoad *personas* enim extendit suam potestatem etiam in eos qui communiter soli S. C. de Prop. F. subiiciuntur, nec tantum quoad obligationem admittendi decisiones *doctrinales,* sed quoad potestatem *iudicialem* et *coercitivam.*

II. Relate ad *obiecta,* competens est in omnes causas doctrinae catholicae circa fidem et mores, sive *doctrinaliter* decidendas sive *per iudicium* dirimendas:

a) et *doctrinaliter* quidem iudicat de *conformitate* alicuius propositionis, doctrinae, libri cum *fide* vel etiam cum *lege naturali,* aut de *periculo* quod forte *contra fidem* rectam inducunt; saepe etiam dat *responsa doctrinalia* tum de materia et forma Sacramentorum, tum de aliis materiis quae fidem et mores respiciunt;

b) *per iudicium* exercet suam potestatem in *omnia delicta* contra *fidem* et *mores,* sive sint *materialia* tantum (ob ignorantiam et bonam fidem), sive etiam *formalia* (quando scienter et cum contumacia committuntur), non tantum si *explicite* sed etiam quando *implicite* fidem et mores attingunt. In specie ad S. Officii competentiam pertinent: haeresis,

schisma, apostasia a fide, superstitiones omnes, propugnatio sententiarum, quae *nota* quadam seu *censura* theologica affectae sunt, aliqui Sacramentorum abusus qui suspicionem haeresis inducunt (1).

De his omnibus delictis S. Officium videt non tantum in casu *appellationis*, sed etiam in *prima instantia*; non solum *post* praeviam *accusationem* aut *petitionem*, sed *inquisitionem* instituendo, praeeunte fama delicti.

Immo, ad differentiam aliarum SS. Congregationum, habet veram potestatem *coercitivam* in tales delinquentes (2).

c) Insuper S. Officium est competens quoad varia negotia *practica*, quae cum *causis fidei* et *morum connexa* sunt ob *fidei periculum*, cuiusmodi sunt *dispensationes* de impedimentis *mixtae religionis* et *disparitatis cultus*, et quaestiones circa *privilegium Paulinum* (3).

III. Ex Const. « *Sapienti consilio* », negotia de *Indulgentiis* remittuntur S. Officio, sive agatur de novis Indulgentiis concedendis, sive de determinandis conditionibus ad Indulgentias lucrandas. Ad haec adiungitur *Substitutus* pro Indulgentiis, qui pro negotiis huiusmodi simul cum Cardinali Secretario, Assessore et Commissario congressum constituit (4).

(1) V. g. si apostatae ab Ordine Sacro, ab Ordine religioso, praes. post vota solemnia, matrimonium attentaverint; si sacerdos in confessione sollicitaverit.

(2) LEGA, *Praelect. de iud. eccl.* t. II. n. 23.; CHOUPIN l. c. p. 59.

(3) Immo circa istud *privilegium*, competentia S. Officii est *exclusiva*, dum pro *dispens.* de *imped.* supradictis, fidelibus Rituum Orientalium concedendis, competens est S. C. de Prop. F. pro Rit. Orient., (at probabiliter *etiam* S. Officium manet competens, iuxta FERRERES, *De Cur. Rom.* n. 157).

Quaestiones circa talia matrimonia, pro fidelibus Ritus Latini, *deferendae* sunt S. Officio, quod *poterit* aliis S. Sedis Officiis eas deferre. Immo plures putant causas illas, si sint iudicialiter tractandae, deferri *debere*, non tantum *posse* a S. Officio S. Rotae Rom., quae in eas competens manet: Sic BESSON in *Nouv. Rev. Théol.* 1910. p. 357.; DE SMET, *De sponsal. et matrim.* n. 341. 1°.

(4) Normae pecul. c. VII. art. I. n. 8. sq.

360. **De modo procedendi S. Officii.** — I. Normae procedendi variae sunt pro variis negotiis et partim sunt secretae.

II. Notatu dignum est *secretum* severissimum, membris et Officialibus S. Officii impositum, circa ea quae in processu actorum cognoverunt; ita strictum est ut ipsum violantes excommunicationem *ipso facto* incurrant, *specialissimo* modo R. Pontifici reservatam, a qua *solus Papa,* ad exclusionem etiam Poenitentiarii Maioris, praeterquam in articulo mortis, absolvit (1).

Quod secretum nunc ad administros *S. C. Consistorialis* extensum est; iam olim ligabat administros, Consultores et Cardinales S. C. Indicis (2).

III. Praeter *congressum,* quolibet sabbato habitum, ad quem conveniunt Adsessor, Commissarius cum primo Socio et Advocatus fiscalis, habetur *feria II.ª* , singulis hebdomadis, *congressus* seu *congregatio Consultorum* in Palatio S. Officii, praesidente Assessore. Ibi discutiunt et decidunt materias quae postea Congregationi Cardinalium subiiciendae erunt: votum ipsorum est mere consultativum.

Feria IV.ª habetur *congregatio Cardinalium* in eodem Palatio, absque praesentia Consultorum (3). Adsessor stans res exponit, et Consultorum votum refert. Cardinales, quibus in antecessum omnes quaestiones tractandae communicatae sunt, deliberant, et ad pluralitatem suffragiorum definiunt negotia.

Feria V.ª Assessor, in audientia Sñi Pontificis, res actas compendiose refert. R. Pontifex aliquando *immutat*, *suspendit* aut etiam *reiicit* proposita, at generatim simpliciter ea approbat *in forma communi.* — Olim feria V.ª ha-

(1) Choupin l. c. p. 65.

(2) Cf. infra n. 382. Const. « *Sap. cons.* » I. 7.° 2.; Norm. pec. c. VII. art. II. n. 4., art. VII. n. 2.

(3) Olim habebatur in conventu S. Mariae supra Minervam. Consultores adesse debebant, exspectantes in aula exteriori, donec vocarentur in congregationem ut votum suum exprimerent.

bebatur Congregatio Cardinalium coram Papa: haec nunc raro fit, nec nisi pro negotiis magni momenti.

N. B. — De *valore decretorum* S. Officii dictum est supra n. 355.

2. De S. C. Consistoriali

361. De **eius origine.** — Instituta est per Sixtum V. sub nomine « *Congregationis pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus* », cum scopo nempe ea negotia praeparandi quae in Consistorio tractanda erant, praesertim erectionem, circumscriptionem dioeceseon, promotiones ad episcopatus et ad alia beneficia in Consistorio conferenda. Ratio eam instituendi ea fuit: ne scilicet in ipso Consistorio procederetur in forma *contentiosa,* ob difficultates aut oppositiones forte motas circa huiusmodi negotia, at contra in forma *gratiosa* et *politica*, dignitati talis congressus magis congrua.

362. De **eius compositione.** — R. Pontifex ipse est *Praefectus*, *Secretarii* munus habet unus ex Cardinalibus ab ipso designatus. Inter Cardinales, qui sunt membra huius S. Cong., semper numerabuntur Cardin. *Secretarius S. Off.* et *Secretarius a Statu* (1). Munere *Assessoris* fungitur aliquis Praelatus, qui simul est *Secretarius S. Collegii Cardinalium* (2). Hic et eius *Substitutus* sunt administri *maiores.*

Adduntur administri *minores* et praeterea *Consultores,* inter quos semper numerantur *Assessor S. Officii* et *Secretarius S. Cong. pro negotiis extraordinariis* (3).

363. De **competentia S. C. Consistorialis.** — Nova Constitutio eius attributiones multum extendit.

I. Multa, quae olim *praeparabat*, in Consistorio absolvenda, nunc totaliter *tractat* et *absolvit.* Ad ipsam pertinet

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 2.° n. 5.

(2) *Ex usu* iam solebat Praelatus Secretarius (nunc Assessor) S. C. Consistorialis esse *simul* Secretarius S. Collegii, at quotannis a Cardinalibus confirmabatur; nunc *ex officio* hoc munere fungitur.

(3) Const. « *Sap. cons.* » l. c. n. 7.

constitutio novarum dioeceseon et divisio iam existentium, erectio Capitulorum tum cathedralium tum collegiatorum, electio Episcoporum, Administratorum apostolicorum, Adiutorum et Auxiliarium Episcoporum, cum omnibus canonicis inquisitionibus et examinibus circa eos faciendis (1).

II. *Nova munera,* hactenus *S. C. Episcoporum et Regularium* attributa, ad S. C. Consist. translata sunt, nempe: 1) vigilantia super obligationibus Episcoporum; — 2) cognitio relationum Episcoporum de statu suae dioecesis (necnon Visitatorum apostolicorum nominatio relationumque cognitio); — 3) « omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent ».

III. « Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, *dubia solvere* circa *competentiam SS. Congregationum* », excepto tamen S. Officio, quod dubia circa propriam competentiam orta solvere potest (2).

In normis peculiaribus determinantur ea quae ad congressum, ea quae ad plenam Congregationem pertinent.

3. S. C. de disciplina Sacramentorum

364. **De eius origine et constitutione.** — Haec Congregatio, tota quanta, nova est, etiam quoad nomen. Ipsi praeest Cardinalis aliquis *Praefectus*, qui adiuvatur a *Secretario* et tribus *Subsecretariis,* quorum duo priores circa negotia *matrimonialia* occupantur, unus circa petitiones *dispensationum* ab *impedimentis*, alter circa *alia negotia* quae *matrimonium* concernunt, tertius negotia curat, quae ad *alia Sacramenta* pertinent (3). Hi omnes sunt administri *maiores,* qui cum Cardinali Praefecto *congressum* constituunt.

365. **De eius competentia.** — I. Ad hanc S. Congreg.

(1) Const. cit. l. c. n. 2. Si haec negotia pertinent ad regiones extra Italiam, recurrit ad Secretariam Status, saltem si hae regiones relationes diplomaticas cum S. Sede fovent. Cf. Oietti, *De R. Curia* n. 44.

(2) Const. cit. l. c. n. 3. 4. Norm. pec. c. VII. art. 1. n. 6.

(3) Norm. pec. c. VII. art. 3. n. 4. 5. 6.

pertinet generatim « universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congr. S. Officii, secundum ea quae superius statuta sunt [nempe quoad disparitatem cultus, mixtam religionem, privilegium Paulinum] et SS. Rituum Congregationis circa caerimonias, quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent » (1).

II. In specie, ad eam pertinet: 1) *solvere dubia iuris* circa disciplinam Sacramentorum, ubi tamen *quaestio dogmatica* non intervenit, v. g. dubia circa *leges ecclesiasticas,* quae *directe* Sacramenta (non *ritus* circa ipsa adhibendos) attingunt (2).

2) *urgere executionem legum* de Sacramentis, et quatenus transgressiones circa ea *in linea disciplinari* ad eam deferuntur, de eis iudicium dare et punire (non tamen his mediis externae coactionis, v. g. per poenam carceris etc., quae media soli S. Officio inter Congregationes competunt (3). Ceterum si *forma iudicialis* adhiberi debet, ad S. Rotam negotium est remittendum (4);

4) *dispensationes* ab *impedimentis* matrimonialibus, *sanationes in radice* et *legitimationes* concedere; relate ad Sñam

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 3.° n. 1. Cf. Besson, in *Nouv. Rev. Théol.* 1909. p. 10.

(2) Sic varia protulit decreta ad interpretandum decretum « *Ne temere* »: 18. Iun. 1909. de matrim. mixtis in Germania et Hungaria; 14. Maii et 16. Aug. 1910. de potestate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus in articulo mortis.

(3) Cf. supra n. 359. II. b.

(4) Const. cit. I. 3.° n. 4. Occasione verborum quae in Const. « *Sap. cons.* » I. 3. °3. habentur: « Quaestiones quoque de *validitate* matrimonii vel S. Ordinationis . . . eadem Congregatio *dirimit* », controversia inter auctores orta est utrum S. C. de Sacram. aliquam potestatem *iudicialem* habeat. Tenent enim plures huiusmodi quaestiones formam iudicialem exigere (cf. Wernz t. IV. n. 698.; Oietti, *De R. Cur.* n. 50. sq., qui ceterum negat S. C. de Sacram. posse tales causas iudicare nisi modo *extraordinario*). Alii putant huiusmodi quidem causas *semper* esse dirimendas *iure rigoroso*, nec unquam *ex aequo et bono*, at non necessario *in forma iudiciali*. Sic Monin, *De Cur. Rom.* p. 248. sq. qui solide hanc sententiam statuit. Cf. etiam Cappello, *De Cur. Rom.* t. I. p. 180. Et videtur haec sententia praxi ipsius S. Congr. magis conformis, quae has causas ipsa saepe tractat.

Eucharistiam plures facultates dare, v. g. quoad celebrationem Missae, asservationem Smi Sacramenti, exemptionem a ieiunio eucharistico (etiam si petentes sint Religiosi); Indulta concedere sacerdotibus caecis aut caecutientibus, immo « senio confectis vel alio morbo laborantibus », legendi Missas votivas, etiam alias ac de Beata et defunctorum ([1]).

Notatu digna est distinctio a nova Constit. inducta inter dispensationes matrimoniales *minoris* et *maioris* gradus.

Minoris gradus sunt praesertim in impedimentis: consanguinitatis et affinitatis in 3.° et 4.° gradu lineae collateralis; — affinitatis in 1.° et 2.° gradu ex illicito commercio; — cognationis spiritualis; — publicae honestatis.

Maioris gradus, concedi tamen solitae, sunt dispensationes ab impedimentis: consanguinitatis in 2.° gradu lineae collateralis; — affinitatis in 1.° et 2.° gradu lineae collateralis; — criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

Valebunt dispensationes *minoris* gradu, perinde ac si *ex motu proprio et certa scientia* impertitae essent: unde semper sunt *validae*, etsi forte *subreptio* aut *obreptio* locum habuerit ([2]). E contra dispensationes *maioris* gradus requirunt *causam* canonicam *veram* et *sufficientem*, et *invalidae* sunt, ex *obreptione* aut *subreptione*, modo quo pro rescriptis statutum est. (Cf. supra n. 314.)

Dispensationes *minoris* gradus dare potest Subsecretarius dispensationum, aut eius adiutor; maioris gradus Card. Praefectus aut Secretarius; in casibus dubiis decernit congregatio plenaria et, si casus ferat, ipse Papa.

N. B. — I. Nunc S. C. de Sacramentis est *exclusive* competens in concedendis dispensationibus matrimonialibus *in foro externo* ([3]), sublata omnino potestate olim Datariae Apost. aut Poenitentiariae attributa; Poenitentiaria manet competens pro dispensationibus solius *fori interni*. Quae vero a S. Congr. dantur pro utroque foro valent.

([1]) Ex responso S. C. Consist. 16 Aug. 1910 *Act. Ap. S.* t. II. p. 649.
([2]) Norm. pec. C. VII. art. 3. n. 19. sq.
([3]) Praeter eas quae S. Officio reservantur (supra n. 359).

II. De *forma* sub qua expediuntur gratiae, dispensationes, etc., a S. C. de Sacr., videndae sunt Normae pecul. C. VII. art. 3. n. 13. sq. Cf. FERRERES l. c. n. 420. sq.

III. Formulas ad petendas gratias etc., ab hac S. Congr. apud CAPPELLO l. c. t. I. p. 182. sq., OIETTI *Synop.* t. IV. init. invenire est.

4. S. C. Concilii

366. **De eius institutione.** — Pius IV., postquam prohibuerat (1) omnes declarationes vel commentaria circa decreta Concilii Tridentini *privata auctoritate* fieri, ea S. Sedi exclusive reservans, paulo post, Constitutione « *Alias nos* » 2. Aug. 1564. instituit « *Congregationem super executione et observantia S. Concilii Tridentini* » ad urgendam executionem decretorum disciplinarium eiusdem Concilii, simul tamen statuens *dubia* circa talem executionem orta ad S. Sedem esse referenda. Paulatim vero sive ex praxi, sive per concessionem Rom. Pontificum, potestas *interpretandi* decreta huic Congregationi attributa est, quod ius proinde potius *confirmavit*, quam proprie *impertivit* Sixtus V. per Const. « *Immensa* ».

Nunc autem, nomine retento, S. C. Concilii nova Congregatio dici haud immerito potest, cum certum sit tum munus *exclusivum interpretandi* decreta Tridentina ipsi amplius non competere (2), tum *potestatem* circa *multa decreta* Tridentina ad alias Congregationes iure proprio et exclusivo pertinere.

367. **De eius compositione.** — Cardinalis *Praefectus* a *Secretario* (3) et *Subsecretario* adiuvatur, qui sunt administri *maiores*. — *Consultores*, « quorum aliqui probati sint tem-

(1) Per Const. « *Benedictus Deus* » 26. Ian. 1563. (1564).

(2) Cf. supra n. 348.

(3) Munus Secretarii S. C. Concilii, quod semper pro officio magni momenti habitum est, a pluribus viris scientia et peritia conspicuis exercitum est, inter quos eminuerunt Fagnanus, Card. Petra, maxime vero Lambertini, qui postea fuit Benedictus XIV.

poralium etiam gerendarum rerum peritia » (Norm. pecul. C. VII. art. 4. n. 2.), a R. Pontifice renuntiantur.

368. **De competentia S. C. Concilii.** — *Ante novam Constitutionem,* haec S. Congr. exercebat potestatem:

a) partim *exclusivam,* tum pro interpretandis decretis disciplinaribus Concilii Tridentini, tum pro recognoscendis decretis Conciliorum provincialium et recipiendis relationibus Episcoporum eorumque postulatis in visitatione ad limina (1). — Practice insuper dirimebat omnes *causas* circa *matrimonia,* etiam *in forma iudiciaria;*

b) partim *cumulativam,* praesertim cum S. C. Episc. et Regul., fere quoad omnia negotia ecclesiastica quae tum Episcopos, tum clericos, tum etiam Religiosos concernebant.

Actualis competentia quoad *extensionem* multum reducta fuit (2); at suppressa S. C. Episc. et Reg. (vel potius sub nova forma S Congregationis de Religiosis, restricta eius competentia ad negotia Religiosorum aut ipsis assimilatorum), negotia multa quae ad istam deferebantur, unde dicebatur « occupatissima omnium », a S. Congregatione Concilii nunc erunt tractanda.

Sic definitur huius competentia in Const. « *Sap. cons.* » (I. 4.° 1.): « Huic S. Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur ».

Unde 1) *urget executionem* omnium fere legum ecclesiasticarum, quae ad iura et obligationes, immunitatem, vitam et honestatem clericorum pertinent; — aut ad res ecclesiasticas: bona ecclesiastica, opera pia, compositiones

(1) Quod duplex munus per duas Congreg. speciales, S. C. Concilii adiunctas, implebatur. Manet competens S. C. C. circa « ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur » (Const. cit. I. 4.° 3.); at haec negotia ipsa directe tractat. Relationes Episcoporum ad S. C. Consist. deferuntur (supra n. 363.).

(2) Tum propter creationem S. C. de Sacramentis, tum propter suppressionem potestatis cumulativae.

concedendas pro bonis ecclesiasticis direptis (1); — et pro populo christiano, quae ad ieiunium, abstinentiam, observantiam festorum pertinent.

2) *dubia solvit* de legibus ecclesiasticis circa has materias (2): in *congressu*, si de facilioribus agitur, secus in *plena congregatione*;

3) *dat dispensationes* in his legibus, v. g. condonationes pro Missis (3), dispensationes tum ab irregularitatibus *ex delicto*, ab his incursis, qui iam sunt *sacerdotes* (4), tum *eosdem* a titulo S. Ordinationis (5).

N. B. — De *S. C. Lauretana* sic habet Const. « *Sap. cons.* » (I. 4.° 5.): « Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur ».

369. **Scholion.** Iuvabit hic breviter referre modum, quo S. C. Concilii procedere solebat in causis et negotiis tractandis, qui modus fere adhibebatur a S. C. Episc. et Reg. Cf. LEGA, *Prael. de iud. eccl.* t. II. n. 163. sq.; BOUIX, *De Cur. Rom.* p. 175. sq.; WERNZ t. II. n. 661. 662.

Causa semel introducta in secretaria Congregationis, Praefectus cum Secretario, Subsecretario et Auditore (6), in congressu hebdomadario examinabat utrum *reiicienda* esset per responsum

(1) Etiam si agatur de bonis Religiosorum. Cf. infra n. 370.

(2) In specie, iudicat « de controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum, seu *praecedentiam*, exceptis iis quae Sodales religiosos attinent (quae controversiae Congregationi religiosorum Sodalium sunt servatae), iisque pariter demptis quae Cappellam, Aulam pontificiam et PP. Cardinales spectant, ad Caeremonialem deferendae » (Norm. pecul, C. VII. art. 4. n. 5.).

(3) Quas olim *etiam* Rever. Fabrica S. Petri poterat concedere, nunc autem sola S. C. Conc.

(4) S. C. Consist. 27. Feb. 1909., 28. Nov. 1911.

(5) Ipsa dispensat a iuramento emisso ab alumnis quorumdam collegiorum olim S. C. de Pr. F. subiectorum, de remanendo in dioecesi ad quam ordinati erant. (S. C. Consist. 7. Ian. 1909).

(6) *Auditor* iste, vel ipse *Secretarius*, praesidebat « *Studio* », i. e. illi consessui iuvenum clericorum, iam laurea aut licentia in iure canonico insignitorum, qui ad praxim tractandorum negotiorum, institui cupiebant. Cui « *Studio* » antiquo substituitur nunc aliquod simile « *Studium* » apud singulos Auditores Rotae constitutum et etiam apud Defensorem vinculi in S. Rota.

« *Lectum* » aut « *non expedire* », an *tractanda,* et tunc utrum *immediate* tractari posset an ad *plenam congregationem* deferenda esset.

Si causa « *de stylo* » erat, i. e. usitata et facilis, Cardinalis aut ipse Secretarius, pro facultatibus sibi datis, eam decidebat; si facultate ampliori indigebat, eam R. Pontifici in solita audientia deferebat et tunc rescriptum prodibat cum verbis: « *Ex audientia Sñi* » vel « *Facto verbo cum Sño* ».

Si vero negotium difficilius iudicabatur et dignum quod in Congregatione generali discuteretur, decernebatur in congressu qua forma proponeretur: *a*) *per summaria precum; — b*) *in folio,* et in hoc altero casu vel 1) *oeconomice;* vel 2) *ordine iuris servato.*

Per summaria precum proponebantur negotia paulo difficiliora, quae tamen per brevem expositionem et discussionem satis enucleata iudicabantur. Brevis negotii expositio fiebat, sedulo propositis omnibus *iuris* et *facti momentis* (i. e. tum circumstantiis, tum argumentis, etc.). Cardinales respondebant: « *Affirmative* », aut « *Negative* », aut, si rem magis enucleandam iudicabant, « *Reponatur in folio* ».

In folio proponebantur negotia difficiliora et causae contentiosae: typis mandabantur et Cardinalibus distribuebantur *documenta* causae, cum *voto* unius aut plurium Consultorum, et *responsionibus S. C. Conc.* in similibus casibus.

Pro re *contentiosa* vel procedebatur **iuris ordine servato**: scilicet servabantur omnes formae processus iudicialis, adhibitis procuratoribus, advocatis; vel, si partes rem celerius et minoribus expensis expediri volebant, **oeconomice**: tunc *Secretarius* vel *Auditor* rem tractandam *ex officio* suscipiebat, totius causae expositionem conficiebat, remotis quidem advocatis, at requisito, ubi opus erat, voto Consultorum, Defensoris matrimonii etc.

Cardinales, habita deliberatione, ad dubia proposita respondebant: « *Affirmative* » aut « *Negative* »; si vero elementa ad decidendum deficerent aut prudentius iudicaretur non respondere, negotium remittebatur per formulas « *Lectum* », « *Non expedire* » aut « *Reponatur* ». scl. reproponatur, cum sufficientibus documentis.

5. S. C. negotiis Religiosorum sodalium praeposita

370. **De eius origine et constitutione.** — Sixtus V., per Const. « Immensa », confirmavit *S. C. pro consultationibus Regularium*, a se paulo ante institutam. Ante a 1601. haec Congregatio coniuncta est cum *S. C. pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum*, quae a. Gregorio XIII. creata, ut videtur, ab eodem Sixto V. confirmata et melius ordinata fuit. Hinc nata erat Congregatio vulgo dicta *Episcoporum et Regularium*, cuius competentia ad universa officia Episcoporum et aliorum Praelatorum et ad quaelibet negotia Religiosorum cum Episcopis aut inter se extendebatur (1).

Sub actuali forma haec Congregatio sola negotia *Religiosorum* (aut eorum qui ipsis aliquo modo assimilantur) tractanda habet.

Ipsi praeest Cardinalis *Praefectus*, cui adest *Secretarius* et *Subsecretarius*. Inter *minores* officiales munera ita dividuntur ut unus negotia curet *Ordinum religiosorum stricte talium*, alter negotia *Congregationum* et quorumvis *Institutorum virorum*, tertius negotia *Congreg.* et *Instit. mulierum*.

371. **De eius competentia.** — I. Competentia huius S. C., ratione *personarum*, extenditur: « ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et in eos qui sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum itemque ad Tertios Ordines saeculares » (2).

(1) Huic S. Congregationi successive, pro opportunitate, adiectae sunt peculiares Congregationes: Congr. super statu Regularium, ab Innoc. X. a. 1652. creata, ab Innoc. XII. a. 1698. suppressa, demum a Pio IX. a. 1847. instaurata; — Congr. super disciplina regulari a. 1695. ab eodem Innoc. XII. creata. — Iam 26. Mai. 1906. Pius X. utramque suppresserat, facultatibus earum ad ipsam S. C. Episc. et Reg. delatis.

(2) Const. « *Sap. cons.* » I. 5.° 1. Cf. de *Tertiis Ordinibus* et *Confraternitatibus* appendicem post Partem Tertiam. Ratio cur *Tertiarii*, qui in saeculo vivunt, ab hac S. Congr. pendeant, non *ex vita communi*, ut patet,

Subtrahuntur huic Congregationi: 1) *piae sodalitates* et *confraternitates,* quae, etiamsi erectae sint a Religiosis ab ipsisque dependeant, ad S. C. Concilii pertinent (1);

2) *Congregationes religiosae Rituum Orientalium,* in quas est competens S. C. de Pr. F. pro negotiis Rit. Orient.;

3) *Societates missionariorum,* quae ad loca missionum *exclusive* sunt destinatae: hae, etiam quoad domos extra missiones existentes, subiiciuntur S. C. de Prop. F. (2).

II. Ratione *negotiorum*, S. C. de Religiosis competens est circa *vitam religiosam* in toto suo ambitu.

In specie ad ipsam pertinet: approbatio Institutorum, Constitutionum approbatio et interpretatio; — dispensationes tum in legibus propriis Instituti tum in legibus ecclesiasticis (3); — dispensationes a votis.

Dirimit controversias Institutorum sive cum Episcopis sive inter se; et causas circa bona Religiosorum eorumve administrationem (4).

Has tamen quaestiones non dirimit S. Congregatio nisi *in linea disciplinari;* si qua causa exigit *processum iudicialem* (v. g. causa de nullitate professionis), vel si partes exigere

---

derivanda est, cum eam non habeant, sed praesertim ex *relatione* quam habent ad aliquem *Ordinem stricte talem*, per quam unionem profitentur aliquo modo tendentiam ad perfectionem sectandam quoad totum vitae suae agendi modum, *non* quidem *consilia evangelica* sectando, sed *exactam* et *perfectiorem praeceptorum observationem* sibi proponendo. Qui autem *Confraternitati* aut *piae Sodalitati* aggregantur, potius *aliqua pietatis* aut *caritatis* opera sibi proponunt. Cf. VERMEERSCH, *De relig. Instit. et pers.* t. I. n. 536. 545.; PRÜMMER, *Manuale iur. eccl.* t. II. supplem. I. q. 2.

(1) Resp. S. C. Consist. 9. Dec. 1909. Act. Ap. S. t. I. p. 814.

(2) S. C. Consist. 9. Dec. 1909. et 15. Mart. 1910. Cf. VERMEERSCH, *Periodica* t. V. p. 88. sq. 122. sq.

(3) Nisi agatur de ieiunio eucharistico, de quo exclusive competens est S. C. de Sacramentis. (Norm. pec. c. VII. art. 3. n. 10. l.).

(4) *Compositio* pro his qui bona Religiosorum occupaverunt aut actualiter detinent, declarata est reservari S. C. Concilii. S. C. Consist. 8. 9. Iul. 1909., 14. Mart. 1910. *Acta. Ap. S.* t. I. p. 576., t. II. p. 229.

possunt et exigunt litem iudicialiter tractari, res ad S. Rotam est remittenda (1),

6. S. C. de Propaganda Fide

A) De ipsa S. C. de Propaganda Fide

372. **De eius origine.** — Iam Gregorius XIII. aliquam *Commissionem* trium Cardinalium *pro negotiis Catholicorum ritus graeci* et *schismaticorum conversione*, instituerat, quam Clemens VIII. confirmavit, aucto Cardinalium numero. Gregorius XV., Constit. « *Inscrutabili* » 22. Iun. 1622., *S. Congr. de Propaganda Fide* creavit, cui supremam concredidit directionem circa negotium propagandae fidei inter haereticos et infideles et curam fidelium Rituum Orientalium.

Pius IX. per Const. « *Romani Pontifices* » 6. Ian. 1862. specialem Congreg. pro omnibus Orientalium ecclesiarum negotiis tractandis ac dirigendis instituit, facta ei potestate etiam in *mixta* negotia, i. e. quae simul Latinos, rerum aut personarum ratione, attingerent.

Competentia huius S. Congr. extendebatur: 1) ratione *territorii* ad omnes regiones *Missionum*, in quibus scl. hierarchia ecclesiastica aut nondum constituta erat aut modo adhuc aliquatenus imperfecto, sic v. g. in Anglia, Hibernia, Scotia, Statibus Foederatis Americae Septentrionalis;

2) ratione *personarum*, ad omnes qui in praedictis regionibus existebant: fideles, missionarios, Praefectos et Vicarios Apostolicos, Episcopos, qui ipsi in omnibus negotiis subiiciebantur, praeterquam in his quae ad *forum* mere *internum* pertinebant, quae directe cum S. Poenitentiaria tractari poterant (2).

(1) Oietti, *De R. Curia* n. 68.

(2) Quae dispositio ceterum his regionibus favorabilis et valde grata existebat: facilior enim erat negotiorum expeditio, quae *omnia* per S. C. de Prop. F. tractabantur, et *omnino gratis*.

Solebat tamen S. C. de Prop. Fide: 1) remittere ad *S. Officium* negotia quae *ad fidem directe* pertinebant (de cetero competens non erat per se ad *responsa doctrinalia* danda); 2) *a S. Poenitentiaria* remedia vel solutiones exposcere pro quaestionibus *iuridicis* aut *moralibus* ad se delatis, praesertim quoad *obligationem in conscientia.*

373. **De eius compositione.** — Habetur Cardinalis *Praefectus,* cum *Secretario* et *Subsecretario,* administris minoribus, *Consultoribus,* inter quos est Secretarius Congr. pro Ritibus Orientalibus. — Suppressum est munus Cardinalis *Praefecti oeconomiae,* qui patrimonium S. C. de Pr. F. gerebat, quod ceterum partim spoliatum est a gubernio italico, additis legibus quibus prohibetur acceptatio novorum donorum aut legatorum sine approbatione gubernativa [1].

374. **De competentia huius S. Congr.** — Non parum fuit restricta per Const. « *Sap. cons.* » competentia qua olim gaudebat S. C. de Prop. Fide. Actualis eius competentia sic exprimi potest:

1) ratione *territorii,* reductis ad ius commune in Europa, Anglia, Scotia, Hibernia, Hollandia et dioecesi Luxemburgensi; in America, Dominio Canadensi, Terra Nova et Statibus Foederatis, ad ipsam pertinere pergent: *a*) regiones quaedam, v. g. Iaponia quae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt; *b*) omnes Vicariatus Apostolici, Praefecturae et missiones, sive quae iam ad ipsam, sive quae olim ad S. C. a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis pertinebant [2];

2) ratione *personarum;* ipsi amplius subiecti non sunt religiosi nisi quatenus sunt missionarii et quoad obligationes et negotia quae ut tales habent; « quidquid vero religiosos qua tales sive ut singulos sive simul sumptos attingit, ad

[1] Cf. FERRERES, *La Cur. Rom.* n. 578. Vide infra n. 375.

[2] Cuiusmodi sunt plures Vicar. aut Praefect. in Rebuspublicis Amer. Merid.: Cilena, Aequatoriana, Boliviana, Columbiana. Ipsa America Merid. a S. C. e Negot. eccl. extr. pendebat (cf. LEGA, *Prael. de iud. eccl.* t. II. n. 220.), nunc ad ius commune reducta est. Idem dic de Russia. (Cf. CAPPELLO l. c. p. 234.; SIMIER, *La Curie Rom.* p. 45.).

S. C. Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat » (1). At ex responso S. C. Consist. 9. Dec. 1909. societates missionariorum, quae ad loca missionum exclusive destinatae sunt, a S. C. de Pr. F. omnino dependent. (Cf. supra n. 371);

3) ratione *negotiorum*; « ad peculiares alias Congreg. deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum Rituum disciplinam » (2). Manet competens quoad alia negotia, (quae pro regionibus iuri communi subiectis pertinent: tum ad S. C. Consist., quales sunt erectiones dioecesium, administratio Episcoporum, eorumdem relationum examen, Seminariorum cura; — tum ad S. C. Concilii, pro disciplina cleri et populi et dispensationibus in legibus ecclesiasticis; — tum ad S. C. de Sacramentis). Nec potest amplius, sicuti olim poterat, facultates dispensandi, v. g. in impedimentis matrimonialibus, aliis ac *propriis subditis* concedere (3).

375. **De modo negotia absolvendi.** — Vix quidquam mutandum fuit in modo procedendi huius S. Cong., cum e contra potius hic modus omnibus SS. Cong. fuerit praescriptus. At negotia quae ad plenam Congregationem deferuntur, ab aliquo ex Cardinalibus exponitur, qui dicitur *Ponens* (scl. *proponens* negotium) (4).

Administratio bonorum huius S. C., quae olim per ali-

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 6°. 5. Sic obligationes pastorales, ministeria apud fideles, administratio ecclesiarum, scholarum, bonorum quae pertinent ad patrimonium ipsius dioecesis aut Vicariatus, ad S. C. de Pr. F. pertinent; — obligationes ex votis aut Constitut., admissio et dimissio subditorum, regimen domorum probationis aut studiorum, administratio bonorum ipsius Instituti, ad S. C. Religiosorum.

(2) Const. cit. l. c. n. 4.

Attamen pro regionibus valde dissitis, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, etc., adhuc dare potest « formulas facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt » « re tamen agitata et composita cum S. C. de Sacram. » S. C. Consist. 12. Nov. 1908. ad 2m. (*Act. Ap. S.* t. I. p. 149. 151.).

(3) Norm. pec. c. VII. art. 6. n. 3. Cf. Ferreres l. c. n. 559.

(4) Cf. Oietti, *De Rom. Cur.* n. 79.

quam Praefecturam oeconomiae exercebatur, cui praeerat Cardinalis, diversus a Card. Praefecto S. Cong., nunc ipsi S. Congregationi remittitur. Cf. MONIN, *De Cur. Rom.* p. 289.

B) De S. C. de Prop. F. pro Negotiis Rituum Orientalium

376. **De origine et compositione huius S. C.** — De eius *origine* dictum est supra n. 372. *Praefectum* habet eumdem ac S. C. de Prop. F. pro negotiis Ritus Latini, *Secretarium* ac *Subsecretarium*, necnon *officiales*, diversos; *Consultores* possunt esse diversi (1).

377. **De eius competentia.** — Mansit eadem tum circa *personas* tum circa *negotia* (2). Ipsi subiiciuntur *omnes fideles* qui unum ex *Orientalibus Ritibus* sequuntur: Graeci, Armeni, Copti, Maronitae, Syri, Syro-Chaldaei et Syro-Malabarici; — in *omnibus negotiis*, etiam *mixtis*, i. e. quae, sive rei sive personarum ratione, Latinos attingunt. Excipiuntur tantum negotia fidei et causae beatificationis et canonizationis. Immo ex responso S. C. Constit. 12. Nov. 1908. dare potest suis subditis dispensationes in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus (3).

Insuper servat potestatem iudicialem et coercitivam (4).

(1) Ex Const. « *Rom. Pontifices* » Pii IX., membra huius S. C. desumenda erant ex Cardin. membris alterius Cong. de Pr. F. Et Secretarius utriusque erat inter consultores alterius. Quae duplex praescriptio, de qua silet nova Const., non amplius stricte observatur.

(2) Const. « *Sap. cons.* » I. 6°. 6.

(3) Cf. n. 359. cum nota.

(4) Hoc omnino tenendum videtur, vi verborum in nova Constit. adhibitorum, qua edicitur hanc S. Congr. « sua munia ex integro » servare. OIETTI l. c. n. 82; WERNZ t. V. n. 83. Unde annuendum non videtur MONIN l. c. p. 285. sq., nec CAPPELLO l. c. t. I. p. 247. Cf. infra n. 402. in nota.

C) Coetus et commissiones adiectae S. C. de Prop. Fide.

378. Coniunctus est per Const. « *Sap. cons.* » S. Congregationi de Prop. F. *Coetus pro unione Ecclesiarum dissidentium*, quem Leo XIII. a 1895. instituerat. — Existit etiam *Commissio pro revisione Synodorum provincialium*, pro locis missionum, cum Cardinali Praeside, diverso a Card. Praefecto ipsius S. Congr. — Aliae Commissiones *Ad revisendas constitutiones Institutorum religiosorum* a Propag. dependentium, *Ad revisendas relationes dioecesium et Vicariatuum Apostolicorum*, *Super revisione et correctione librorum Ecclesiae Orientalis*, qua *speciales* Commissiones, amplius non commemorantur.

7. S. C. Indicis

379. **De eius origine.** — Iam ab initio Ecclesiae, referuntur exempla librorum qui prohibiti fuerunt, immo destructi et combusti, ob pericula quae ex illis pro fide et bonis moribus inducebantur [1]. Et antequam Tridentinum consilium sumeret aliquem « *Indicem* » librorum prohibitorum conficiendi, iam pluribus in locis, Lovanii, Coloniae, Parisiis, Venetiis, Florentiae, Mediolani, huiusmodi catalogi sive ab Universitatibus publicati fuerant, sive auctoritate Episcoporum aut Nuntiorum Apostolicorum prodierant. Variae etiam Constitutiones pontificiae pravos libros proscripserant et Clemens VII. in Bulla « *Coenae* » excommunicationem constituerat contra *imprimentes*, *retinentes*, *legentes* libros *apostatarum*, *haereticorum*, etc.

Immo Paulus IV. conficiendum S. Officio commisit catalogum librorum damnatorum, qui a. 1557. in lucem editus est; Pius IV. vero approbavit *Indicem* iussu Tridentini confectum, simul cum decem Regulis a Concilio propositis.

[1] Cf. FORGET, in *Dictionn. apologét. de la foi cathol.* v. *Index* col. 702.; WERNZ t. III. n. 100. sq.

Tandem S. Pius V. ipsam S. Congreg. Indicis in subsidium S. Officii creavit, quae munus haberet pravos libros damnandi eorumque Indicem curandi. Quae Congregatio a Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII. confirmata, a Benedicto XIV. per Const. « *Sollicita et provida* » 5. Iul. 1753. accuratas regulas in librorum damnatione observandas accepit, et a Leone XIII. Const. « *Officiorum et munerum* » 25. Ian. 1896. (1897.) normam certam et perspicuam de libris prohibendis habuit. Nova Const. « *Sap. cons.* » adhuc eius facultates ampliavit, ut statim indicabitur.

380. **De eius compositione.** — Cardinali *Praefecto* adsunt, tamquam administri *maiores: Assistens perpetuus*, qui est Magister S. Palatii, et *Secretarius* (etiam ex O. P.); habentur praeterea *Consultores* ex utroque clero.

381. **De competentia huius S. C.** — I. Ad eam pertinet *censura* librorum et *condemnatio* scriptorum, quae fidei aut bonis moribus adversantur vel his periculum aliquod creant.

II. Insuper, vi novae Constitutionis, ad ipsam pertinet: 1) « ex officio *inquirere*, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda »; — 2) « in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque S. Sedi denuntiare » (1).

III. Tandem potestate gaudet opportunas *dispensationes* concedendi pro *retinendis* aut *legendis* libris prohibitis.

382. **De modo procedendi** (2). — Modus is accurate determinatus est a Clemente VIII. et Benedicto XIV.

Secretarius, accepta denuntiatione (aut *nunc* post *inqui-*

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 7°. 1.

(2) Wernz, t. II. n. 660. Iam per Const. « *Sollicita et provida* » § 12. Relatores, Consultores et Cardinales S. C. Indicis tenebantur *secreto S. Officii* relate ad negotium prohibitionis librorum. Vi Const. « *Sap. cons.* » I. 7°. 2. et Norm. pec. c. VII. art. 2. n. 4. et art. 7. n. 2., licet membris et administris utriusque S. Congreg. (S. Officii et Indicis) « omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola... secum invicem communicare », sub eiusdem secreti obligatione.

sitionem proprio marte factam), « librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsistentia cognoscat », duos etiam ad hoc adhibens Consultores. Si liber censura dignus deprehendatur, *Relator* aliusve Consultor unus, cui liber examinandus traditur, scripto suas animadversiones refert, paginas adnotans ubi reprehensa continentur. In privata congregatione aliquorum (saltem sex) Consultorum, a Secretario designatorum, negotium discutitur, praesentibus Assistente perpetuo et Secretario; in plena Congregatione Cardinales definitive pronuntiant et res R. Pontifici a Secretario accurate proponitur ut approbationem concedat.

Si auctor libri sit vir catholicus, bonae famae et clari nominis, solet addi decreto: « *donec corrigatur* »; interim suspenditur eius publicatio donec auctor de corrigendis monitus fuerit; si obedit, supprimitur decretum. Aliquando tamen, praesertim ob diffusionem operis, opportunius iudicatur decretum publicare.

Quod S. C. Indicis contra auctores malos facere solebat, omnia scl. eorum opera « *in odium auctoris* » condemnare, rarius nunc facit, ubi simul cum *noxiis* habentur *innocua* opera.

Opus denuntiatum, si quando cum formula « *dimittatur* » exit, non ideo declaratur bonum et laudabile, sed tantummodo non prohibitum.

383. **De auctoritate decretorum S. C. Indicis.** — Haec decreta *infallibilia* non sunt, praesertim cum sine approbatione *specifica* prodire soleant; at ligant omnes fideles, etiam *Orientales* » ([1]), quoad prohibitionem legendi libros, et requirunt certe aliquem assensum *internum*, etsi non *absolutum*, huic proscriptioni (tamquam sapienti, opportunae etc.) ([2]).

At interest discrimen notare inter haec et S. Officii

([1]) WERNZ, t. II. n. 660.; OIETTI, *De Rom. Cur.* n. 90. PRÜMMER, *Manuale jur. eccl.* t. I. q. 125.

([2]) Cf. supra n. 355.

decreta: S. Officium dat decreta *doctrinalia;* solum enim potest sententias et affirmationes in libro aliquo contensta proscribere et damnare, eisque notam theologicam inurere: S. C. Indicis fert decreta *disciplinaria:* ob periculum fidei et morum, librum damnat eiusque lectionem, venditionem, retentionem prohibet (1).

8. De S. C. Rituum

384. **De huius S. C. origine.** — Instituta est Cong. SS. Rituum a Sixto V. per Const. « *Immensa* », ad scopum:

1) ritus sacros et caerimonias Missae, divini Officii, Sacramentorum, verificandi, corrigendi, restituendi, et ad iura et quaestiones his adnexas dirimendi et stabiliendi, v. g. quoad libros liturgicos, festorum celebrationem, praecedentias;

2) negotium beatificationis et canonizationis servorum Dei curandi.

385. **De compositione.** — Praeest Cardinalis *Praefectus,* cui adsunt *Secretarius* et *Substitutus;* inter Praelatos *Officiales* numerantur etiam *Decanus* et duo antiquiores *Auditores* (necnon et Auditores emeriti) S. Rotae Rom. Iuxta recens « *Motum proprium* » 16. Ian. 1914 (2) existent in posterum duae classes *Consultorum:* « alii ad suffragium ferendum in causis beatificationis et canonizationis, alii pro rebus ad liturgiam et reliquias Sanctorum quoquo modo pertinentibus »; possunt iidem ad utramque classem pertinere (3). Cessant vero pertinere ad Consultores huius

(1) Besson, in *Nouv. Rev. Théol.* a. 1909. p. 21.; Choupin, *Valeur des décis...* p. 63.

(2) Acta Ap. Sed. t. VI. p. 25. sq.

(3) Actuales Consultores omnes in 1ª classe inscribuntur; Consultores 2ªe classis a R. P. designabuntur, qui, quantum fieri potest, in rebus quae ad SS. Ritus, cantum sacrum, quaestiones historicas cum ritibus coniunctas spectant, apprime sint versati. Supplere enim debebunt tres Coetus seu Commissiones: *liturgicam, historico-liturgicam, pro cantu sacro,* quae eodem « *Motu proprio* » supprimuntur.

S. Congr., pro rebus liturgicis, magistri Caeremoniarum pontificalium.

386. **Competentia.** — Quoad *negotia* retinet fere integre duplex munus ipsi a Sixto V. commissum: nam: 1) « ius habet videndi ea omnia, quae ss. ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant »; 2) « ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referentur » (1).

Quae autem ad Indulgentias pertinent S. Officio reservantur (2). Item « quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura », ad ipsam amplius non pertinent; attribuuntur respective SS. Congr. Concilii, Religiosorum aut Caeremoniali (cf. supra n. 368 in nota).

Quoad *personas*, restringitur eius potestas ad fideles Ecclesiae Latinae, cum omnes fideles Rituum Orientalium, etiam in quaestionibus liturgicis, a S. C. de Prop. F. pro Negot. Rit. Orient. pendeant. Excipiuntur tantum causae beatificationis et canonizationis, quae ad S. C. Rituum semper deferuntur (3).

387. **De exercitio potestatis.** — S. C. Rituum triplici modo suam potestatem exercet: 1) leges ferendo aut interpretando; 2) earum executionem urgendo; 3) dispensationes concedendo.

I. Sive ad leges ferendas, sive ad earumdem interpretationes dandas, S. C. Rituum *decreta* edit, quae *generalia* aut *particularia* sunt (4). Discrimen istud iam 1) ex ipsa *inscriptione* et *forma* constare solet (5); insuper habetur 2) ra-

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 8°. 1-2.

(2) S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, a Clemente IX. 6. Iul 1669. qua specialis Congregatio instituta, iam ex *Motu proprio* Pii X. 28. Ian. 1904, unita fuerat S. C. Rituum; suppressa est per novam Const., quae negotium *Indulgentiarum* S. Officio commisit (cf. supra n. 359.), *SS. Reliquiarum* negotium Congregationi Rituum.

(3) Supra n. 376.

(4) Cf. supra n. 352.

(5) Cf. *Decreta authent. Congr. SS. Rituum* a. 1898. sq., ubi in praefa-

tione *materiae*, prout regula *generalis* statuitur vel dubium *generale* solvitur, aut *particulari* quaestioni respondetur (sed tunc potius sunt *responsa* quam *decreta*); 3) ratione *extensionis*, prout ad *omnes* fideles aut tantum ad *partem* aliquam Ecclesiae diriguntur.

Si de valore *iuridico* illorum *decretorum* et *responsorum* quaeritur, prae oculis habendo quae supra n. 352. sq. dicta sunt, sequentia statuenda videntur:

1) decretum *particulare* ex *materia* et *forma* (quod est potius *responsum*), non ligat nisi eos ad quos directum est;

2) decretum *formaliter particulare* at *aequivalenter generale* (directum scl. ad personam aut coetum *particularem*, at regulam *generalem* statuens aut *generale* dubium solvens), « ubique obligat, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, etiam immemoriali » (1);

3) hoc a fortiori dicendum est de decreto *universali* ex *materia* et *forma*.

Quaeri autem potest sub quanam approbatione R. Pontificis prodire debeant decreta seu responsa. Ratio dubitandi haec est: ex una parte statuimus legem universalem *novam*, aut interpretationem *vere extensivam* legis iam existentis, approbationem specificam requirere (2); ex alia parte olim concessum fuit S. C. Rit. ut decreta et responsiones eius *formaliter editae*, i. e. a Card. Praef. et Secretario subscriptae, « eamdem (haberent) auctoritatem, ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent » (3), i. e. ac si appro-

---

tione normae traduntur, iuxta quas nova editio concinnanda erat, et in n. II. distinguuntur: decreta *generalia*, quae ordinarie *Romae*, sive *Urbis* inscribentur, et *non generalia*, sub titulo *Dubiorum*, *Romana* etc. publicanda.

(1) Sic respondit ipsa S. C. Rit. ad Archiep. Compostell. 8 Ian. 1904. At 1) hoc responsum non invenitur in t. VI. nuper edito Collect. authenticae; 2) merito advertit WERNZ t. I. n. 146. IV. ad hunc effectum requiri ut talia decreta « universae Ecclesiae legitime promulgentur aut iteratis declarationibus transeant in stylum Curiae aut in praxim et disciplinam communiter vigentem ». Unde assertio omnino *certa* dici nequit.

(2) Supra n. 355.

(3) S. C. Rit. 11. Iul. 1846. cum approbat. Pii IX. Coll. auth. n. 2916.

bationem saltem communem R. Pontificis obtinuissent; et adhuc nunc haec approbatio communis aliquando sola datur. Respondendum videtur:

1) Decretis *particularibus*, necnon interpretationi *mere comprehensivae* legis existentis, sufficit approbatio *communis*: nam non habetur *nova lex universalis*;

2) pro decretis *generalibus* ex materia et forma (aut *aequivalenter generalibus*, ita ut toti Ecclesiae sufficienter promulgata habeantur, quibus *lex nova* aut interpretatio *vere extensiva* legis continetur, approbatio *in forma specifica* semper danda esset. Haec sententia admittenda videtur, quippe quae melius concordat cum doctrina tradita n. 355. de indefectibilitate in legibus universalibus Ecclesiae (1).

II. S. C. Rituum urget *executionem* legum liturgicarum, cum ipsius « sit praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur, in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis Officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt » (2). Hinc ad ipsam spectat *adhortari* ad diligentem legum ritualium observationem et procedere (in via *disciplinari*) contra violatores illarum legum.

III. Dat etiam *dispensationes* opportunas in materiis quae ad sacros ritus referuntur; at in his limitatur eius potestas per facultates tum S. C. de Sacramentis tum S. C. Concilii traditas (3).

Tenent LEHMK. t. I. n. 307. not. 1. et NOLDIN, *De princip.* n. 134. hanc dispositionem adhuc valere. At ex dictis (supra n. 355. not. 1.) contrarium omnino tenendum videtur.

(1) WERNZ t. I. n. 146. IV.; CHOUPIN l. c. p. 95. sq. Cf. tamen quae in ult. nota ad n. 355. diximus. Unde duo concedenda: 1) aliqui sent. nostram non admittunt; 2) ubi materia, de qua lex fertur, vix ullum periculum pro fide aut moribus involvit, facilius ipsis annui posset.

(2) Const. « *Sap. cons.* » I. 8.° 2.

(3) Norm. pec. cap. VII. art. 3. n. 10., art. 4. n. 4. 5. Cf. supra n. 365. 368.

9. S. C. Caeremonialis

388. **De eius origine et compositione.** — Haec S. Congregatio, cuius origo satis incerta est, utrum Gregorio XIII. an Sixto V. attribui debeat, nullo modo fuit a Const. « *Sapienti consilio* » mutata.

Praefectus solet esse Cardinalis Decanus S. Collegii; *Secretarius* solet esse unus e Magistris Caeremoniarum pontificiarum; adest etiam *Subsecretarius*, necnon *Consultores*; qui sunt omnes et soli Magistri Caerem. pontif.: hi constituunt Collegium aliquod cum suo Praefecto et sumuntur inter Camerarios secretos.

389. **Competentia** eius extenditur: ad moderandas caeremonias in Sacello Aulaque Pontificali et sacras functiones quas PP. Cardinales extra Sacellum pontificale peragunt (1); — ad receptionem Imperatorum, Regum, etc., eorumve Legatorum, rite peragendam; — ad quaestiones de praecedentia tum PP. Cardinalium tum Legatorum, quos variae nationes ad S. Sedem mittunt, solvendas (2).

10. S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis

390. **De eius origine et actuali competentia.** — Haec S. Congregatio, quae prius intermittenti modo exstitit: sub Pio VI., post a. 1793. pro negotiis ecclesiasticis Galliae, et sub Pio VII. a. 1805. et iterum ab a. 1814. pro *negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, quae status infaustus rerum in multis regionibus induxerat (3), paulatim facta est *ordinaria:* erat quasi *consilium* Secretariae Status in relationibus cum guberniis (ad res cum dogmate aut disciplina mixtas absolvendas); veramque iurisdictionem gratiosam obtinuit;

(1) Determinat v. g. ea quae ad missionem Cardinalium Legatorum *a latere*, aut ad negotium novi Cardinalis extra Urbem faciendi, pertinent.

(2) Const. « *Sap. cons.* » I. 9°.

(3) Cf. Oietti, *De Rom. Cur.* n. 108.

immo relate ad Russiam, Americam Latinam, territoria iurispatronatus Regis Lusitaniae in Asia et Africa, etc., instar S. Congregationis de Prop. F. pro locis missionum erat (1).

Nunc amissa omni iurisdictione ordinaria, « in ea tantum negotia... incumbit, quae eius examini subiiciuntur a S. Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur » (2). In his autem tractandis servat modum suum procedendi, in quo hoc speciale habetur, quod PP. Cardinales non habeant votum *decisivum*, sed *consultativum*, et R. Pontifex decisionem det (3).

391. **De eius constitutione.** — *Praefecti* vices, sine titulo Praefecti, gerit Cardinalis Secretarius Status, qui adiuvatur a *Secretario* (aut potius *Pro-Secretario*) et a *Subsecretario*; loco Secretariae propriae, quae abolita est, I^a^ sectione Secretariae Status utitur. Non amplius habentur *Consultores*.

II. S. C. Studiorum

392. **De eius origine et constitutione.** — S. C. pro Universitate Studii Romani a Sixto V. per Const. « *Immensa* » instituta, curabat Romanas Universitates, necnon Rom. gymnasium variaque Seminaria, Romae pro Theologia et Artibus liberalibus colendis erecta, et extra Urbem Universitates Paris. (Oxon.), Bononiens. et Salamantinam. At haec Congr. fere cessaverat; eam Leo XII. restituit ut in Pontificia ditione privatis et publicis scholis praeesset; post a. 1870. denuo ad omnes Universitates catholicas orbis suam extendit competentiam; quod munus nunc retinet (4).

Habet et ipsa Card. *Praefectum* cum *Secretario*, *Substituto* et *Consultoribus*.

(1) Lega, *Prael. de iud. eccl.* t. II. n. 220. Cf. supra n. 374.
(2) Const. « *Sap. cons.* » I. 10°.
(3) Cf. Monin l. c. p. 317.
(4) Oietti l. c. n. 111.

393. **De actuali eius competentia.** — Extenditur hodierna huius S. C. competentia ad Maiora Athenea, i. e. ad Universitates et Facultates « quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur » (1). In his praeter studia etiam internum regimen et bonorum administrationem curat. Novas Universitates approbat, facultatem concedit gradus conferendi, aut gradus academicos *ad honorem* viris aliquibus singulari doctrina commendatis concedit.

Suam potestatem exercet tum communia edens decreta, tum dubia ac quaestiones solvens, tum executionem praescriptorum urgens.

N. B. — *Seminaria provincialia* vel *dioecesana* S. C. *Consistoriali* subduntur; *Scholae primariae* et *secundariae,* iuxta loca et moderatores, pertinent ad SS. Congregationes *Concilii, Religiosorum* vel de *Prop. Fide.*

12. S. C. Reverendae Fabricae S. Petri.

394. Haec S. Congr., quae olim competentiam aliquam universalem exercebat ad executionem piorum legatorum et fundationum Missarum urgendam, et ad concedendas reductiones, dispensationes, compositiones circa haec, nunc unice « sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum » (2). Unde et ipsa, sicut S. C. *Lauretana*, minus proprie inter SS. Congregationes recensetur, cum istae aliquam iurisdictionem ad regimen Ecclesiae universalis pertinentem exerceant.

Ipsi praeest Cardinalis Archipresbyter eiusdem Basilicae, adsunt *Secretarius oeconomus* et varii *Officiales.*

(1) Const. « *Sap. cons.* » I. 11°.
(2) Const. « *Sap. cons.* » in fine,

C. De Tribunalibus Curiae Romanae

395. Hoc nomine veniunt Instituta Curiae Romanae quae iudicialem potestatem exercent, tum in foro interno, et habetur S. Poenitentiaria, tum in foro externo, et sunt S. Rota Rom. et Signatura Apostolica.

I. De S. Poenitentiaria

396. **Origo S. Poenitentiariae.** — In Oriente primum, serius in Occidente. adiuvabatur Episcopus a sacerdote, qui *poenitentiae* praeerat et curam *publice poenitentium* gerebat. Romae *poenitentiarii* praesertim ob magnum numerum peregrinorum introducti fuisse videntur, qui huc confluere coeperunt, maxime inde a saec. XI. et XII., quando Rom. Pontifices tum *peccata* et *censuras* sibi *reservare*, tum *dispensationes* in legibus communibus frequentius dare consueverunt. Unde saltem initio saeculi XIII. proprii *poenitentiarii* in Urbe constituti erant, inter quos eminuit S. Raymundus a Peñaforte; his iam eodem saeculo praeesse solebat unus e Cardinalibus, qui saec. XIV. ineunte nomen Maioris Poenitentiarii obtinuit. Tandem sub Benedicto XII.. invenitur S. Poenitentiaria eodem fere modo constituta, qualis nunc est (1).

Competentia huius Tribunalis aliquando ad solum forum *internum* restricta, alias etiam ad *externum* sese extendit. Vi Const. « *Pastor bonus* » et « *In Apostolicae* », Benedicti XIV., praeter potestatem fori *interni*, ipsi competebat potestas ad *gratias* quasdam, *dispensationes* et *absolutiones* etiam in foro *externo* concedendas, v. g. dispensationes pro *impedimentis matrimonialibus publicis pauperum* (2), *absolutiones* in *utroque foro Religiosis* et certis personis *impeditis* largiendis.

(1) Wernz t. II. n. 674.; Ferreres, *La Cur. Rom.* n. 818. 824. sq.
(2) Ferreres l. c. n. 412.

Nunc denuo coarctatur eius competentia ad negotia fori *interni* etiam *extra-sacramentalis* (1).

397. **De eius constitutione.** — Ipsi praeficitur Cardinalis *Maior Poenitentiarius,* ab ipso R. Pontifice electus, qui per se ipsum munus suum exercere debet (unde sacerdos sit oportet) et, si impeditur, per alium Cardinalem suppletur, qui « suo proprio nomine (negotia) expediat » (2).

Adiuvatur: 1) a *Regente,* qui petitiones et causas omnes diligenter examinat, quae perspicua et consueta sunt decernens, difficiliora ad Maiorem Poenitentiarium remittens:

2) a quinque *Praelatis Signaturae,* inter quos primum locum obtinet *Theologus* (3);

3) a *Secretario* et *Substituto* et aliis *Officialibus* inferioribus.

Poenitentiarii minores, in *Urbe* (4) et in *Aede Lauretana,* a Card. Maiore Poenit. et Signatura examinati, ab eodem Cardinali approbantur et constituuntur, nec possunt absque eius licentia officium relinquere nec ab eo dimitti.

398. **Actualis competentia.** — S. Poenitentiaria, amissa potestate fori externi, manet tribunal fori interni et potius tribunal gratiae (sicuti est ipsum Sacramentum Poenitentiae), unde apte spectari potest « quasi *supremus confessarius,* habens pro universo mundo et pro universis fidelibus amplissimas facultates fori interni » (Prümmer, *Man. iur. eccl.* t. I. q. 126.).

I. Dat: 1) *absolutiones* tum a *peccatis* tum a *censuris*

(1) Const. « *Sap. cons.* » II. Cf. supra n. 192, de foro *interno* et *externo*; Monin, *De Cur. Rom.* p. 321. sq., ubi accurate rem tractat.

(2) S. Pius V. « *In omnibus* » 18 Mai. 1569.

(3) « Quod (Theologi) munus uni ex presbyteris S. I. diuturna nec interrupta successione commendari consuevit ». Bened. XIV. Const. « *In Apostolicae* » § 15. Alii Prelati Signaturae sunt: Datarius, Corrector, Sigillator, Canonista. Solent hi cum Regente fer. III^{a} alternis hebdomadibus apud Card. Mai. Poenitent. convenire ut negotia expediant. Cf. Ferreres, *La Cur. Rom.* n. 855.

(4) In Basilicis: S. Petri, FF. Minores Conventuales (olim Iesuitae); S. Ioannis, PP. Dominicani; S. Mariae Maioris, FF. Minores ab Observantia.

sive *a iure* sive etiam *ab homine* (1) inflictis; excipitur violatio secreti S. Officii, cuius absolutionem R. Pontifex sibi soli reservat;

2) *dispensationes* in *votis* et *iuramentis;* — in *irregularitatibus* ad recipiendos aut exercendos Ordines; — in *impedimentis matrimonialibus* (2) — semper in foro interno et hoc solo;

3) *commutationes votorum*, aliarum *obligationum, poenarum* incursarum (3);

4) *sanationes* pro beneficiis, officiis, dignitatibus invalide obtentis (4);

5) *condonationes* pro restitutionibus faciendis (5).

II. Insuper S. Poenitentiaria « excutit... quaestiones conscientiae easque dirimit » (6). Quaestiones ergo *practicas* solvit; mere *theoreticas* ad SS. Congregationes remittit aut, si non potest, dispensationes *ad cautelam* dat, aut statuit ad quid consulens, stante controversia, in conscientia practice teneatur.

Responsa S. Poenit. ligant eos ad quos diriguntur, et in similibus casibus « praebere forsan poterunt prudentem agendi normam ». (7) Si terminis generalibus proponuntur, quamvis nec legem nec interpretationem authenticam universalem contineant, tuta conscientia haec responsa omnes sequi possunt.

(1) Cum restrictionibus tamen aliquibus pro censuris *ab homine*, ne earum vis enervetur. Const. « *Pastor bonus* » § 6.

(2) Const. « *Pastor bonus* » § 28. sq.; 15.-19; 39.-46.

(3) Ibid. § 30. 33.

(4) Ibid. § 20. sq.; 31. sq.

(5) V. g. ob fructus beneficii illegitime perceptos, bona incertis dominis restituenda, *munera* a Religiosis aut subsidia dotalia indebite accepta (ibid. § 24. - 27).

(6) Const. « *Sap. cons.* » II. 1. et Const. « *Pastor bonus* » § 48. Apposite Besson: « (Elle est) tribunal et congrégation de conscience »; elle connaît « des questions iuridiques ou morales, surtout en tant qu'elles se posent « pour la conscience » (*Nouv. Rev. Théol.* 1909. p. 82) Cf. Monin l. c. p. 325.

(7) Monin l. c. p. 326.

399. **Modus recurrendi ad S. Poenit. et mandata eius exequendi.** — Quilibet potest ad S. Poenitentiariam per se vel per alium (v. g. per confessarium) recurrere: qualibet lingua scribere valet, dirigendo epistolam ad Emum Card. Mai. Poenit. et in fine accurate indicando nomen et domicilium illius ad quem responsio mittenda est.

Solet S. Poenit. *in forma commissoria* absolutiones, dispensationes, concedere (1). Plerumque committitur negotium confessario, ab impetrante eligendo inter approbatos ab Ordinario loci.

Hinc, si ipse confessarius scripsit et responsum accipit, aperto primo involucro, ubi alterum invenit cum inscriptione huiusmodi: « *Discreto viro, confessario ex approbatis ab Ordinario per latorem eligendo, salutem in Dño* », istud tradit poenitenti qui vel ipsi vel alteri approbato ab Ordinario (et quidem pro hac fidelium categoria ad quam pertinet) aperiendum et exequendum remittit (2).

Conditiones (3) in concessione appositae sunt generatim ad validitatem et solent esse sequentes: 1) « *Si ita est* », i. e. si verificatur causa *motiva* concedendae gratiae: at poenitenti asserenti credendum est;

2) « *audita prius sacramentali confessione* » vel « *in actu sacramentalis confessionis tantum* »: tunc exigitur confessio praevia, immo generatim et absolutio, nisi aliquando urgens necessitas suadeat dispensationem ei concedere, qui est indispositus ad absolutionem recipiendam (4);

(1) Cf. supra n. 316.

(2) Si dicatur « *Doctori in S. Theol. aut in iure canon.* », confessarius debet hac qualitate ornari aut ex privilegio ab ea dispensari.

Non prohibetur poenitens litteras repetere a confessario, qui in executione nimis rigidum se praeberet, easque alteri deferre.

(3) De his condition. cf. MONIN l. c, p. 332 sq. FERRERES l. c, n. 879. sq.

(4) Cf. Resp. S. Poenit. 19 Mai. 1834. et 3. Ian. 1839. Cf. FERRERES, *De Cur. Rom.* n. 881.; id. *Theol. mor.* t. II. n. 882,; BUCCERONI, *Inst. Theol. mor.* t. II. n. 1046; LEGA, *Prael. iur. eccl.* t. II. n. 277.

3) « *imposita ei gravi poenitentia* », proportionata tamen eius viribus (1);

4) « *praesentibus laceratis vel combustis sub poena excommunic. lat. sent.* »: debent saltem *intra triduum post* executionem rescripti lacerari aut comburi.

II. — De Sacra Rota Romana

400. **De eius origine.** — Origo illius tribunalis referenda videtur antiquissimae praxi delegandi in Curia Romana *auditores* (Cardinales, Praelatos, saepius autem capellanos pontificios) ad audiendas et praeparandas causas, quae apud S. Sedem tractabantur. Ex munere partes *audiendi*, vocabantur « *auditores* »; proponebant suam sententiam R. Pontifici, qui (ordinarie in Consistorio) decernebat.

Quandonam exstiterit verum *collegium auditorum*, qui, sive *singillatim*, sive *plures adunati*, veram iurisdictionem exercere inceperint, difficile est exacte statuere. Probabilius iam ante Ioannem XXII. existebat, a quo per Bullam « *Ratio Iuris* » (a. 1326.) non creatum sed melius ordinatum fuisset (2).

Nomen « *Rotae* », quo decoratum est tribunal istud, ab aliis alio modo explicatur: a *loco* ubi convenire solebant auditores; a *modo* quo suffragia ferebant, ad tabulam rotundam sedentes; *a pluteo* seu instrumento versatili in quo Codices ponebantur (3): res incerta manet.

Toto medio aevo celeberrimum fuit Rotae Romanae tribunal: huic R. Pontifex negotia iudicialia *committere* solebat; at insuper paulatim competentiam aliquam *determi-*

(1) Wernz t. VI. n. 251. not. 28. merito observat hanc poenit. etsi in foro interno impositam, a poenitentia sacramentali esse diversam.

(2) Phillips, *Kirchenrecht* t. VI. § 307. 308; Wernz t. II, n. 669; Ferreres l. c. n. 928; At Ehrle, *Histor. bibliothecae Rom. Pontificum...* t. I. p. 696. eius initia ad primos annos saec. XV. differt.

(3) Phillips l. c. § 310; Ehrle l. c.; Lega t. II. n. 44.

natam obtinuit, praesertim circa causas *beneficiales*, saepe etiam circa *matrimoniales*, exceptis tamen *criminalibus* (1) Postquam vero institutae sunt SS. Congregationes, competentia S. Rotae fere tantum ad negotia *profana* restricta fuit: unde post destructum dominatum pontificium, ad meram umbram redacta erat, excepto quod a Leone XIII. examen legitimae formae actorum iudicialium in processibus beatificationis et canonizationis ipsi demandatum fuerat.

At nunc ad novam vitam a Pio X. revocatum est antiquum tribunal Rotae eiusque competentia clare *determinata* multumque *ampliata* est.

Lex propria S. Rom. Rotae et Signaturae Apost. constitutionem, competentiam et modum iudicandi utriusque tribunalis accurate determinavit.

401. **De eius constitutione.** — « S. Rom. Rota decem (2) Praelatis constat, a Rom. Pontifice electis, qui Auditores vocantur ».

« Hi Sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure can. praediti, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari » (3).

« S. Rota Collegium constituit, cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares » (4).

Auditores directe a Papa eliguntur, nec *debent*, ut olim viguit usus, ex tali natione aut civitate assumi. *Decanus*, qui prima vice a Rom. Pontifice electus est, postea semper erit antiquior ex Auditoribus.

Unusquisque Auditor sibi *Adiutorem studii* eligit, sive clericum sive laicum, qui saltem in iure canonico doctor

(1) Causae criminales saepe a Card. *Camerario* iudicatae sunt; serius maxime a SS. Congr. *S. Officii* et *Episc. et Reg.* absolvebantur.

(2) Si gubernium aliquod, instante S. Sede, aliquem Auditorem praesentaverit, ut fecit Austria, is supra numerum additur. Cf. FERRERES, *La Cur. Rom.* n. 943.

De privilegiis Auditorum S. Rotae cf. WERNZ t. V. n. 85. not. 53.

(3) *Lex propria* can. 1.

(4) Ibid. can. 2.

sit: huic *instructionem causae* delegare potest, sibi autem *sententiae pronuntiationem* reservat (can. 3.).

Adsunt insuper: *Promotor iustitiae*, qui iura et legem in favorem boni communis in causis criminalibus sustinet;

Defensor vinculi matrimonialis, *S. Ordinationis* et *professionis religiosae*, cuius munus est in favorem validitatis semper agere.

Uterque debet esse sacerdos, doctor in S. Theol. et in iure saltem canonico (1).

Sunt etiam *Notarii*, quorum duo saltem sint sacerdotes « et in causis criminalibus clericorum vel religiosorum his dumtaxat reservatur notarii et auctarii munus » ; — et tandem *Advocati*, et quidem: « advocati proprii ac nativi S. Rotae et Signaturae Apost. sunt advocati consistoriales. Admittuntur tamen et alii », certis qualitatibus ornati (2).

402. **De S. Rotae competentia.** — I. Ratione *territorii*, extenditur eius competentia ad omnes dioeceses, missiones, praefecturas et vicariatus apostolicos *Ritus Latini*, sive iure communi regantur, sive a S. C. de Prop. Fide dependeant: haec enim est incompetens circa negotia iudicialiter tractanda. At ex dictis (supra n. 377.) asserendum videtur *Orientales* ab ea non dependere (3).

II. Ratione *materiae*, competens est S. Rota ad omnes

(1) Ibid. can. 4. Ex mandato Pii X. 2. Aug. 1910., habetur *Substitutus* Defensoris vinculi, qui iisdem qualitatibus instructus esse debet.

(2) *Lex propria* can. 5. 44.-46.

(3) Contradicunt Monin l. c. p. 285. sq.; Cappello l. c. t. I. p. 247.; at immerito, ut videtur, cum vi Const. « *Sap. cons.* » S. C. pro negotiis Rit. Orient. « sua munia ex integro » servaverit.

Nec argumentum desumendum est ex eo quod S. Rota in aliqua causa Orientalium iudicaverit 10. Ian. 1911. *Act. Ap. Sed.* t. III. p. 438. sq.: nam hoc fecit *ex commissione* R. Pontificis; unde potius contrarium esset concludendum. Confirm. ex causa apud S. Rotam nuperrime tractata 22. Novemb. 1913. *Act. Ap. Sed.* t. VI. p. 77. sq., ex qua duo eruuntur: 1) S. C. de Pr. F. pro Oriental. *delegasse* facultates *iudicandi* nomine suo; ergo hoc ius habebat et proinde adhuc retinet, vi Const. « *Sap. cons.* » I. 6°. 6. (cf. supra n. 376.); 2) S. Rotam. *ex commissione* Rom. Pontif. causam tractasse.

quaestiones, quae tamen non sunt *causae maiores*, iudicialiter tractandas (1). Sic iudicabit in causis criminalibus clericorum, religiosorum, in causis de validitate matrimonii (2), S. Ordinationis, professionis religiosae, in conflictibus inter Episcopos et clericos, in litibus circa iuspatronatus, bona ecclesiastica, etc.

At nequaquam potest in omni casu has quaestiones tractare et dirimere. Nam S. Rota, regulariter loquendo, est tribunal *appellationis* (3). Unde sedulo notanda sequentia:

a) In *prima instantia*, i. e. quando nulla praecessit sententia iudicialis, S. Rota iudicare non potest nisi *ex speciali commissione* R. Pontificis; nec sufficit ut pars una vel etiam utraque pars consentiat ut S. Rota iudicet: quae enim potestas ipsi a Pontifice in tali casu prorsus denegata est, eam partes supplere nequeunt. Unde « S. Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium, R. Pontifex ad suum tribunal avocaverit et R. Rotae commiserit » (4).

b) In *secunda instantia* S. Rota iudicat: 1) sine nova commissione causas, quas in prima instantia Rom. Pontifex ipsi absolvendas commiserat; 2) causas quae in 1ª. inst., tum a tribunali Cardinalis Vicarii Urbis, tum a tribunalibus ecclesiasticis ex aliis partibus orbis, iudicatae sunt. Et quam-

(1) *Lex propria* can. 15. Cf. supra n. 303. 305., quaenam sint causae maiores: causae *fidei*, causae *criminales Episcoporum*, causae *omnes Cardinalium*, etc.

(2) Ex dictis n. 359. in nota, S. Rotae competentia probabiliter ad causas iudiciales circa impedimenta mixtae relig. et dispar. cultus extenditur.

(3) Quod asseritur in responso S. C. Cons. 11. Iun. 1909.

(4) *Lex propria* can. 14, § 1.

Ex responso S. C. Consist. 28. Ian. 1909. in causis dispensationis super matrimonio rato, ut de facto inconsummationis iudicetur, potest S. C. de Sacramentis *iure proprio* negotium ad S. Rotam remittere, sine speciali R. Pontificis commissione. Cf. WERNZ t. IV. n. 698. cum notis. Putant plures, v. g. CHOUPIN l. c. p. 460., S. Rotam esse competentem in 1ª. inst. circa causas contentiosas Religiosorum, qui a tribunali Episcopi non pendent; unde sine speciali commissione ei remitti possent.

vis regulariter ab Episcopo ad Archiepiscopum appellandum sit. potest tamen pars onerata *directe* et *immediate* ad S. Sedem appellare (1), et ad hanc appellationem accipiendam S. Rota est competens.

c) In *tertia instantia* (2) accipit causas, quae in aliis tribunalibus in 1ª. et 2ª. instantia tractatae sunt, vel, si casus hoc fert, quas ipsa iam tractavit.

Regulae in appellatione sequendae et numerus instantiarum qui permittitur, aptius exponentur in t. II. ubi de iudiciis (3).

d) Aliquando etiam in causis *restitutionis in integrum* (4) et probabiliter etiam in *querelis nullitatis* est competens (5).

403. **De modo iudicandi.** — Generatim iudicant Auditores per *turnos* trium Auditorum, qui collegialiter procedunt, i. e. simul sedentes et ad pluralitatem suffragiorum decernentes. Aliquando tamen R. Pontifex statuit ut quinque vel septem vel etiam omnes simul iudicent (6).

Turni trium Auditorum hoc modo constituuntur: Auditoribus in circulum constitutis iuxta ordinem antiquitatis in munere, i. e. nominationis a Papa, tres ultimi (8us, 9us, 10us) assumuntur, qui primum turnum constituant, tres sequentes secundum, tres sequentes tertium, dein Decanus cum duobus ultimis (9°. et 10°.) quartum constituunt et ita porro (7).

Quando a decisione rotali appellatur, turnus proxime sequens ei qui iudicavit, causam appellationis accipit; si iterum appellari licet, turnus sequens, ita ut nullus Auditor bis in eadem causa iudicet.

(1) Cf. supra n. 305. Haec libertas ex speciali dispositione S. Sedi alicubi, v. g. in Anglia, est restricta. WERNZ t. V. n. 97. not. 98.

(2) Immo et in 4ª. inst., si negotium apud Primatem Hungariae aut Nuntium Matritensem in 3ª. inst. tractatum fuerit. Cf. WERNZ t. V. n. 104. et not. 118.

(3) Cf. interim nostras *Quaest. sel. e tomo II.* n. 89. not. 4.; n. 91. sq.

(4) *Lex propria* can. 14. § 4. Cf. MONIN l. c. p. 345.; BESSON, in *Nouv. Rev. Théol.* 1909. p. 89. cum nota 2.

(5) MONIN l. c. p. 346.

(6) *Lex propria* can. 11.

(7) Ibid. can. 12.

Hic non vacat de procedura agere, quae in causis iudicialibus a S. Rota adhibetur; de hac enim in quaestione de iudiciis ecclesiasticis erit tractandum (1).

III. — De Signatura Apostolica

404. **Origo.** — Cum antiquissima fuerit praxis ad S. Sedem recurrendi, sive ad obtinendas gratias speciales, sive ad quaestiones iudiciales dirimendas, praeter *Auditores* (initio potius occasionaliter electos, serius munere stabili praeditos) (2), qui causas iudiciales praeparabant earumque decisionem R. Pontifici proponebant, paulatim constituti sunt *Referendarii Apostolici* (sacri Palatii), quorum officium erat quaestiones accurate examinatas S. Pontifici *referre* eique responsum *signandum* seu subscribendum proponere (hinc nomina « *refendarii* », « *signaturae* »): paulatim introducta est distinctio inter referendarios pro gratiis et referendarios pro causis iudicialibus.

Referendarios iustitiae, qui tunc valde numerosi existebant, Alexander VII. a. 1659. in collegium *Signaturae iustitiae,* duodecim *votantium* cum proprio *Decano* redegit; alii, qui extra collegium manserunt, *simplices* Referendarii dicti sunt (alii *participantes,* alii *non-participantes*) (3).

Signatura iustitiae, quae aliquando veram iurisdictionem in universam Ecclesiam obtinuerat, et munus supremi et universalis tribunalis, S. Rotae superioris, saec. XIX. hoc munus pro solo Statu pontificio servaverat, unde et ipsa post destructum temporalem dominatum, etsi non expresse sublata, quiescebat.

Nunc a Pio X. restitutum, seu potius novo modo institutum est tribunal Signaturae Apostolicae, « antiqua ordi-

(1) Cf. *Quaest. sel. e tomo II.,* ubi praesertim in n. 75. 86. 89. 97. quaenam sint specialia S. Rotae indicantur.

(2) Cf. supra n. 400. de origine S. Rotae.

(3) Signatura *gratiae*, quae et ipsa in *collegium votantium* reducta fuerat, a Sixto V. Congregationi cuidam pro Signatura gratiae, adnexa est, et iam ab a. 1847. existere desiit. Cf. Oietti l. c. n. 149.

natione tribunalium Signaturae papalis gratiae et iustitiae suppressa » (1).

405. **De eius constitutione.** — Constat Signatura Apost. sex Cardinalibus, quorum unus dicitur *Praefectus Signaturae.* — Sunt praeterea: *Secretarius, Notarius, Consultores,* qui de causis huic Tribunali propositis vota exarant; tandem inferiores *administri.*

406. **De eius competentia.** — Est quasi tribunal cassationis relate ad S. Rotam. Iudicat enim de *querelis nullitatis* et de *petitione restitutionis in integrum* contra sententiam rotalem (2).

Insuper cognoscit: « de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur »; — « de violatione secreti ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum aut iniustum in iudicando posuerint » (3).

Tandem « ex commissione Sm̃i, iudicat etiam de restitutione in integrum contra sententiam ab aliqua S. Congregatione emissam » *Regulae servandae apud Supremum Sign. Apost. Tribunal...* art. 1. Act. Ap. Sed. t. IV. p. 188.

D. De Officiis Curiae Romanae

407. Ad expedienda negotia, quae in Curia Romana tractantur, instituta sunt varia Officia, quorum praecipua sunt *Cancellaria, Dataria, Camera Apostolica, Secretaria Status.* Eorum attributiones, quae per decursum temporum multum variaverunt, a praesenti Constitutione accurate determinatae sunt.

I. — De Cancellaria Apostolica

408. **De eius origine et constitutione.** — Cancellaria Apostolica quad substantiam iam a primis Ecclesiae temporibus exstitit, cum munere conscribendi et expediendi

(1) Const. « *Sapienti consilio* » II. 3°.
(2) Cf. infra ubi de iudiciis. *Quaest. select. e t. II.* n. 95. 96.
(3) *Lex propria* can. 37,

Litteras Apostolicas, quarum exemplar in *archivo* servabatur (1).

Nomen praesidis huius Officii erat *archivarius, scriniarius, bibliothecarius* vel etiam *cancellarius, chartularius*. Ob muneris praestantiam ad dignitatem episcopalem evectus fuit; immo a saec. XI. aliquando, et a saec. XIV. modo constanti, fuit unus e Cardinalibus (2), qui nomen *Vice-Cancellarii* deferebat. Is multis Officialibus adiuvabatur.

Vi Const. « *Sap. cons.* » Praeses Cancellariae nomen *Cancellarii* assumpsit. Adiuvatur et suppletur per *Regentem*, cui adest *Substitutus*. — Officialibus, qui dicebantur *Abbreviatores maioris* vel *minoris residentiae*, seu *de parco maiori* vel *minori* (3), substituit eadem Const., ad subscribendas Bullas, *Protonotarios Apostolicos participantes de numero* (4).

Minores officiales Bullas componunt, describunt, sigillo muniunt, etc.

409. **De competentia Cancellariae.** — Si recolantur quae supra n. 102. dicta sunt de Regulis Cancellariae, facile intelligitur quomodo Cardinalis Cancellariae praepositus, veram iurisdictionem exercuerit; nam per clausulas, iuxta has Regulas appositas, concessiones pontificias ampliabat aut restringebat (5). Nunc autem « ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis » (6).

(1) Inde origo *Regestorum* seu *Registrorum pontificiorum*, quorum infeliciter non nisi pars quaedam ad nos pervenit. Cf. PRÜMMER, *Man. iur. eccl.* t. I. q. 20.

(2) Simul cum dignitate dabatur ipsi titulus S. Laurentii in Damaso, quem nunc etiam aut accipit aut retinet in commendam.

(3) Sic dicebantur ex loco ampliori aut restrictiori Cancellariae, ubi solebant convenire.

(4) Ad tempus tamen hoc munus implent alii, cum titulo *Protonotariorum Apost. adiunctorum pro signatura Bullarum.*

(5) WERNZ t. II. n. 675.

(6) Const. « *Sap. cons.* » III. 1°. 2.

Insuper *unicus* modus expediendi Bullas adhibebitur, qui dicitur *per viam Cancellariae* (1), iuxta formulas Bullarum noviter reformatas a Commissione trium Cardinalium, quibus etiam demandata fuit cura Regulas Cancellariae reformandi (2).

II. — De Dataria Apostolica

410. **Eius origo et constitutio.** — Hoc Officium, quod, tamquam *organismus distinctus*, ante saec. XIV. non videtur exstitisse, ad varias gratias concedendas sive *exclusive*, sive *cumulative* cum aliis Officiis (praesertim cum Secretaria Brevium), competens fuit: sic dispensationes *matrimoniales* in foro externo dabat aut concessiones *beneficiorum* non-consistorialium, Papae reservatorum (3); insuper dispensationes sive in irregularitatibus sive in aliis legibus Ecclesiae aut concedebat aut praeparabat et R. Pontifici praesentabat.

Datariae praeest unus e Cardinalibus, qui deinceps semper titulum *Datarii* (4) obtinebit; adiuvatur a *Subdatario* et aliquibus *Officialibus*, necnon a *Consultoribus*, quorum munus praecipuum est iudicare de scientia et aliis qualitatibus promovendorum ad beneficia.

411. **Actualis competentia** Datariae ad haec restringitur: « cognoscere de idoneitate eorum qui aspirant ad beneficia non-consistorialia Apost. Sedi reservata; conficere et expedire Apost. litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare

(1) Wernz ib.; Oietti l. c. n. 171.

(2) Const. cit. l. c. n. 3.; *Norm. pecul.* c. IX. art. 1.

(3) Cf. supra n. 263. de reservatione beneficiorum.

(4) Dicebatur *Pro-Datarius*, quia tale officium de se Praelato, non autem Cardinali, competebat. At a tempore Innocentii X. constanter hoc munus obtinebat Cardinalis; immo « tanta fuit excellentia huius Cardinalis, per quem omnes pontificiae gratiae concedebantur, ut *oculus Papae* dictus fuerit ». Oietti l. c. n. 173.

pensiones et onera quae S. Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit » (1).

Nunc per Bullam ab Officialibus Datariae confectam, nunc per simplex decretum, expediuntur concessiones.

III. — De Camera Apostolica

412. **Origo et constitutio.** — Camera Apostolica, quae iam saec. XIII existebat, bona temporalia S. Sedis administrabat et iura pontificii aerarii tuebatur; inde paulatim iurisdictionem valde extensam, tum civilem tum criminalem, obtinuit, praesertim in Statu temporali Rom. Pontificis. Non solum *Camerarius*, qui inde a saec. XV. semper aliquis Cardinalis exstitit (2), sed etiam *Auditor Camerae* iurisdictionem veram et propriam obtinuit, quae ad universalem Ecclesiam in quibusdam causis extendebatur (3). Camerarius simul superintendentiam tum exercitus pontificii, tum castellorum et castrorum obtinuit. Nunc Cardinalis *Camerarius* adhuc adiuvatur per *Vice-camerarium* (qui olim erat simul *Gubernator Urbis*), per *Auditorem generalem* et *Thesaurarium generalem Camerae*, *Praelatos Clericos Camerae* aliosque Officiales.

413. **Hodierna competentia.** — At munera Camerae nunc multum sunt reducta; dicitur quidem in Const. « *Sapienti consilio* » III. 3°.: « Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium S. Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur ». At primo iura temporalia et bona stabilia S. Sedis, ob spoliationem sacrilegam dominii temporalis, nunc fere ad nil reducuntur;

(1) Const. « *Sap. cons.* » III. 2°. 2.

(2) FERRERES, *La Cur. Rom.* n. 1218. Pius IV. in Const. « *R. Pontifex* » vocat Camerae tribunal « reliquis totius Curiae dignius et illustrius ». FERRERES ib. 1216.

(3) Cf. OIETTI l. c. n. 183. Immo Vice-camerarius, Thesaurarius. Clerici Camerae propria tribunalia habuerunt; at iurisdictio eorum non tam late patebat.

praeterea specialis commissio Cardinalium, cui titulus *Coetus Obulo S. Petri administrando praepositus*, tempore Sedis plenae bona administrat. Unde vix, nisi durante vacantia Sedis Apost. hanc curam exercebit Camera, sub ductu Cardinalis Camerarii (1).

Quo tempore etiam Camerarius munera summi momenti exercebit: ipse enim aliquo modo Rom. Pontifici defuncto succedit ad omnem auctoritatem exercendam in Palatio Apost.; mortem Pontificis comprobat et notificat tum populo Romano tum Principibus; invigilat in Conclave praeparandum eiusque libertatem et disciplinam tuendam, in iura et bona S. Sedis defendenda, etc. (2).

VI. — De Secretaria Status

414. **De eius origine.** — Ex praxi R. Pontificum introductum est iam a tempore medii aevi munus alicuius Cardinalis, quem ex intimis suis delectum, tamquam *consiliarium* aut *secretarium* adhibebant; qui saepe ex propria familia Pontificis assumebatur (*Cardinalis nepos*). Ob inconvenientia non pauca nec parva inde orta, suppressi sunt Cardinales nepotes (3), ipsisque substitutus est *Cardinalis Secretarius Status*, qui est vir in quo Papa maximam suam fidem reponit.

Is olim a paucis adiuvabatur, nempe a *Substituto*, qui erat simul *Secretarius cifrae* (i. e. methodi illius signorum secretorum in negotiis politicis secretissimis adhibendorum), et ab aliquibus *Officialibus* et *scriptoribus*.

(1) Cf. Const. « *Vacante Sede* » n. 14.

(2) Const. « *Vac. Sede* » n. 6. 12. sq. 45. sq. etc. Cf. De Luca, *Il Cardinale pratico* cap. 41.; Lector, *Le conclave* praes. c. VIII. p. 259. sq.

(3) Praesertim per Bullam « *Rom. decet Pontificem* » Innocentii XII. 22. Iun. 1692. Iam saec. XVI. exstitit Secretaria Status. Quo magis cessavit munus Cardinalis nepotes, eo magis independens ab eo fuit hoc officium. Cf. Wernz t. II. n. 677.; Ferreres l. c. n. 1251.; Lector, *Le conclave* p. 269. sq.

415. **Hodierna constitutio et munera.** — In posterum autem, ob multiplicata negotia, Secretaria Status *triplicem sectionem* complectetur:

1ª. **sectio,** cui praeest *Secretarius* (aut potius *Pro-secretarius*) *S. C. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, cum aliquo *Sub-secretario*, dicitur *de negotiis extraordinariis,* quia praesertim occupatur circa negotia quae S. Congr. pro Neg. extraord. a Papa committuntur;

2ª. **sectio,** *de negotiis ordinariis*, quam dirigit *Substitutus pro negotiis ordinariis*, simul *Secretarius cifrae*, plurima et magni momenti negotia absolvit: relationes diplomaticas cum Statibus moderatur, cum Legatis principum tractat, Nuntiis instructiones dat eorumque relationes accipit (1). Per eam transeunt nominationes ad quaecumque munia in Curia Romana, aut collationes insignium honoris tum laicis tum clericis, praeter aliqua Antistiti domui pontificali praeposito reservata;

3ª. **sectio,** cui praeest *Cancellarius Brevium Apostolicorum*, expedit Brevia quae sibi a ipso Card. Secretario Status, aut a variis Congregationibus et aliis Officiis Curiae Romanae committuntur.

V. — De Secretariis Brevium ad principes et epistolarum latinarum

416. Suppressa utraque *Secretaria Brevium* et *Secretaria Memorialium*, quarum munia praecipua ad *3ªm sectionem* Secretariae Status transferuntur, manent intactae *Secretaria Brevium ad principes* et *Secretaria epistolarum latinarum*, quarum prima occupatur circa Litteras Apost. ad reges, principes, viros nobiles, et etiam saepe circa encyclicas aut alias litteras ad Episcopos aut populum christia-

(1) Immo quaestiones erectionis aut divisionis dioecesium, provisionis Episcoporum, in regionibus extra Italiam, saltem si habent relationes diplomaticas cum S. Sede, per eam transeunt. Cf. supra n. 363. ubi de S. C. Consistoriali.

num missas, altera circa litteras forma minus solemni scribendas (1).

VI. — De peculiaribus coetibus independentibus

417. Sufficiet, pro intento nostro, indicasse varias commissiones aut coetus, qui in Curia Romana constituti, munia habent quae aliquo modo ad totam Ecclesiam pertinent:

1) *Coetus studiis provehendis S. Scripturae*, seu « *Commissio biblica* », a Leone XIII. 30. Oct. 1902. instituta, ad studia S. Scripturae promovenda et incolumia servanda ab erroribus et opinionum temeritate; huic facta est a Pio X. 23. Feb. 1904. potestas gradus academicos prolytae et doctoris in S. Scriptura conferendi.

2) *Coetus studiis provehendis historiae*; per Leonem XIII. creatus.

3) *Commissio Ecclesiae legibus in unum redigendis*, quae novi Codicis conficiendi a Pio X. Motu proprio « *Arduum sane* » 14. Apr. 1904. munus accepit.

Iam diximus de Coetu pro Obulo S. Petri administrando.

Articulus III

De Legatis Pontificiis

I. De munere Legati in genere

418. **Connexio materiae.** — Postquam de *Cardinalibus* et *Curia Romana* dictum est in Articulo II., nunc ratione optima tractatur de *Legatis*, qui strictiorem nexum cum R. Pontifice habent, eum magis directe repraesentant, et prae ceteris, qui ordinariam iurisdictionem in Ecclesia exer-

(1) Oietti l. c. n. 187. 188.

cent, non exceptis *Patriarchis*, *Primatibus*, *Archiepiscopis*, ampliorem potestatem obtinere solent (1).

Ratio et necessitas talis officii facile patet. Quamvis enim R. Pontifex in regenda Ecclesia universali per varia dicasteria Curiae Romanae adiuvetur, illorum tamen opera totum officium suum implere non potest, at « pastoralis sollicitudo exigit ut a Rom. Pontifice *per regna* et *provincias* destinentur viri idonei, qui, vices supremi pastoris gerentes, auctoritate polleant, causas ecclesiasticas inspiciant, mala cognoscant, atque per fidelem relationem ad Sedem Apost. maturius curare valeant ». (WERNZ t. II. n. 681. I.).

419. **De adversariis.** — Non defuerunt tamen qui, sive *practice* exercitium huius potestatis impedire, sive *theoretice* eam impugnare sategerint.

I. Saepissime enim reges et principes aut Legatos pontificios reiicerunt, aut eos admittere recusaverunt, nisi prius petita et obtenta licentia, aut nisi ex Episcopis propriae ditionis eligerentur (2); immo aliquando a R. Pontifice obtinere conati sunt ut sibi ipsis munus demandaretur huiusmodi delegatos designandi (3).

(1) Cf. supra n. 289.

(2) Sufficiat commemorasse exemplum Henrici VIII., Angliae Regis, qui tam acriter institit, ut Cardinalis Wolsey, Archiepiscopus Eboracensis, legatione fungeretur pro Anglia, cuius Praelati ambitio et callidae artes non parum schismati viam straverunt.

(3) Quod si ipsis regibus munus legati aliquando concessum fuisse dicatur, re melius inspecta, assertum istud falsum esse deprehenditur.

1) Bulla Silvestri II. ad S. Stephanum, Hungariae Regem, a. 1000. concessa, aut *apocrypha* aut saltem *interpolata* est; unde tandem concessio reducitur ad titulum « *Regis Apostolici* » et praerogativam crucis ante regem ab aliquo Episcopo gestatae.

2) At multo gravius negotium facessivit S. Sedi privilegium Rogerio I., Comiti Calabriae et Siciliae, ab Urbano II. a. 1098. concessum. (De quo conf. CAVAGNIS t. II. n. 67.* sq.; WERNZ t. II. n. 688. et eruditum opus clar. SENTIS, « *Die Monarchia Sicula* »); SENTIS praeclare ostendit nequaquam concessas fuisse, per hanc Bullam, Comiti (postea Regi) Siciliae *omnes* facultates *Legati* pontificii, *irrevocabili* modo, immo cum potestate *impediendi*: 1) *missionem* aliorum Legatorum; 2) *recursus ad S. Sedem* sine licentia principis; 3) *executionem rescriptorum* papalium sine Regio Placito. At con-

II. At praeterea inter *Regalistas* et *Gallicanos* non defuerunt viri docti, qui has praetentiones confirmare et probare conarentur, inter quos Marc. Ant. De Dominiis, Richerius, Febronius, Elbel, et sub finem saec. XVIII. quatuor *Metropolitae Germaniae,* quibus Pius VI. celeberrimam suam « *Responsionem* » opposuit (a. 1789.) (1).

Hi quidem a S. Sede potestatem non detrahebant mittendi *ad tempus* et in casibus extraordinariae necessitatis Legatos, etiam iurisdictione praeditos, at « *stabiles nunciaturas*... alienas usurpationes in dioecesium (suarum) regimine » (2) vocabant. Quam potestatem *Gallicani,* saltem moderati, pro sola Gallia ob *speciale ius* et *praerogativas* illius Ecclesiae denegabant, hanc vero Febronius et *Metropolitae,* vi *iuris communis* et ratione ipsius *divinae Episcoporum institutionis,* universaliter reiiciebant. *Regalistae* recentiores, falsum principium *Gallicanorum* de necessario gubernii civilis consensu summo rigore sustinentes, potestatem Legatorum et Nuntiorum ad merum officium *politici* cuiusdam et *diplomatici agentis* reducere vellent; immo aliqui eo usque processerunt ut contenderent, ob suppressam temporalem Pontificis potestatem, *ius activum* et *passivum legationis* Papae cessasse (3).

---

cessiones iam valde amplas, post bellum infaustum a Pontifice extortas, ex insatiabili dominationis siti, ultra omnem modum exaggeraverunt isti principes; quod infeliciter, sub dominatu Hispanorum, Vice-reges Siciliae facere perrexerunt; et ex delegatione regia, clericus aliquis, « *Iudex Monarchiae Siculae* » dictus, hanc usurpatam potestatem exercebat, quamvis Rom. Pontifices semper resisterent. Benedictus XIII. Const. « *Fideli* » a. 1728. pro bono pacis « *Iudicem monarchiae Siculae* » tamquam iudicem delegatum S. Sedis constituit, at sub clausulis et limitationibus, quae ceterum observatae non fuerunt. Tandem Pius IX « *Monarchiam Siculam* » per Const. « *Suprema* » (a. 1864. datam, at tantum a. 1869. publicatam) abolevit, et ipsum gubernium italicum huic abolitioni consensum praestitit.

(1) Pii PP. VI *Responsio ad Metropolit. Mogunt., Trevir., Colon. et Salisburg. super Nuntiaturis Apost.*

(2) Pii VI. *Responsio* cap. VIII. n. 10. Per totum cap. VIII. optime confutantur praetentiones iuri R. Pontificis oppositae.

(3) Cf. apud Giobbio, *Lezioni di diplom. eccles.* t. I. n. 171. sq.; Wernz, t. II. n. 687. not. 38.

Contra hos errores sufficit invocare: 1) intimam *vim* et *naturam Primatus* R. Pontificis, a Concilio Vaticano definiti, cum *suprema, plena, ordinaria* et *immediata* potestate regendi Ecclesiam *universalem*, i. e. societatem illam spiritualem, toto orbe diffusam. Ad quam exercendam debet Papa cum plena independentia communicare posse cum suis subditis et in totum orbem legatos mittere qui eius vices gerant (1);

2) *constantem praxim* Ecclesiae, quae de errore argui non potest;

3) expressas *RR. Pontificum declarationes,* necnon *poenales sanctiones*, quibus huius praerogativae violationem perculerunt (2).

420. **Notae historicae.** — Ab antiquis temporibus sub variis formis occurrunt Legati pontificii:

1) *a latere missi,* ut in gravibus et extraordinariis negotiis, v. g. in Conciliis oecumenicis, vices Pontificis cum auctoritate et iurisdictione gererent (3);

2) *nati,* qui ratione suae sedis stabiliter ipsum repraesentabant (4);

(1) Cf. *Quaest. iur. publ. eccl.:* praes. de *territorio* Ecclesiae p. 68.; contra *Regium Placet* p. 201. sq., etc.

(2) Excommunicatione *lat. sent.* per Const. « *Apostol. Sedis* » ser. I. n. 5. feriuntur: « Interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes.... *Sedis Apost. Legatos vel Nuntios* aut eos a suis... *territoriis*... eiicientes, necnon ea mandantes vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem ».

(3) PHILLIPS, *Kirchenrecht* t. VI § 334. p. 687. Nomen Legati a latere iam saec. IV. occurrit.

(4) Celebres prae ceteris fuerunt *Legati Illyrici.* Archiepiscopos nempe Thessalonicenses constituerunt Papae suos Vicarios pro provinciis *Illyrici Orientalis*, quae regio ad Patriarchatum Occidentalem pertinebat. Iam Damasus (366.-384.) aut saltem Siricius (384.-398.) eos deputaverat, quod successores Siricii usque ad saec. XII. facere perrexerunt. Cf. GRISAR, *Hist. de Rome et des Papes*, t. I. n. 208. sq.

Item Episcopus Arelatensis iam a. 415., ut videtur, et certe inde ab a. 545. per Vigilium et successores eius, Legati pontificii vices pro Galliis agebat. Cf. GRISAR, l. c. et n. 547.; DUCHESNE, *Les origines du culte chrétien*, c. I. p. 38. sq.

3) *modo stabili missi* ad residendum apud principes, sive cum vera iurisdictione, sive ut meri negotiorum gestores; qui saepe *apocrisarii*, seu *responsales* dicebantur (1).

Ob frequentiorem usum Legatorum, qui ad reformationem Ecclesiae Occidentalis, propter negligentiam vel pravitatem pastorum ordinariorum adhibendi fuerunt, inde a saec. XI. et XII. melius distincti et inter se ordinati apparent Legati eorumque potestas magis determinata et clarius expressa in Decretalibus Gregorii IX. et Bonifacii VIII. invenitur (2).

Cum autem non raro contra Legatos *a latere* oppositionem moverent principes, paulatim saepius constituti sunt *Nuntii* qui apud eos residentes, magis similitudinem referebant antiquorum *apocrisariorum* seu *responsalium*: his iurisdictio plus minusve ampla concedebatur.

Immo inde ab initio saec. XVI., pro more principum temporalium, huiusmodi *stabiles Nuntii* in variis aulis regiis constituti sunt.

421. **Disciplina vigens.** — Nunc distingui solent:

1) Legati *oratores*, qui nullam exercentes iurisdictionem, temporanea vel etiam permanente missione a R. Pontifice accepta, quaedam negotia iussu eius absolvunt;

2) Legati *iudices*, qui « in certam provinciam mittuntur cum potestate quadam ordinaria administrandi negotia ecclesiastica ». (WERNZ n. 681. II.). Quae potestas in genere

---

Praeterea idem munus cum potestate plus minusve ampla, variis temporibus varii Episcopi obtinuerunt: in Hispania, Tarraconensis (a. 517.), Hispalensis (520.? 482.?), Toletanus (a. 1088.]; in Gallia, Metensis (a. 844.), Senonensis (a. 876.), Lugdunensis (a. 1097.), Viennensis (a. 1121.), in Germania, Trevirensis (a. 967.), Salisburgensis (a. 973.).

(1) *Apocrisarii* (αποκρίνομαι) seu *responsales*, hi dicebantur qui ad principes mittebantur, ut mandatum R. Pontificis ipsis proponerent et responsum referrent. Qui a medio saec. V. Constantinopoli *permanentem* missionem exercuerunt, at generatim sine *iurisdictione* proprie dicta. GRISAR, loc. c. t. I. n. 237., t. II. n. 542.; WERNZ n. 687.; SANTI, *Praelect. iur. eccl.* in l. I. tit. 30. n. 2.

(2) Tit. de officio legati I. 30. in Decret. Greg. IX., I. 15. in Sexto,

sic describi potest cum SANTI in l. I. tit. 30. n. 7.: « Est ergo officium Legatorum ut supremam in negotiis ecclesiasticis inspectionem exerceant, Constitutionum Apostoli. observationem procurent, abusus cohibeant; mores depravatos et defectus corrigant; tum principum, tum populorum concordiam et obedientiam erga S. Pontificem foveant et ea, quae ad bonum Ecclesiae conducere viderint, S. Sedi referant ».

Legati *iudices* distingui possunt in Legatos *a latere*, Legatos *natos*, Legatos *missos* vel *Nuntios Apostolicos* (cfr. n. 420. init.); de singulorum potestate aliquid est dicendum.

II. De Legatis in specie

422. **De Legatis a latere.** — Tales dicuntur qui *a latere S. Petri* seu *R. Pontificis* assumuntur, i. e. ex numero eorum qui *immediate* Pontifici assistere eumque adiuvare solent (1).

Nunc ex solis Cardinalibus assumuntur, maxima cum solemnitate in Consistorio deputantur et amplissimam iurisdictionem obtinent (2). Nec solet Cardinalis mitti in Legatum nisi cum titulo, dignitate, honoribus Legati a latere; is ostendere pontificias litteras non indiget, cum ipsi *asserenti* fides praestari debeat (supra n. 342.).

Potestas eius his continetur: 1) praeter *iura honorifica* quoad *vestes* et *insignia* (3), potestatem crucem ante se erigendi populumque benedicendi, quibus iuribus ab egressu ab Urbe gaudet usque dum eam denuo ingrediatur;

(1) WERNZ t. II. n. 689.

(2) Nec unquam nunc sine ampla illa iurisdictione mittuntur, ut declaratum fuit Napoleoni III., qui Legatum a latere in Galliam pro baptismo sui filii mitti postulans, eum omnis iurisdictionis expertem optabat. Cfr. BOUIX, *De Cur. Rom.* p. 650.; GIOBBIO l. c. n. 236. not. 1.

(3) Nunc *vestes* illae (rubrae) et *insignia*, quoad omnia fere, sunt omnium Cardinalium communia.

2) obtinet iurisdictionem *gratiosam* erga omnes, ab egressu ex Urbe; scl. a censuris et *poenis* ecclesiasticis sub quibusdam limitationibus absolvere potest (1);

3) in sua provincia *leges* aut *Statuta perpetua* condit, quae tamen iuri communi contraria non sint; — *iudicia* exercet, at nunc (Trident. sess. 24. c. 20. de ref.) in *appellatione tantum*, aut quando Ordinarius *intra biennium* causam non definivit; — *beneficia* confert, tum *concurrendo* cum Episcopo, tum per *reservationem*, sub quibusdam tamen limitibus. Potestatem iudicialem exercere non valet antequam in provinciam advenerit, bene vero alias.

Potestas Legati a latere non extenditur sine speciali mandato R. Pontificis ad *causas maiores* (2), v. g. ad creationem, divisionem. unionem dioecesium, aut Episcoporum translationem, depositionem, restitutionem; nec confert beneficia quae *R. Pontifex* sibi *reservat* (3).

Legatus a latere in sua provincia pro maiore parte temporis residere debet. Eius potestas, utpote *ordinaria*, non cessat per mortem R. Pontificis, at tantum per *reditum* in Urbem *post absoluta negotia*, aut per *revocationem*.

423. **De Legatis natis.** — Eorum potestas olim fere potestatem Legatorum a latere aequabat, relate ad *leges* ferendas et *iudicia* exercenda; at a *censuris* et *poenis absolvere* necnon *beneficia* conferre prohibebantur.

Nunc autem fere ad nil redacta hac potestate, illis vix nisi merus honoris titulus superest.

424. **De Legatis missis et Nuntiis Apostolicis.** — Legati qui olim ad aliquam provinciam mittebantur, quin *de latere* assumerentur et de numero PP. Cardinalium essent, amplam tamen potestatem obtinebant tum *legiferam*, tum

(1) Disputabatur utrum a censuris R. Pontifici reservatis, praeter *percussionem clerici*, a qua certe absolvit, sive provinciales suos sive a fortiori alios sibi non subiectos absolvere ei liceret. Cf. SANTI l. c. n. 8.; WERNZ n. 290. At nunc omnibus Cardinalibus datur haec potestas (cf. supra n. 342.).

(2) **Supra n. 305.-306.**

(3) **Supra n. 263.**

iudicialem in *appellatione; absolvere* poterant a *censuris* et *poenis*, at tantum post adventum in provinciam solosque suos provinciales; *nec beneficia* conferre valebant (1).

Ipsorum potestas, et ipsa *ordinaria*, per mortem Pontificis non exspirabat, nisi data fuisset cum clausula: « *Ad beneplacitum nostrum* ».

His fere successerunt actuales *Nuntii*, quorum tamen minus ampla potestas iurisdictionis in fideles esse solet; maior eorum cura versatur circa relationes diplomaticas, cum guberniis fovendas, ita ut pacem et concordiam inter ipsa et S. Sedem conservent et negotia tractent, quae ex relationibus mutuis utriusque potestatis enascuntur.

Nuntii quidam, apud aulas maiores (scil. Austriae, Hispaniae, olim Galliae, Lusitaniae) (2) residentes, inde avocari non solent nisi ut sacra purpura induantur, (tales aliquando Nuntii *primae classis* dicuntur); alii qui etiam Nuntii dicuntur (*simplices, secundae classis*, v. g. in Belgio, Bavaria) non statim post absolutam missionem Cardinales renuntiantur; tandem sunt *Internuntii* (in Hollandia etc.) et *Delegati Apostolici* (3) (in Statibus Foederatis Americae, in Indiis, Constantinopoli etc.). Nunc hi omnes Archiepiscopi titulares esse solent.

Nuntii nequaquam habendi sunt ut meri Legati *oratores:* nam certe aliquam iurisdictionem in Episcopos et fideles exercent, cuius amplitudo iuxta tenorem *Brevis* quo nominantur est colligenda. Sic eis committi solet *processus informativus* de promovendis in Episcopos, necnon potestas quaedam *dispensationes* concedendi, *appellationes* admittendi, *praecepta* et *decreta* condendi (4).

(1) Cf. Wernz n. 690.

(2) Cfr. Giobbio l. c. t. I. n. 248. sq.

(3) Praeter Delegatos qui magis ad *corpus diplomaticum* pertinent et a Secretaria Status pendent, sunt alii qui a S. C. Consist., alii qui a S. C. de Prop. Fide pendent. Quando versantur in regionibus, quae fideles Rituum Orientalium continent, occupantur tum circa Latinorum regimen, tum circa negotia quae inter S. Sedem et hos Orientales occurrunt.

(4) Wernz t. II. n. 690. VI.; Santi l. c. n. 10.

Singularis est potestas *Nuntii Matritensis*, qui veram et amplam iurisdictionem adhuc nunc obtinet, et iudex in tertia instantia existit. Hanc potestatem, quam a tempore Clementis XIV. per aliquod tribunal sex iudicum exercet (*Rota Hispana*), tum Pius VII. a. 1802., tum Leo XIII. a. 1885. fortiter contra conatus gubernii Hispani vindicaverunt et tuiti sunt (1).

Articulus IV

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis

I. — De origine et potestate antiqua horum Praelatorum

425. **Connexio materiae.** — Post absolutam disputationem de Legatis pontificiis, merito transimus ad Praelatos, inter Rom. Pontificem et simplices Episcopos constitutos, « quibus pariter, extra Curiam Romanam, praeter regimen propriae dioeceseos, vi officii et ratione sedis episcopalis et participatione potestatis pontificiae diversis gradibus, maioritas ordinaria in alios Episcopos stabiliter sive in perpetuum est concessa ». (Wernz t. II. n. 712.).

426. **De origine horum graduum.** — I. Omnes Episcopi, non excepto R. Pontifice, pares sunt *Ordine;* nec inter eos differentia existere potest, nisi accidentalis, in usu *licito* seu legitimo *potestatis* Ordinis.

At non idem dicendum est, si potestas *iurisdictionis* spectetur. Iure quidem *divino,* omnes Episcopi, praeter Rom. Pontificem, in iurisdictione aequales sunt; at in hierarchia iurisdictionis duplex iam existit gradus institutionis divinae: *primatus iurisdictionis* successoris Petri, et *potestas episcopalis*. Praeterea gradus *intermedii* existunt, qui sunt in-

(1) Giobbio l. c. t. I. n. 252. not. 1.; Wernz t. II. n. 683. not. 18. et t. V. n. 104. not. 118.; Ferreres, *La Curia Rom.* n. 991. sq.

stitutionis ecclesiasticae, et quaevis iurisdictio unius Episcopi in alios non est nisi *participatio* quaedam *pontificiae potestatis, expresse* vel *tacite* facta (1).

Cum potestas patriarchalis, primatialis, etc., sit a R. Pontifice, eam potest *ampliare* aut *restringere*, immo sicut ipse *instituit*, ita hos gradus intermedios *tollere* potest.

427. II. Iam a primis Ecclesiae temporibus, differentias inter varios Episcopos, ex parte honoris et iurisdictionis, deprehendimus. Sic invenimus Titum et Timotheum praerogativa superioritatis cuiusdam in alios Episcopos Cretae aut Asiae proconsularis decoratos, sub Apostolorum tamen potestate. Corinthus, Philippi, Ephesus *centra* quaedam aliarum ecclesiarum Achaiae, Macedoniae, Asiae proconsularis exstitisse videntur At non debet *occasio* illarum praerogativarum cum *origine iuridica* earumdem confundi: hinc si Iudaeorum institutiones, provinciarum Romanarum divisiones, etc., *occasiones, externa adminicula, subsidia* praebere potuerunt, nequaquam vera *origo* et *causa* iurisdictionis alicuius superioris exstiterunt (2); quae *origo* ex Ordinatione Apostolorum vel ex legitimis consuetudinibus ab Ecclesia, saltem tacite approbatis, derivanda est.

428. III. Iam in can. 6. Concilii Nicaeni I. (a. 325.), in quo certe antiquior usus refertur, indicantur tres sedes patriarchales (non adhuc *nomine*, sed iam *re*): *Romana, Alexandrina, Antiochena,* et praerogativa quaedam honoris attribuitur Episcopo *Aeliensi* (i. e. Hierosolymitano) (3), qui postea paulatim independentiam a Patriarcha Antiocheno sibi vindicavit et tandem in Concilio Chalcedonensi (a. 451.) dignitatem patriarchalem obtinuit; quam decisionem S. Leo M., etsi ipso invito latam, non rescidit, dum e contra RR. Pon-

(1) At inde non sequitur illam potestatem derivatam a Rom. Pontifice esse mere delegatam, aut vicariam: nam exercetur nomine proprio, vi muneris stabilis, v. g. muneris episcopalis in tali sede principaliori erecti. Cf. supra n. 193.

(2) Quam assertionem pseudo-historicorum bene confutat DUCHESNE, *Les origines du culte chrétien* ed. 2. t. I. p. 29.

(3) KIRCH, *Enchir. fontium hist. eccles. antiq.* n. 366. 367,

tifices, usque ad Concilium Lateranense IV. (a. 1215.), fortiter renuerunt usurpationem dignitatis patriarchalis ab Episcopo Constantinopolitano factam et unitati Ecclesiae tam funestam, confirmare (1). Tunc autem, restitutis in sedibus antiquis, tempore sacrarum expeditionum (quae vulgo *Crociate*, *Croisades* dictae sunt), Patriarchis ritus latini, Ecclesia Occidentalis solemniter confirmavit quinque Patriarcharum gradationem (2). At patriarchatus isti, denuo destructi, in merum titulum honoris restituti sunt, qui a Rom. Pontifice Praelatis quibusdam in Urbe residentibus confertur; Patriarcha tamen Hierosolymitanus (ritus latini) iam ab a. 1847. iterum Hierosolymis residet cum iuribus Metropolitae.

429. IV. Minori potestate praediti quam Patriarchae, ampliori autem prae ceteris Episcopis, apparent alii Praelati, qui iam can. 6. Concilii Nicaeni I. insinuantur, et expressis verbis in Conc. Constantinop. I. designantur: hi nempe qui *dioecesibus* Thraciae, Asiae proconsularis, Ponti, praeerant (Heracleensis, Ephesinus, Caesariensis) (3); eam-

(1) Praetentionem Episcopi Constantinopol. iam in can. 3. Conc. Constantinop. I. (a. 381.) et in can. 28. Conc. Chalcedon, (a. 451.), (cf. KIRCH l. c. n. 584. 868). iterum Graeci in Conc. Trullano (a. 692.) (KIRCH l. c. n. 988.) et in Constantin. IV. (a. 869.) approbaverunt; post exstinctionem fere totalem ceterorum Orientalium patriarchatuum ob Arabum invasionem facilius adhuc hanc praerogativam sibi arrogaverunt.

(2) « Post. Rom. Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtinent, servata cuilibet propria dignitate » (Cap. 23. X. de privilegiis V. 33.).

De origine patriarchatuum *Alexandrini* et *Antiocheni* cfr. GRISAR, *Hist. de Rome et des Papes au Moyen Age* trad. LEDOS t. I. n. 206., ubi praeclare ostendit quomodo multo melius fundata etiam *historice* appareat explicatio, quam iam tradebat S. Damasus (apud MANSI, *Concilia* t. VIII. p. 158.) suprematiam illarum ecclesiarum prae ceteris omnibus repetendam esse ex strictiore dependentia a Petro, et consequenter ex intimiore unione cum Sede Romana.

(3) Cf. DUCHESNE l. c. c. I. p. 18.; KIRCH, *Enchirid.* n. 583.

dem fere et forte superiorem potestatem in Africa Septentrionali obtinuit *Primas* Carthaginiensis (1).

In Occidente potius ex *expressa* R. Pontificis *deputatione*, qui aliquos Episcopos in suos Legatos constituit, quam ex *consuetudine* postea approbata, derivanda est potestas *exarchalis* seu *primatialis* in plures provincias et plures Metropolitas. Inde paulatim orta est auctoritas et munus « Legati nati » (2).

430. V. *Metropolitae*, i. e. praesules metropolis, qui iam in can. 3. Conc. Nicaeni I. commemorantur (3), certe ante ipsum existebant, et saltem saec. IV. ius metropolitae alicui sedi modo fixo annexum erat. In Occidente, initio potius antiquior ex Episcopis provinciae iura Metropolitae in comprovinciales exercuisse videtur (sic in Africa et probabiliter alibi, v. g. in Hispania); at saec. V. ius annexum fuit sedi. Medio aevo, ob abusus et negligentiam Metropolitarum, quos frustra ad officium suum diligenter implendum S. Sedes revocare conata erat, paulatim restricta est eorum potestas, quae valde ampla et canonibus antiquis sat accurate determinata existebat.

431. VI. Potius *Primatibus* vel *Metropolitis* adcensendi sunt *Patriarchae* illi (*minores*) qui in Occidente exstiterunt. Iam saec. VI. commemoratur patriarchatus *Aquileiensis*, qui a. 1751. suppressus est; saec. VIII. *Gradensis*, qui Venetias a. 1451. translatus est; *Ulyssiponensis* a. 1716. fuit erectus; *In-*

(1) Cf. GRISAR l. c. n. 208. de Carthaginiensi Episcopo, iam a saec. III. partes Primatis pro Africa Septentrionali agente, sub dependentia Papae; Mediolanensis ecclesia saec. IV., Aquileiensis saec. V. provinciarum ecclesiasticarum metropoles existunt. Cf. DUCHESNE l. c. p. 30. sq.

(2) Cf. supra n. 420. Primatibus ibi nominatis addere sufficiat: in Anglia, *Cantuariensem* et *Eboracensem;* in Hibernia, *Armacensem* (ante a. 1174.); in Germania, *Moguntinum;* in Italia, *Pisanum* et *Salernitanum*. Archiepiscopus *Strigoniensis* (Gran) iam a fine saec. XIV. in Primatem et Legatum natum pro regno Hungariae approbatus, a Nicolao V. a. 1451. confirmatus, solus nunc in Occidente potestatem *effectivam* Primatis retinet, et constituit pro Hungaria tribunal tertiae instantiae super Metropolitas. Cf. SCHERER, *Handb. d. KR.* t. I. p. 541. not. 39. 40.

(3) KIRCH l. c. n. 366.

diarum Occidentalium a Paulo III. pro Capellano maiore Regis Hispaniarum, *Indiarum Orientalium* a. 1886. a Leone XIII. pro Archiepiscopo Goensi pro tempore creatus est.

Patriarchatus actuales sex minores *Rituum Orientalium* originem habent aut ex nucleo fidelium, qui constanter rectam fidem retinuerunt, aut ex conversione aliquorum Episcoporum horum Rituum, quorum uni, inter ceteros eiusdem ritus, titulus Patriarchae cum iuribus plus minus amplis concessus fuit. Sunt nempe Patriarchae *Graeco-Melchitarum*, *Maronitarum*, *Syrorum*, qui omnes nomen Patriarchae *Antiocheni* obtinent, praeterea *Ciliciae Armenorum*, *Babyloniae Chaldaeorum*, *Alexandriae Coptorum* (1).

432. **Iura antiqua Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum.** — I. **Patriarchae,** quorum tamen potestas non ubique aequalis fuit, vigilantiam exercebant in totam regionem sibi commissam quae solebat dici *dioecesis* (2); — *confirmabant* et *consecrabant Metropolitas*, a comprovincialibus Episcopis electos; — *Concilium* Episcoporum suae ditionis *convocabant* eique *praesidebant*; — *appellationes* ex omnibus provinciis suae iurisditionis accipiebant, salvo iure recursus ad S. Sedem; — ubique ante se *crucem deferebant*, nisi in Urbe Roma aut praesente R. Pontifice eiusve Legato insigniis suae dignitatis induto; — *monasteria* erigebant et per *stauropegiam* (i. e. plantationem crucis in aliquo loco) illum locum aut monasterium *independens* ab Episcopo loci sibique directe subiectum efficiebant.

II. **Primates** aut **Exarchae** iura quaedam in omnes Metropolitas suae regionis exercebant, sub Patriarcha, si

(1) Maronitae contra Nestorianos et Eutychianos constanter restitisse gloriantur. (Cf. PHILLIPS, *KR.* t. II. § 71. p. 59.). Chaldaei sub Iulio III., Graeco-Melchitae initio saec. XVIII., Graeco-Syri et Armeni, saltem sub Benedicto XIV., patriarchas a S. Sede agnitos habent; patriarchatus Coptorum a. 1895. restitutus est.

(2) Quae divisio *civilis* in Oriente cum quinque dioecesibus Ponti, Asiae, Thraciae, Orientis, Aegypti, respective cum metropoli: Caesarea, Epheso, Constantinopoli, Antiochia, Alexandria, in Conc. Constantinop. I. a. 381. ut divisio *ecclesiastica* admissa apparet. DUCH. ed. 2. c. I. p. 19.

quis esset, secus independenti modo, at sine nomine Patriarchae minorique extensione.

Praesertim ad ipsos pertinebat: *confirmare* et *consecrare Metropolitas* et *Episcopos* suae provinciae; — eos ad *Synodos* regulares aut extraordinarias *convocare;* — *appellationes* a sententiis Metropolitarum accipere; — *reges*, si qui in hac regione consecrandi erant, *consecrare.* — *Crucem* ante se in tota sua ditione *erigebant.*

III. **Metropolitae,** ubi a Primate independentes erant, *confirmabant* et *consecrabant* Episcopos comprovinciales, secus saltem in *electionibus* eorumdem interveniebant; — eos in *Synodos convocabant* (quod ius adhuc servant, sicut et ius appellationes ab eorum sententiis admittendi); — *iudicabant* causas contra ipsos tum criminales tum civiles [1]; — ab eis exigere poterant *promissionem obedientiae* canonicae et accessum ad ecclesiam metropoliticam statis temporibus, etiam extra Synodos provinciales; — *consensus* eorum ad *alienationem* bonorum a Suffraganeis faciendam praerequirebatur.

II. — De hodierna potestate Patriarcharum etc.

A) Hodierna disciplina relate ad Patriarchas, Primates

433. **Designatio** eorum eodem iure, pro variis regionibus, regitur ac Episcoporum simplicium; scl. iure communi R. Pontifici reservatur; iure particulari habetur electio, praesentatio aut nominatio, accedente confirmatione a R. Pontifice [2].

[1] Nunc causae *criminales* Episcoporum saltem *maiores* (Trid. sess. 24. c. 5. de ref.), *practice* etiam *minores*, necnon *civiles*, S. Sedi reservantur. Cf. WERNZ t. II. n. 724. et not. 154.; t. V. n. 297. et n. 393. not. 20.; cf. supra n. 305. cum nota. *Practice* saltem, censuras contra suffraganeos ferre nequeunt, cum istae gravem culpam exigant, de qua cognoscere nequeunt Metropolitae.

[2] Sic Patriarchae *Armenorum* et *Chaldaeorum* a solis Episcopis patriarchatus electi, a Papa confirmationem electionis et *pallium latinum* ob-

Patriarchae latini sedium Orientalium libere a Papa nominantur (1).

Potestas Patriarcharum fere ad potestatem *metropoliticam* reducitur et, si quid amplius obtinent, v. g. quoad confirmationem Episcoporum, id ex *speciali iure* cuiusvis sedis patriarchalis est eruendum.

Primates nunc, si excipiatur Strigoniensis, nullam *specialem* potestatem prae Metropolitis ceteris habent. Ipsi tamen concessum fuit in Concilio Vaticano, at sine praeiudicio pro tempore futuro, ut post Patriarchas sederent, qui et ipsi statim post Cardinales sedem obtinuerunt (2).

B) Disciplina vigens relate ad Metropolitas

434. **I. De designatione** personarum idem dicendum est ac pro Patriarchis et Primatibus.

II. **Potestas** Metropolitae, quae prae antiqua non parum imminuta apparet, sequentibus adhuc continetur:

1) *Synodum provincialem convocare* potest (immo et *debet* singulis trienniis) (3), eam *dirigit* eiusque *decreta*, post revisionem a S. C. Concilii factam, *promulgat.*

2) Excipit *appellationes* a sententiis *iudicialibus* aut etiam *extraiudicialibus* (sed tunc ordinarie cum solo effectu *devolutivo*) suorum Suffraganeorum (4); at causas in 1ª instantia tractandas ad se avocare nequit, nisi Ordinarius intra biennium a mota lite sententiam definitivam ferre neglexerit.

---

tinent, Patriarcha *Coptorum* a R. Pontifice eligitur ex tribus ab Episcopis patriarchatus praesentatis.

Pro ceteris Patriarchis Orientalibus servatur interim ius antiquum et consuetudines saltem toleratae. WERNZ t. II. n. 753.

(1) Cf. supra n. 427.; WERNZ t. II. n. 720.

(2) SCHERER l. c. § 88. not. 37.

(3) At cf. infra in appendice huius Part. II. n. 542, de actuali disciplina quoad Concil. provinc.

(4) Si Episcopus egerit tamquam *delegatus* S. Sedis, aut si *suspensionem ex informata conscientia* pronuntiaverit, ad S. Sedem solam patebit *appellatio* aut *recursus*. Cf. de hac susp. *Quaest. select. e t. II.* n. 113.

3) *Visitare* potest *dioecesim* Suffraganeorum, at sub duplici conditione: *a*) quod ipse suam integre visitaverit; *b*) quod occurrat causa in Synodo provinciali cognita et approbata (1). Quando visitat, eadem iura exercet ac Episcopus proprius.

4) *Negligentiam* supplet: *a*) Episcopi Suffraganei, in conferendis beneficiis, si ultra tempus distulerit (2), aut in absolvendis a censuris, si negligens fuerit; — *Capituli* cathedralis, si post mortem Episcopi intra octo dies Vicarium capitularem non elegerit.

5) Ipsum Tridentinum praecepit: ut Metropolita corriperet et cogeret Suffraganeum in erectione et conservatione Seminarii negligentem; — ut denuntiaret Suffraganeum ultra annum a dioecesi illegitime absentem (3).

435. III. **Iura honorifica et liturgica** Metropolitarum sunt fere sequentia:

1) In tota provincia sua *praecedentiam* habent prae omnibus, praeter S. R. E. Cardinales aut Legatos pontificios.

2) *Crucem archiepiscopalem* ante se ferri iubent, et *Missam* in *insigniis pontificalibus* celebrare et *benedictionem dare* possunt in tota provincia; necnon *indulgentiam*, olim 40. nunc 100. dierum (ex concessione Pii X. 18. Aug. 1903.), largiri possunt, probabiliter etiam extra casum quo provinciam visitant (4). At alias pontificias functiones sine licentia Episcopi loci exercere nequeunt, qualis est Ordinum collatio, ecclesiarum aut campanarum benedictio (5).

3) *Pallio* uti possunt in tota provincia, sub limitationibus infra indicandis. Cum a pallii receptione multiplici ratione pendeat exercitium potestatis Metropolitae, aliquid

(1) Trid. sess. 24. c. 3. de ref.

(2) Cf. supra n. 265.

(3) Conc. Trid. sess. 23. c. 13., sess. 6. c. 1. de ref. Cfr. WERNZ n. 724.; SÄGMÜLLER, *KR.* § 93. de aliis iuribus Metropolitae.

(4) WERNZ n. 724. 725.

(5) Hoc *deducitur* ex Tridentino sess. 6. c. 5.; sess, 14. c. 2. de ref.

dicendum est « *de auctoritate et usu pallii* » (ut fert rubrica tituli 8. l. I. Decretalium Gregorii IX.).

IV. De auctoritate et usu pallii.

436. **Quid sit pallium?** — *Pallium* (olim *omophorion* dictum) est *fascia*, circiter tres digitos lata, ex *lana alba* confecta, *sex* nigris sericis *crucibus* ornata, in forma *circuli* humeros constringentis, cum *duabus lineis* seu fasciolis, quarum anterior ante pectus, posterior infra humeros dependet (1).

437. **Pallii origo.** — De pallii *origine* multum disputatum fuit et res adhuc sat confusa manet: alii eam repetunt, ex *superhumerali loro*, « quod imperiale circumdare assolet collum » (c. 14. § 2. D. 96, seu Pseudo-donatio Constantini); — alii ex *pallio S. Petri*, quod in ecclesia Romana conservatum fuisset; — aut ad similitudinem *superhumeralis* sacerdotis magni Veteris Legis. At haec potius sunt ingeniose excogitata quam aliqua ratione cogente nixa. *Probabilius*, sicut et aliarum vestium liturgicarum, ita et pallii origo a vestibus, primis temporibus aerae christianae usitatis, est repetenda; potius ergo ex illo *loro* seu *fascia* derivatum est, quam viri nobiles in magnis festivitatibus deferre solebant (2).

Temporibus antiquioribus in Oriente omnes Episcopi in Missarum celebratione *pallium* seu *omophorion* deferebant, qui usus etiam in quibusdam regionibus Occidentis, v. g. in Africa, obtinuisse videtur, in aliis non. Quod autem saec. IV. et sequentibus RR. Pontifices facere consueverunt, scl. *proprium pallium* alicui Episcopo tradere, paulatim in stabilem praxim transiit, ita ut certis Episcopis, superioritate aliqua in ceteros praeditis, concederetur, v. g. Metropolitis, Vicariis Apostolicis, etc.

(1) Ex lana duorum agnorum, qui die 21. Ian. in ecclesia S. Agnetis benedicuntur, conficiuntur pallia, quae in vigilia SS. Apost. Petri et Pauli a R. Pontifice benedicta, ad sepulcrum S. Petri asservantur: hinc dicuntur *de corpore S. Petri* assumi; Cf. BARGILLIAT, *Prael. iur. can.* t. I. n. 529. — De antiquioribus imaginibus pallii et de primis concessionibus a R. Pontifice factis cf. GRISAR, *Hist. de Rome et des Papes* trad. LEDOS t II. n. 333.

(2) Ita GRISAR, DUCHESNE et alii quibus consentit WERNZ n. 726. III.

Aliquibus Episcopis, sive ratione sedis, sive intuitu personae, nunc concedi solet pallium; at isti nec a subordinatione erga Metropolitam eximuntur, nec inde ullam *praecedentiam* aut ampliorem iurisdictionem obtinent (1).

438. **Pallii significatio.** — Duplex est pallii, prout nunc in Ecclesia Latina concedi solet, significatio: 1) *officium pastoris* indicat (2); 2) *potestatem* aliquam *supra-episcopalem,* seu *participationem potestatis* iurisdictionis primatialis *R. Pontificis:* unde ne titulum quidem Archiepiscopi aliquis sibi insumere deberet ante pallii susceptionem, « in quo pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur ». (Innoc. III. cap. 3. h. t. I. 8.).

439. **Pallii collatio.** — Pallium in Consistorio secreto ab ipso Archiepiscopo aut eius procuratore *instanter*, *instantius, instantissime* peti debet (3), ex qua insistentia manifestatur *magnitudo honoris* ipsi concessi et *potestatis* cum pallio connexae. Immo iam *intra tres menses* a die consecrationis episcopalis (aut confirmationis, si iam Episcopus esset), novus Archiepiscopus ipsum petere debuit.

Ab antiquiori Cardinali Diacono imponitur novo Archiepiscopo, aut, si absit, procuratori eius datur. Antequam conferretur, professio fidei emittenda fuit cum promissione obedientiae R. Pontifici, iuramento confirmata.

Cum pallium *personae* quidem detur, at *intuitu iurisdictionis* in aliquam *provinciam,* qui illud accepit nec alteri illud *commodare,* nec moriens *legare* potest, at cum ipso sepelitur. Et si ad aliam sedem metropoliticam transfertur,

(1) Bened. XIV. *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 15. n. 10.; Bargill. l. c. n. 529.

(2) « Pallium enim ex lana contextum, ovis illius quam Dominus aberrantem quaesivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem significat, ut Episcopus, qui Christum ipsum gerit, ipsius munere fungatur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendat, se boni ac magni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit ». (Litt. Pii VI. 9 Dec. 1783.) Cf. Bargilliat l. c. n. 529.

(3) Cf. can. 2. Dist. 100.

pallium denuo petere debet, et cum utroque sepelitur, ultimo indutus, priori sub eius capite reposito (1).

440. **De usu pallii.** — R. Pontifex, *semper* et *ubique* intra Missarum solemnia aliasque functiones, cum episcopalibus ornamentis peragendas, pallio utitur; « alii autem eo nec semper nec ubique, sed in ecclesia sua, in qua iurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis » (2).

« *In ecclesia sua* » intelligitur pro Metropolitis in omnibus ecclesiis suae provinciae, etiam exemptis, at nec extra provinciam nec extra ecclesiam, absque speciali Indulto.

Ante pallii susceptionem, nequit Metropolita graviora suae iurisdictionis (etiam *mere episcopalis,* non tantum *metropoliticae*) officia exercere (3): sic nequit Episcopos consecrare, Ordines conferre, Synodum provincialem convocare, Suffraganeorum dioeceses visitare: uno verbo ea exercere nequit, quae sive intra sive extra Missarum solemnia cum insignibus pontificalibus peraguntur, aut quae adnexam Missae solemnis celebrationem habent.

At inde non sequitur ipsum iurisdictionem metropoliticam nondum obtinere: potest ergo tum ea agere, quae pallii gestationem non requirunt (4), tum etiam alium *delegare* ad alia saltem plura, quae per se exercere nequit.

(1) Wernz n. 726. v. f.

(2) Ita Innoc. III. in cap. 4. h. t. I. 8. Cf. *Pontificale Rom.* tit. de pallio; Oietti, *Synops.* v. *Pallium.*

(3) Cf. Pirhing in h. t. cap. 11. n. 334.

(4) Potest v. g. Sacramentum Confirmationis conferre, Missam pontificalem celebrare, quibus diebus interdicitur usus pallii; immo convocare et celebrare Synodum dioecesanam, quod aliqui negant, at immerito. Cf. infra n. 461.

Articulus V

De Episcopis

I. Notiones

441. **Definitio et divisio.** — Episcopus est Praelatus ecclesiasticus, ordine episcopali, i. e. plenitudine sacerdotii, insignitus, cui vi officii a Christo ipso generice instituti, competit perfecta iurisdictio fori interni et externi in fideles alicuius particularis dioecesis (1).

Sunt Episcopi: 1) *dioecesani* seu *residentiales*, qui aliquam dioecesim reapse gubernandam habent; et *titulares*, qui nullam habent; olim dicebantur « *in partibus infidelium* », nunc semper *titulares* (Leo XIII a. 1882.) (2);

2) *regulares* aut *saeculares*, prout e clero regulari aut saeculari assumuntur;

3) *suffraganei*, qui alicui Metropolitae sunt subiecti et *suffragium* dant in Concilio provinciali; aut *exempti*, qui directe et immediate S. Sedi sunt subiecti;

4) *auxiliares*, vel *coadiutores*, vel *vicarii in pontificalibus*, quibus aliqua dioecesis assignatur, ubi Episcopo dioe-

(1) Nomen Episcopi (ἐπισκοπός), i. e. inspector, praefectus, praeses, designat illum, qui invigilandi ius et obligationem habet. « Altior (in ecclesia) locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant et tamquam custodiant populum » (S. August., *Enarr. in Psalm. 126.* Migne *P. L.* t. 37. col. 1669.).

(2) Antiquitus Episcopi ad aliquam determinatam partem gregis christiani assumebantur: inde mos invaluit ut hi etiam, quibus nullus grex regendus committebatur, *titulum* obtinerent antiquae cuiusdam dioecesis, in qua fideles non amplius inveniuntur, aut ita pauci vel dispersi sunt, ut per hierarchiam regulariter constitutam non regantur. Cf. Bened. XIV, *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 8. n. 12. Aliquando tamen inveniebantur quidam Episcopi sine ullo *titulo* consecrati, et adhuc inveniuntur aliqui. Cf. *Annuar. pontif.* 1914. p. 284.; Wernz t. II. n. 730. not. 17.

cesano adsistunt, sive in ea administranda, sive saltem in pontificalibus exercendis: hi sunt simul Episcopi *titulares*.

442. **De munere et potestate Episcopali in genere.** — Episcopi successores sunt Apostolorum, superiores presbyteris non solum potestate Ordinis sed etiam iurisdictionis ([1]). Et haec iurisdictio Episcoporum est iuris divini, quatenus *praeceptum generale* datum est a Christo « Apostolis et praecipue S. Petro eiusque successoribus.... *ut crearentur Episcopi*, qui tamquam principes et *pastores ordinarii* sub supremo pastore regerent Ecclesiam ». (WERNZ n. 731.)

At maxima existit differentia inter potestatem iurisdictionis R. Pontificis et Episcoporum: ille enim, vi *institutionis Christi, certam* et *immutabilem* potestatem obtinet, cui *omnes fideles* et *omnia negotia* spiritualia *directe* (alia negotia *indirecte,* pro necessitate finis spiritualis) subiiciuntur; Episcoporum iurisdictio hoc tantum sensu *institutionis* est *divinae,* quod communi modo Pontifex Episcopos in partem sollicitudinis suae adhibere debeat, ad regendum sub se Ecclesiam cum potestate *ordinaria*, *immediata, perfecta* etiam quoad forum *externum.* At talis potestas iure divino determinata non est quoad *personas* tales vel tale *territorium,* nec etiam nisi *generatim* tantum, circa *actus* et *materias:* R. Pontifex eam amplificare aut restringere potest, dummodo maneat potestas *substantialiter* perfecta etiam in foro externo (legifera, iudiciaria, coactiva); insuper ad ipsum pertinet, vi *monarchicae* constitutionis Ecclesiae, alicuius Episcopi in specie officium erigere « nisi huiusmodi potestatem ex *tacita* vel *expressa* concessione, *mediate* per alios Praelatos ecclesiasticos velit exercere aut ipsi potestati civili partes quasdam per consensum interveniendi tribuat ». (WERNZ n. 233.) ([2])

([1]) Sicut tenet *vera* et *catholica* doctrina, quae ex c. 4. et can. 7. sess. 23. Conc. Trid. habetur. WERNZ t. II. n. 731.; WILMERS, *De Christi Eccles.* prop. 56.

([2]) Cf. supra n. 211. 233. 240. sq. de erectione officiorum, de electione, nominatione etc.

II. — De Episcoporum obligationibus et potestate in specie.

443. Ubi de obligationibus beneficiatorum in specie actum est (1), plura praeoccupavimus quae hic aut revocanda tantum sunt aut ad materiam praesentem applicanda.

Tenentur Episcopi, pro modo in superioribus indicato, ad professionem fidei emittendam, officium divinum recitandum, reditus superfluos in causas pias expendendos. Debent etiam pro dioecesanis Missam celebrare diebus dominicis aut festis olim de praecepto (etiamsi nunc suppressa sint).

A. Obligatio residentiae.

444. Obligatio *residentiae*, quam supra n. 277., inter obligationes *communes* beneficiatorum recensuimus, quatenus est *absoluta* et *stricta*, probabilius ne pro Episcopis quidem e iure divino, at e solo iure ecclesiastico, repetenda est.

Quae obligatio Episcoporum denuo inculcata est a Conc. Trid., quod declaravit eos ad continuam commorationem in dioecesi teneri; immo eosdem admonuit et hortatum est ut prope suam ecclesiam cathedralem invenirentur tempore principaliorum festorum, nisi episcopalia munia eos alio in dioecesi detinuerint (2).

Ibidem constituit S. Synodus quaenam *causae* et *formalitates* exigantur ut Episcopus a sua dioecesi abesse possit, quae diversae erunt, prout de *breviori* aut *longiori* absentia agetur.

Quamvis enim desint graves illae causae, quae statim indicabuntur, permittitur Episcopus aliquamdiu quotannis abesse; at statuitur: « absentiae spatium singulis annis sive

(1) Supra n. 272. sq.
(2) Sess. 23. c. 1.

continuum sive interruptum... nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere et haberi rationem ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento » (1). Iudicium de sufficientia causae, v. g. iustae relaxationis necessitas, conscientiae Episcopi relinquitur; nec approbatione ullius indiget; at talis absentia coniungi non debet sive cum absentia anni praecedentis sive cum alia necessaria absentia, nec ab uno ad alium annum differri potest.

Longioris absentiae causae in cit. cap. 1. recensentur: *christiana caritas* (v. g. adiutorium Episcopo vicino praestandum); *urgens necessitas* (velut sanitas recuperanda, periculum Episcopi personale, non generale gregis, cui e contra subvenire deberet); *debita obedientia* (v. g. ad assistendum Concilio oecumenico aut provinciali); *evidens ecclesiae* (universalis aut propriae) *vel reipublicae utilitas* (velut ad pacem componendam) (2).

Episcopus, qui sine debita licentia abest, incurrit poenas ab eodem Concilio statutas (eod. cap. 1. sess. 23., quo videtur abrogata dispositio cap. 1. sess. 6. de ref.); amittit nempe fructus sui beneficii pro rata absentiae (3), ita ut eos non faciat suos et in conscientia pauperibus vel fabricae ecclesiarum erogare teneatur.

Metropolitanus debet Suffraganeum, qui ultra annum abest, S. Sedi denuntiare, Metropolitanum vero antiquior ex Suffraganeis, dummodo ipse legem residentiae observet (sess. 6. c. 1. de ref.).

(1) Trid. l. c.

(2) At etiamsi una ex praedictis causis adsit et nisi urgeat ratio, licentia est in antecessum petenda; iuxta Trid., a Metropolita, si agitur de Episcopo, si de Metropolita ab antiquiore Suffraganeo residente; Urbanus VIII. potestatem absentias illas permittendi reservavit S. C. Super Residentiam Episcoporum ad hoc institutae; nunc conceditur licentia per S. C. Consist., quae in *Congressu* eam dare solet. Cf. supra n. 363.

(3) Vi cap. 1. sess. 6. si sex menses aberat, quartam partem fructuum amittebat; si sex alios menses, aliam quartam partem; nunc tres quartas partes amittet (cum ius habeat per tres menses abesse).

B) Visitatio ss. Liminum (1).

445. Obligatio visitandi ss. Limina Apostolorum, scil. in Urbem statis temporibus se conferendi, consuetudine paulatim inducta est. Episcopis Urbi vicinioribus *annuatim*, aliis, v. g. Siciliae, singulo triennio, omnibus tandem intra determinatum tempus per se aut per nuntium haec visitatio imposita est, quae in Decretalibus Gregorii IX. sub forma iuramenti ab Episcopis in consecratione praestandi inculcatur: « Limina Apostolorum singulis annis aut per me aut per certum nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia » (2).

Cum autem nunc severius nunc remissius eius dispositionis observatio exigeretur, Sixtus V. denuo totum negotium accurate determinavit, per Const. « *Romanus Pontifex* » 20. Dec. 1585. varias temporis periodos constituens, intra quas Episcopi variarum regionum Romam se conferre tenerentur. Periodi a die 20. Dec. 1585. currebant; pro varia distantia respective 3. 4. 5. 10. anni statuebantur (3). Benedictus XIV. obligationem ad Praelatos *Nullius* extendit. Episcopi *titulares*, qua tales, non tenentur, bene vero si territorium regendum habent, v. g. si sunt Vicarii Apostolici; qui tamen, si in locis Missionum degunt, a S. C. de Prop. Fide generali modo licentiam obtinent ut *procuratorem* suo loco mittant (4).

Per recens decretum S. C. Consist. « *A remotissimo* »,

(1) Cf. Lucidi, *De visit. ss. liminum*, quod opus in materia praesenti est classicum; Cf. quoque Cappello, opus mox citandum. Bened. XIV, *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 6.

(2) Cap. 4. X. de iureiur. II. 24.

(3) Episcopi Italiae et insularum vicinarum, tertio quoque anno; Angliae, Belgii, Galliae, Germaniae, Hispaniae etc., quarto; regionum ceterarum Europae ultra mare Germanicum et Balticum, quinto; reliqui omnes decimo quoque anno.

(4) Wernz t. II, n. 760. et not. 172.

Pius X. 31. Dec. 1909. (1) disciplinam a Sixto V. introductam mutavit, statuens *omnes* Episcopos ad offerendam relationem de statu suae dioecesis quinto quovis anno teneri et eodem anno ad praestandam visitationem (2): qui tamen extra Europam constituuntur, decimo tantum anno visitabunt, servata obligatione relationis quinquennalis. Pro territoriis S. C. de Prop. F. subiectis nil fuit mutatum. Periodus initialis a die 1. Ian. 1911. incepit, assignato singulis regionibus uno e quinque annis sequentibus.

Ordo, huic decreto adiunctus, puncta indicat de quibus in relationibus agendum est, et quidem in prima Episcoporum relatione de singulis respondendum erit, postea sufficiet indicare quae nova erunt et rationem reddere de executione monitorum et mandatorum, quae S. C. Consist. in responsione ad relationem praecedentem significaverit (3).

In visitatione Episcopus tria praestare debet: 1) Basilicas SS. Petri et Pauli devote visitare; — 2) obedientiam et reverentiam Smo Pontifici exhibere; — 3) dictam relationem S. C. Consist. tradere (4).

C) De gubernatione dioecesis

446. Episcopo constituti sunt *doctores, pastores, rectores* suarum ovium; ut *doctores,* debent « sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere » (5); ut *pasto-*

(1) *Act. Apost. Sed.* t. II. p. 13. sq. Cf. CAPPELLO, *De visitat. SS. Liminum et dioeceseon*, quo opere amplam et accuratam commentationem decreti tradit.

(2) « Vel ipse per se, vel per Coadiutorem, aut Auxiliarem Episcopum.... vel iustis de causis a S. Sede probandis per idoneum sacerdotem, qui in eadem dioecesi stabilem commorationem habet » (Const. cit. can. 4.).

(3) Const. cit. can. 3.

(4) Olim S. C.ni Concilii tradebatur, quae eam per specialem Congr. *Super statu Ecclesiarum* examinabat; nunc S. C. Consist. offertur. Episcopi, S. C. de Pr. F. subiecti, relationem huic S. C. tradere pergunt.

(5) Trid. sess. 24. c. 3. de ref.

res, fideles suos a periculis praeservare, eorumque pietatem et sanctitatem promovere per exemplum suae vitae, orationem, S. Sacrificii oblationem Sacramentorumque collationem; ut *rectores,* exerceant erga ipsos oportet varias potestates, quae in munere episcopali continentur: legiferam nempe, administrativam, iudiciariam, coactivam.

1) Officium doctoris

Munus doctoris praesertim per *praedicationem* et curam *instructionis catecheticae* exercebitur.

447. A) Tenetur Episcopus *per se* aut, si legitime impeditus fuerit, *per alios idoneos praedicare,* « saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis » ([1]), tempore autem Quadragesimae et Adventus, quotidie aut saltem ter in hebdomada, si opportunum iudicaverit; et curabit ut parochi idem faciant per se aut, si legitime impediti fuerint, per alios, suis expensis; negligentes monere, stimulare, coercere per censuras aut alia media efficacia debebit ([2]).

448. B) Praeter *praedicationem,* ad instructionem religiosam fovendam, invigilandum est Episcopis ut omnes fideles, maxime vero pueri, doctrinam christianam modo congruo edoceantur; et ad eos pertinet tum executionem praescriptorum Conc. Trid. (sess. 24. c. 4. de ref.) et recenter Pii X. Encycl. « *Acerbo nimis* » urgere ([3]), tum religiosam instructionem in omnibus scholis curare: unde Episcoporum est vigilare in doctrinam christianam ibidem tradendam, et

([1]) Conc. Trid. sess. 24. c. 4.; cf. sess. 5. c. 2. de ref.

([2]) De praedicatione agendum erit ex professo in t. II. ibique examinandum quis praedicare *debeat* aut *possit,* qua licentia instructus sit oportet. Ipsi Regulares licentia Episcopi indigent ut in *ecclesiis non suis* praedicent, imo *in suis,* si aliis ac familiaribus praedicant; *contradicente* Episcopo, a quo *personaliter* benedictionem petere debuerunt, praedicare non possunt. Trid. sess. 24. c. 4.; cf. Const. « *Superna* ». Clem. X. 21. Iun. 1670. De praedic. cf. WERNZ t. III. n. 24. sq.

([3]) Cf. infra de obligat. parochi relate ad catechismum.

prohibere omnia quae ipsam impediant eive periculum creant: quales sunt libri aut magistri noxii.

Ceterum ius est penes Episcopum scholas erigendi, sive elementares sive medias sive superiores. Immo scholae elementares, etiam a Regularibus directae, cum sint « inter opera... quae ad rem dioecesanam maxime pertinent » (1), ab Episcopi potestate exemptae non sunt. Necessitas bonas scholas habendi et pravas, seu etiam *neutras*, devitandi, praeclare in lucem posita est his ultimis temporibus a Rom. Pontificibus contra sectarum conatus (2); et iure merito in variis regionibus tam strenue luctantur tum Episcopi tum laici vere catholici ut scholas *liberas* condant et sustineant, ut a scholis gubernii *libros* aut *magistros* pravos pro posse arceant, vel etiam illas patrumfamilias associationes excitent, quae in doctrinam a magistris traditam invigilant, ne *oralis institutio* maximum periculum, ut saepe accidit, pro fidei et bonis moribus puerorum aut adolescentium creet.

2) Officium pastoris

449. Officium pastoris exercebit Episcopus, tum potius *negative* a fidelibus occasiones ruinae spiritualis removendo, tum *positive* omnia media adhibendo, quibus eorum pietas et in virtutibus profectus adiuvetur: haec praesertim ad potestatem Ordinis pertinent, quae ad animarum sanctificationem ordinatur. Praeter orationem, divini Officii recitationem, S. Sacrificii celebrationem, quibus gratiarum divinarum in suas oves copiam trahit, adhuc ad Episcopum pertinet Sacramentorum administratio, quam sive per se sive per clericos sibi subditos exercet.

(1) Const. « *Romanos Pontifices* » 8. Idus Maii 1881.

(2) Cf. prop. 45. 47. 48. in Syllabo Pii IX. (Denz.-Bannw., n. 1745. sq.); Leo XIII. Encycl. « *Nobiliss. Gallorum* » 8. Feb. 1884., Enc. « *Affari vos* » 8. Dec. 1897.; Instr. S. Off. 24. Nov. 1875. et 26. Mart. 1895. Cf. Bargilliat t. I. n. 567. sq., qui optime docum. pontif. collegit et explicavit; Wernz, t. III. n. 66. sq.

At haec officia potius ab auctoribus Theologiae moralis (et pastoralis) proponi solent, ubi de obligationibus particularibus clericorum et in specie Episcoporum tractant, vel ubi de obligatione Sacramenta ministrandi et S. Sacrificium ex officio offerendi. Quare melius erit si lectores ad eos remittamus (1).

450. **Pericula fidelium** removebunt Episcopi, si strenue et constanter invigilent, ne errores spargantur in sua dioecesi, in qua sunt *Inquisitores nati* ad vigilandum et corrigendum. Unde et *sententias* per legitimos Superiores *prohibitas* et *errores* iam *proscriptos* arceant oportet; curent praesertim ne tales doceantur per eos, qui maiori auctoritate induti sunt, praesertim per sacerdotes, contra quos, si opus fuerit, procedent potestate *propria* aut *delegata* (si de exemptis agitur).

At Episcopus *controversias dogmaticas* dirimere aut *notam theologicam* inurere nequit, sed negotium huiusmodi ad S. Sedem deferet; interim prohibendo ne talis sententia doceatur. sufficienter periculum removebit.

Duplici praesertim modo obstat Episcopus diffusioni falsae vel noxiae doctrinae per scripta: 1) per *censuram* publicationi *praeviam;* 2) per librorum iam scriptorum *prohibitionem,* de quibus hic tantum aliquid innuendum erit, cum ad *res* ecclesiasticas, in t. II. tractandas, magis pertineant.

451. **Censura praevia** librorum vi Constitutionis « *Officiorum et munerum* » 25. Ian. 1897. Episcopo committitur; ad ipsum pertinet approbare, antequam typis mandentur, versiones S. Scripturae in lingua vulgari cum notis; novas litanias, novas librorum liturgicorum editiones revisere (2); necnon « libros qui divinas Scripturas, S. Theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales discipli-

(1) Cf. v. g. Bucceroni t. II. n. 203. sq. 360. sq.; Lehmk. t. II. n. 785. sq. 48. sq. 261. sq. Noldin, *De praecept.* n. 753. sq.; *De Sacram.* n. 34. 181.; Bulot t. II. n. 100. sq. 228. sq. 378. sq.

(2) Const. cit. n. 7. 19. 20.

nas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ». (Const. cit. n. 41).

Haec praescriptio *omnes* ligat, *laicos* et *clericos*, et *saeculares* et *regulares*, relate ad Episcopum loci, ubi liber fit *iuris publici*, scilicet editur, non mere imprimitur.

Si de aliis libris agitur, clerici saeculares non debent eos « inconsultis suis Ordinariis » publicare; « iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant » (1). Duplex haec praescriptio solos clericos saeculares ligat.

Insuper vi Const. « *Pascendi* » 8. Sept. 1907. in qualibet dioecesi constituendi sunt: 1) *censores ex officio*, ex utroque clero adsumendi, ut libros censurae subiectos examinent; 2) aliqui clerici, in *Consilium vigilantiae* adacti, qui « officii munere haec sibi demandata habeant: modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter: pro cleri iuventaeque incolumitate prudenter sed prompte et efficaciter praescribant » (2).

452. **Libros pravos proscribendi** ius et obligationem Episcopi habent, etiam tamquam Sedis Apost. delegati, quod ipsis iterum per Const. « *Pascendi* » inculcatur. Et haec potestas extenditur etiam ad libros praeviae censurae non subditos, v. g. ad fabulas romanenses, etc., ad libros alibi in lucem editos, immo ad libros quorum auctores subiecti Ecclesiae non sunt, nam per prohibitionem iurisdictio *directe* exercetur in dioecesanos, quibus *lectio, detentio, venditio* librorum prohibetur. Haec vero Episcoporum prohibitio ita rigorose a S. Sede sustinetur, ut hi qui facultatem obtinent libros prohibitos legendi, ea gaudere non censeantur relate ad libros ab Episcopo proscriptos, nisi specialiter dicatur: « libros a quibuscumque damnatos ».

Aliquando tamen Episcopi ad S. Sedem opera aut scripta prohibenda deferre debent, ea scl. « quae subtilius examen

(1) Const. cit. n. 42.; WERNZ t. III. n. 121.
(2) Encycl. « *Pascendi* » P. VI. (Remedia) n. IV. et VI.

exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur » (1).

Cum autem adhuc parum sit mala impedire, nisi simul de bonis provideatur, non raro, hisce praesertim ultimis temporibus, Rom. Pontifices (2) zelum et sollicitudinem Episcoporum exstimulaverunt ut non tantum bona scripta promoverent, sed etiam *diaria* et *periodica* catholica suscitarent, « quae malis venenis undecumque oblatis opportune medeantur, suscepto veritatis, virtutis religionisque patrocinio » (3), adhibita tamen *moderatione, prudentia,* maxime vero *caritate,* et salva semper *reverentia* sacris Pastoribus debita (4).

3) Officium rectoris

453. Officium *rectoris* maxime Episcopis competit: nam « *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* » (Act. XX. 28.); ipsis data est solvendi et ligandi potestas, suntque pastores ovium Christi. Iamvero talis potestas gubernationis, ut sit plena et perfecta, comprehendat oportet potestatem legiferam, administrativam, iudicialem et coercitivam. Competit autem Episcopo statim ac Litteras Apost. suae nominationis aut confirmationis Capitulo ecclesiae cathedralis praesentavit.

454. **Potestas legifera** necessaria est Episcopo: nam leges universales non sufficiunt, et id quod alicubi convenit, alibi « inopportunum, inutile et quandoque etiam noxium accideret », ut sapienter advertit Benedictus XIV. (5).

(1) Const. « *Off. et mun.* » n. 29.

(2) Pius IX. Encycl. « *Inter multiplices* » 24. Aug. 1864.; Leo XIII. in plurimis Encycl. Cf. BARGILL. t. II. n. 565.

(3) Encycl. « *Pergrata nobis* » 14. Sept. 1886. § Tertium denique. Cf. Epist. Pii PP. X. ad Episcopos Brasiliae 6. Iun. 1911. in Act. Ap. Sed. t. III. p. 261. sq.

(4) Encycl. « *Cognita nobis* » 25. Ian. 1882.

(5) *De Syn. dioeces.* l. VI. c. 1. n. 1.

Non potest equidem Episcopus abrogare sive mutare leges *universales* aut leges *Synodi provincialis* (1); nec leges ferre potest circa materias quas *R. P.* sibi *reservavit,* v. g. in materia liturgica, in statuendis diebus festis de praecepto (2), in impedimentis matrimonialibus generalibus constituendis (3).

His vero exceptis, leges potest ferre Episcopus *praeter* vel *ultra* leges *communes:* 1) ut eas clarius determinet earumve lacunas suppleat; — 2) ut subditorum imperitiam aut negligentiam adiuvet et stimulet, et ut peculiaribus loci temporisque conditionibus leges universales aptet.

In his casibus, dare potest leges sive *morales,* sive *mixtas,* sive *poenales,* immo et *irritantes* (4), sive *intra* sive *extra* dioecesis *visitationem,* Synodi dioecesani petito, si voluerit, consilio, habitoque *consilio* et etiam, si ius illud requirit, *consensu* sui Capituli.

Pendet a voluntate Episcopi utrum ordinationes illae tamquam mera *praecepta* ad vitam tantum eius duratura, aut tamquam *verae leges* natura sua *perpetuae* habendae sint. Omnes enim concedunt Episcopum posse veras leges *in Synodo* condere; at nulla ratione solida fulcitur sententia quae *negat* Episcopum *extra Synodum* eadem potestate gaudere (5); quamvis in casu dubii utrum praeceptum an lex habeatur, facilius pro *lege* haberi possit ordinatio, quae in Synodo condita est, pro *praecepto,* quae *extra* Synodum est condita.

Dispensat Episcopus in suis et suorum praedecessorum legibus, et aliquando in legibus suorum Superiorum, « partim expressa iuris concessione, partim specialibus indultis

(1) Propositio 7. Syn. Pistor. damn. a Pio VI. DENZ.-BANNW. n. 1507.

(2) Cf. supra n. 303.

(3) Quamvis, ob iustas causas, prohibere possit matrimonium inter determinatas personas.

(4) Cf. supra, de legibus n. 5. 12.

(5) Sententia *affirmans* dicitur *verior* a BARGILL. n. 580. et simpliciter asseritur a WERNZ t. I. n. 182. Cf. BENED. XIV. l. c. l. XIII. c. 5. n. 1.; BALLER.-PALM. t. I. n. 238.; NOLDIN, *De princ.* n. 131. 3.

pontificiis, partim legitima consuetudine saltem tacite approbata » (1).

455. **Potestas administrativa.** — Ad Episcopum pertinet *munera* in sua dioecesi *erigere*, eorum *statum* pro necessitate vel utilitate *mutare*, eaque *conferre*, cum restrictione tum reservationis pontificiae tum alienorum iurium, v. g. patronorum.

Parochias erigit, circumscribit, confert; invigilat in *parochorum administrationem* et ab eis *rationem* huius *administrationis* exigit, intra vel extra visitationem. *Curam* animarum et Sacramentorum *collationem* ab inferioribus recte exerceri curat. (De potestate Epis. in proprios clericos cf. n. 188. 275., in alienos cf. BARGILL. t. I. n. 611. sq.).

Invigilat in *bonorum* ecclesiasticorum *administrationem*, nisi exempta sint, quae exemptio probanda est (2).

Tonsuram et Ordines suis subditis confert.

456. **Potestas iudicialis.** — Haec Episcopo competit, in *prima instantia*, pro omnibus generaliter (3) causis ecclesiasticis *civilibus* vel *criminalibus*, sive ecclesiasticae sint ratione *materiae*, sive ratione *personarum*, quoties *privilegium fori* competentiam tribunalium civilium excludit.

Causae tamen *maiores* (4) R. P. reservantur; item causa matrimonii rati non consummati, etiam quoad meram causae instructionem. Ex *Concordatis* vel *consuetudine* (saltem tacite approbata), causae quaedam *civiles*, immo et *criminales clericorum*, tribunalibus laicalibus nunc relinquuntur.

Relate ad causas *fidei*, Episcopus est *Inquisitor natus* et *iudex*, non quidem ad ferendum iudicium doctrinale de aliqua propositione (haec est causa maior et Papae reservata), sed ad inquirendum utrum quis doctrinas haereticas sustinuerit et ad ipsum iudicandum.

In causis *beatificationis* et *canonizationis* potest Episcopus, auctoritate propria, instituere processum *de non-cultu*,

(1) Ita WERNZ t. II. n. 756. Cf. supra n. 39. de legis dispensatione.
(2) Cf. *Quaest. sel. e tom. II.* n. 16.
(3) Hac de causa praesertim dicitur *Ordinarius* (iudex) in sua dioecesi.
(4) Supra n. 305. 306.

i. e. quod servo Dei praestitus non fuerit cultus, contra Urbani VIII. praescriptiones. et processum *de vitae sanctitate* et *miraculis* in genere, scl. quod communis habeatur opinio seu *fama* de virtutibus (aut de martyrio) servi Dei et de miraculis ab eo patratis.

Iurisdictio Episcopi est simul *personalis* et *territorialis* (1), scl. personae fiunt ipsi subiectae mediante territorio; at in eas postea exercetur eius auctoritas, saltem quoad quaedam, etiam extra dioecesim. Regulariter tamen Episcopus non exercet iurisdictionem *contentiosam* (2), seu *iudicialem*, nisi *ipse* sit in dioecesi praesens; iurisdictionem autem *gratiosam* et *fori interni*, maxime vero *fori poenitentialis*, ubicumque in omnes subditos exercet.

Iurisdictionem contentiosam exercet tum *solemni*, tum *summario* iudicio; *per se ipsum* aut per suam *officialitatem*, i. e. per tribunal in sua curia constitutum, cui vel ipse praesidebit vel *Officialis* (Vicarius generalis aut etiam alius, si consuetudo hoc fert); quod tamen tribunal censetur unica persona cum Episcopo, ad quem proinde appellari non potest de sententia lata (3).

457. **Potestas coercitiva** Episcopi exercetur: 1) curando ut poenae a legibus statutae observentur, v. g. ut executioni mandentur censurae *latae sententiae;* — poenas *ferendae sententiae* applicando: secus vanae et inutiles evadunt. Unde si requiritur sententia *declaratoria* criminis ut poena *lat. sent.* effectum obtineat, aut sententia condemnatoria pro poenis *fer. sent.*, eam ferre debet (post praevium processum in 2.° casu).

2) poenas etiam novas arbitrio suo pro opportunitate constituendo et ferendo; at, ut scite monet Benedictus XIV., moderate debet Episcopus hac potestate uti, praesertim in imponendis poenis *lat. sent.*, quod ceterum iam inculcaverat Tridentinum et praxi S. C. Concilii comprobatur (4).

(1) Supra n. 194.
(2) Supra n. 195.
(3) Cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 63. 193.
(4) Trid. sess. 25. c. 3. Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. X. c. 2. n. 4.; Gasparri, *De S. Euchar.* t. I. n. 419.

3) utendo facultate ipsi a Conc. Trid. (sess. 14. c. 1. de ref.) facta, sententias *ex informata conscientia* ferendi pro criminibus gravibus et occultis (1).

D) De Synodo dioecesana

458. Cura Episcopi in regenda dioecesi praesertim exercetur per sapientes dispositiones quas statuit et per vigilantiam quam exercet in fideles et praesertim in pastores inferiores.

Iamvero dispositiones disciplinares modo solemniori et efficaciori in Synodo dioecesana constituuntur; nulloque meliori modo promovet Episcopus bonum subditorum et vigilantiam pastorum inferiorum, quam per visitationem dioecesis. Hinc de *Synodo* et de *visitatione* aliquid addendum est: et primo quidem de Synodo agetur.

459. **De natura et utilitate Synodi.** — Vox « *Synodus* » idem significat ac « *Concilium* »; ex usu tamen hodierno, ubi sine addito adhibetur, Synodum diocesanam designat. Haec apte definitur cum Benedicto XIV. et aliis: « *legitima congregatio, ab Episcopo coacta, ex presbyteris et clericis suae dioecesis, aliisve qui ad eam accedere tenentur, in qua de his quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum* » (addi potest *et decernendum*) est (2). Nec vera Synodus habetur nisi quando celebratur congregatio *omnium*

(1) Cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 108. sq.

(2) *De Syn. dioeces.* l. I. c. 1. n. 4. In hoc praeclaro opere, Benedictus XIV. non tantum explicat quid sit Synodus, quo modo convocari dirigique debeat, sed magis adhuc insistit in ea, quae in Synodo ab Episcopo decerni et statui possint aut debeant: hinc omnes quaestiones tractat, quae ad potestatem Episcopi in administranda dioecesi spectant. Et haec magna eruditione et summa prudentia exponit et perpendit. Cf. etiam Phillips, *KR.* t. VII. § 365. sq. tum historice, tum practice; Bouix, *De Episcopo* t. II. Part. VI. p. 347. sq.

illorum quos ius designat et cum *formis* et *caerimoniis* saltem essentialibus a iure constitutis (1).

Synodi *utilitatem* ostendit Benedictus XIV., plura testimonia RR. Pontificum et sanctorum Praesulum afferens, quamvis admittat suppleri posse Synodum, ubi haberi nequit, per vigilantiam et industriam Episcopi, nec proinde absolute necessariam esse dicendam (2).

460. **Notae historicae.** — Prima vestigia Synodi dioecesanae in Oriente, reperiuntur Alexandriae, quando S. Alexander Arium in quadam cleri sui adunatione deposuit (a. 321.), in Occidente Antissiodori in Gallia (a. 585.), at praxis certe multo antiquior ibi manifestatur.

Concilium Lateranense IV (a. 1215.) annuam celebrationem tum Synodi provincialis tum Synodi dioecesanae praescripsit; Tridentinum triennalem tantum Synodi provincialis adunationem statuens, *annuam* dioecesanae denuo praescripsit, clarius definiens quinam ei interesse, quid in ea peragi deberet. Quae tamen dispositio numquam ubique observata est et multis in locis rarius in dies coactae sunt Synodi dioecesanae, usque dum post medium saec. XIX. melius observari coeperit lex Tridentina, cum temperamentis pro variis locis concessis (3).

461. **Quis Synodum convocare possit?** — *Episcopus*, etiam nondum consecratus, postquam Litteras Apostolicas suo Capitulo praesentavit; impeditus potest per alium ce-

(1) Hinc Synodi dioecesanae dici nequeunt *conventus* cleri dioecesani, *conferentiae*, *exercitia spiritualia*, etiam praesidente Episcopo, habita; quibus tamen aliquo modo suppletur Synodus, quando haberi nequit.

(2) Bened. XIV. l. c. l. I. c. 2. « Salus Ecclesiae, terror hostium eius, et fidei catholicae stabilimentum sunt Synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiae nervos dixerimus » (Concil. provinc. Coloniense a. 1549.). Unde Bened. XIV. exprobrat tum doctores privatos, qui dispositionem Trid. de annua Synodo pro lubitu limitant, tum Episcopos qui « ex sola socordia et negligentia Synodum facere praetermittunt », simul admittens « potuisse Tridentini decretum contraria consuetudine nonnihil emolliri et temperari » (ib. c. 6. n. 5.).

(3) Cf. Wernz t. II. n. 858. ad fin.

lebrare; *Archiepiscopus*, etiam ante acceptum pallium; (1) — *Vicarius Apostolicus*, qui dioecesim aut Vicariatum in terris missionum gubernat (2).

Vicarius generalis nequit, absque speciali mandato, Synodum convocare; *Vicarius capitularis*, tantum post annum ab ultima celebrata.

Abbates et *Praelati*, Episcopo inferiores, quamvis habeant territorium regendum, Synodum celebrare nequeunt, nisi speciali Indulto gaudeant aut nisi consuetudo hoc ferat.

462. **Quinam sint vocandi?** — 1) *Abbates* et *Praelati* non exempti, aut qui Capitulo generali non subsunt;

2) *Canonici* ecclesiae *cathedralis*, nec videtur ullus ex eis excludi posse;

3) ex Capitulis *collegiatis*, aliqui canonici;

4) *Vicarius generalis* et *vicarii foranei*.

5) *parochi* sive *saeculares* sive *regulares*, qui animarum curam actu exercent (3).

Insuper Episcopus, si quando negotia tractare vult, quae omnes clericos dioecesis tangunt, omnes vocare potest et quoad haec etiam omnium poterit consilium requirere.

Convenientissime vocabit, etiam extra hunc casum, ut eorum consiliis et experientia adiuvetur, Rectorem Seminarii et saltem aliquos Theologiae lectores, item quosdam ex his qui monialium confessionibus audiendis deputati sunt aut qui doctrinam christianam in scholis tradunt.

Excusantur ab assistentia qui sine gravi periculo aut damno suo vel animarum sibi commissarum interesse nequeunt: at significare debent Episcopi cur assistere non possint, et post Synodum rationes allatas perpendent *iudices excusationum* (de quibus n. 463. dicetur).

(1) Quod recte tenent SCHERER *KR.* § 88. not. 81. p. 551. et § 98. p. 680. et WERNZ t. II. n. 859. et not. 21., contra BOUIX, FERRARIS, BARGILLIAT, qui male arguunt ex BENED. XIV. l. c. l. II. c. 6. n. 4., ubi de Syn. *provinc.* loquitur; cf. l. II. c. 5. n. 8., l. III. c. 11. n. 6. 7. Cf. supra n. 440.

(2) BENED. XIV. l. II. c. 10. n. 8.

(3) Soli clerici, hucusque recensiti, de iure suffragium habent decisivum aut consultativum

463. **De Synodi celebratione.** — I. **Locus**, in quo adunari potest Synodus, est quilibet dioecesis locus; convenit adunetur in ecclesia, praesertim cathedrali (bene etiam in ecclesia Seminarii). Quae tamen praescriptio de *solis solemnibus sessionibus* intelligenda est, non de *congregationibus particularibus*, in quibus quaestiones per certos aliquos clericos praeparantur, nec de *congregationibus generalibus*, in quibus omnes adunantur ut eorum sensus et consilium exquiratur. Sessiones illae *solemnes*, quarum *ordo* et *ritus* in libris liturgicis inveniuntur (1), sunt adunationes illae in quibus Episcopus sua decreta promulgat.

II. **Officiales** (2), in Synodo ab Episcopo designandi, sunt: *promotor*, cuius est curare ut omnia recte procedant, celeriter et fructuose peragantur ; — *secretarius* ; — *notarius* ; — *magistri caerimoniarum* : — *confessarii cleri* ; — *procurator cleri*, ad querelas petitionesque cleri nomine omnium proponendas ; — *iudices querelarum et excusationum* (3).

III. **Ordo sedendi** in Synodo, qui accurate a Benedicto XIV. (ib. l. III. c. 10.) determinatus est, per consuetudinem tamen non raro mutatur

464. **De agendis in Synodo.** — I. **Professio fidei** a beneficiatis, qui prima vice alicui Synodo intersunt, est praestanda. Immo « maxime decet ut, Episcopo praeeunte, omnes synodales fidem catholicam solemniter profiteantur » (4), iuxta exemplum priscae Ecclesiae, in qua moris erat ut omnes Episcopi in Synodum convenientes, professionem fidei emitterent.

(1) In Pontificali Romano Part. III., et in Caerimoniali Episcoporum.

(2) Bened. XIV. l. c. l. IV. c. 1.

(3) Hi simul cum Vicario generali « criminales querelas excipiant et civiles lites audiant ac summario iudicio de utrisque causis sententiam proferant » *De Syn. dioec.* l, IV. c. 2. n. 3. At iam fatebatur Bened. XIV. rarissime ad eos recurri a contendentibus, quia a summariis iudiciis refugiunt (ib. n. 4.). Manet tamen duplex officium horum iudicum : 1) quaestiones *praecedentiae* dirimere; 2) post Synodum *excusationes* absentium perpendere.

(4) Wernz t. II. n. 864. iuxta Bened. XIV. l. c. l. V. c. 2. n. 3. sq.

II. **Examinatores et consultores, iudices, testes synodales** constituendi sunt.

a) *Examinatores synodales* ii sunt, qui praeesse debent *concursui*, quem Tridentinum instituendum decrevit pro obtinendis parochiis; (1) et iuxta decretum « *Maxima cura* » 20. Augusti 1910., Episcopo adesse pro *remotione* administrativa parochorum (2).

Praesentantur ab Episcopo, *approbantur* aut *reiiciuntur* a Synodo ad pluralitatem suffragiorum. Debent eligi ad minimum *sex*, qui sint « magistri, seu doctores, aut licentiati in Theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares.... aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei ». (Conc. Trid. l. c. (3).

Officium eorum, iuxta Conc. Trid., usque ad sequentem Synodum durabat; at semper debebant esse saltem *sex* numero: unde Episcopus novos, de consensu sui Capituli, demortuis aut officio implendo ineptis factis, usque ad numerum *sex*, supplere debebat. Ex decreto « *Maxima cura* », quando Synodus non cogitur, vel ad supplendos examinatores demortuos, aut alia ratione a munere cessantes, Episcopus examinatores *prosynodales*, de consensu sui Capituli eligit, qui in munere suo, sicut et hi qui in Synodo electi sunt, ad quinque annos durabunt, nisi interim Synodus dioecesana habeatur (4). Eodem modo designantur in Synodo (aut extra Synodum) *consultores* qui in eadem remotione administrativa parochorum interveniunt. (Cf. supra n. 288).

(1) Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de ref. Cf. infra n. 512., ubi de parochis.

(2) *Acta Ap. Sed.* t. III. p. 636. sq. Cf. supra n. 288.

(3) Ex Decreto « *Maxima cura* » dicitur: « tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit » (can. 4. § 2.). Auctores solebant ut numerum maximum 20. dare ex aliqua decisione S. C. Concil. Cf. BENED. XIV. l. c. l. V. c. 7. n. 3.

(4) Sic ex Decreto « *Maxima cura* » 20. Aug. 1910. (cum declarat. S. C. Consist. 3. Oct. 1910. ad 1. 3. 7.), quo derogatum fuit praescriptionibus Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de ref.

Iudices synodales in Synodo proponuntur ab Episcopo et habito Synodi *consilio*, (quod sequi non tenetur), ab ipso Episcopo deputantur. His committendum est iudicium causarum quas S. Sedes Episcopis delegat. Debent esse dignitates, aut personatus, aut saltem canonici ecclesiae cathedralis (1). Tale munus nunc vix est alicuius momenti, cum S. Sedes iudicia per S. Rotam exercere soleat: unde saepe ne nominantur quidem in Synodo.

Testes synodales, ab Episcopo in Synodo designandi, hi sunt qui usque ad sequentem Synodum invigilare in decretorum synodalium observationem et quae contra agerentur, Episcopo deferre debebant. Practice tale munus ab aliis exercetur, v. g. a Vicariis foraneis (2).

III. **Constitutiones** seu **statuta synodalia** promulgantur, quae edere nequit Episcopus, nisi petito *Capituli* cathedralis *consilio*, quod tamen sequi non tenetur. Nec requiritur ut clericorum synodalium *consilium*, minus adhuc *consensum* habeat: *expedit* tamen ut *consilium* eorum exquirat (3), quo prudentius et maturius procedat; facilius etiam deinde executioni statuta mandantur, si assensu Synodi comprobata fuerint.

Statuta dioecesana non indigent approbari a S. Sede, quamvis apte ad S. C. Concilii mitti possint. — Contra ea non datur appellatio in *suspensivo*, at tantum in *devolutivo* et quidem ad S. C. Concilii, non ad S. Rotam, cum de dispositione administrativa aut de lege, non autem de iudicio agatur.

(1) Trid. sess. 25. c. 10. de ref. iuxta cap. Statutum 11. de rescriptis I. 3. in Sexto; BENED. XIV. l. c. l. IV. c. 5. n. 5.

(2) Quod iam fieri suo tempore communiter advertebat BENED. XIV. l. c. l. IV. c. 3. i. f. Cf. infra n. 528.

(3) Ubi usus invaluit assentire per verbum « *Placet* », non debet intelligi de suffragio *decisivo*, at tantum *consultativo*.

E) De visitatione dioecesis (1)

465. **Scopus visitationis.** — Praeclare exprimitur a Benedicto XIV. in Const. « *Ubi primum* » 3. Dec. 1740. § 8. scopus et utilitas huius visitationis: si enim Episcopus dioecesim *personaliter* non visitaverit, multa ignorabit aut serius cognoscet, et nisi saepe visitationem repetat, quae sapienter ordinavit, non observabuntur, quae corrigere conatus est, brevi reviviscent.

Unde statuit Tridentinum quolibet anno aut saltem biennio debere Episcopus totam dioecesim visitare per se aut per visitatorem; in schemate Concilii Vaticani proposita fuit moderatio illius dispositionis ita ut triennium pro visitanda dioecesi ordinaria, quinquennium pro ampla concederetur (2).

466. **De subiecto activo obligationis.** — Tenentur dioecesim propriam visitare Patriarchae, Primates, Metropolitae, Episcopi; at Metropolita dioecesim Suffraganeorum visitare nequit nisi in casibus supra indicatis n. 434.; — Vicarius generalis indiget speciali mandato Episcopi ut visitet; — Vicarius capitularis visitare nequit dioecesim, nisi elapso anno post ultimam visitationem ab Episcopo factam (dioecesis, aut saltem illius partis quam visitare intendit).

Visitatio Episcopi erit *personalis* et *localis* seu *realis*. *Personalis* quidem « est inquisitio de vita et moribus personarum, deque earum officiis, videndi causa an eisdem rite

(1) Cf. Lucidi, *De visitat. ss. liminum* t. I. c. II. § 2.; Phillips, *KR.* t. VII, § 365. sq., ubi rem tum historice tum quoad praxim tractat. Bouix *De Episcopo* t. II. Part. V. c. 2. p. 20. sq.

(2) Iuxta Icard (*Praelect. iur. can.* n. 177), plures canonistae, (quibus consentire videtur), arbitrantur Episcopos, « si existiment multo magis expedire ut per seipsos potius quam per delegatos id munus expleant », ita dioecesim dividere posse ut intra 4. vel 5. annos eam totam *per se* visitent. At possunt (melius diceretur *debent*) id « exponere in suis relationibus de statu dioecesis, ut mentem habeant S. Sedis. Ita observatum fuisse putamus a tempore Concordati in Gallia ».

fungantur. *Realis* est inquisitio de administratione, custodia et statu ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione deque aliis rebus huiusmodi » (1).

Visitatio seu inquisitio *personalis* potest esse *generalis, specialis, specialissima,* prout inquiritur: utrum *communiter* leges observentur, boni mores vigeant, scandala existant: — vel de *certis* scandalis aut de *certis personarum speciebus;* — vel de delictis *personae determinatae* (2).

Visitatio *realis,* praeter *ecclesias* et *res* omnes ad *divinum cultum* inservientes, omnia *loca* et *Instituta,* quae sub *dominio* et *administratione* Ecclesiae sunt, attingit.

De personis et rebus visitationi Episcopi subiectis (3)

467. I. **Iure proprio** Episcopus visitat omnes *personas, loca, Instituta,* quibus manifesta *exemptio* non competit; immo *exemptas* personas aut loca, quoad plura, tamquam *delegatus* S. Sedis, visitare potest aut etiam debet. *Personae* ab Episcopo *exemptae* nunc non solent esse nisi Regulares proprie dicti, aut Religiosi, quibus speciali privilegio eadem exemptio, qua Regulares fruuntur, concessa est, aut tandem (at quoad quaedam tantum) membra Congregationum iuris pontificii (4).

Loca et *Instituta pia,* quae visitationi episcopali de iure communi subiecta sunt, intelliguntur ea Instituta caritatis, beneficientiae etc., quae **et** ad pios usus sunt destinata **et** auctoritate ecclesiastica erecta (seu *canonica institutione* donata); si secunda deficit conditio, quod accidere solet quando ad gubernia, provincias, municipia aut ad personas priva-

(1) Soglia, *Inst. iur. priv.* t. II. l. I. c. II. § 7.
(2) Cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 100.
(3) Cf. Phillips *KR.* t. VII. § 376. 377.
(4) De his cf. Part. III. art. VI. n. 629 sq.

tas pertinent, non sunt loca *ecclesiastica*, et iura Episcopi visitantis ad sequentia restringuntur (1): 1) ut videat an ultimae defunctorum voluntates executioni tradantur, an bona dilapidentur etc. (at haec nunc practice vix poterit); 2) ut visitationem *realem* exerceat circa capellas aut sacella ibidem erecta, si qua sint, quia oratoria saltem semi-publica erunt (2).

Probabilius etiam *iure proprio* visitat Episcopus ecclesias *regulares*, quibus adnexa est cura animarum, quoad ea omnia eaque sola quae ad dictam curam pertinent, ad cultum divinum et Sacramentorum administrationem, quatenus ab officio parochiali pendent; ipse parochus regularis, *quatenus* parochus, visitationi Episcopi subiicitur (3).

Confraternitates et *piae sodalitates* saecularium, etiam in ecclesiis Regularium erectae, visitationi et iurisdictioni Episcopi subsunt. (Cf. WERNZ t. III. n. 709.; CAPPELLO, *De visit.*... t. 133.

468. **Tamquam S. Sedis delegatus** (4), Episcopus visitat:

1) omnia *Capitula* exempta, non obstante ulla consuetudine (5);

2) ecclesias *saeculares* exemptas;

(1) FERRARIS, *Bibl. prompta* v. *Visitatio* n. 60. sq.; v. *Hospitale* n. 40. sq.

(2) Oratoria stricte privata, ex Indulto in favorem personae alicuius aut familiae concessa, antequam approbentur, ab Episcopo visitanda erunt, prout in ipso Indulto concessionis praescribitur; at postea visitare ea non potest, nisi intercesserit accusatio, denuntiatio aut fama, quod minus decenter teneantur aut praescripta in Indulto non observentur. Ita recte post FERRARIS, *Biblioth. prompta* v. *Oratorium* n. 25. 26., tenent MANY, *De locis sacris* n. 86., BARGILL. n. 1269.

(3) BENED. XIV. Const. « *Firmandis* » 6. Nov. 1744. § 7. sq. Cf. PIAT MONT. *Prael. iur. regul.* t. II. q. 27. Quod Episcopus *ius proprium* tunc exerceat ex Bened. XIV. deducit PRÜMMER t. II. q. 183. Consentit WERNZ t. III. n. 702. cum not. 724. Aliter PHILLIPS, *KR. t. VII.* § 377. p. 237.

(4) Cf. LUCIDI, *De visit. ss. liminum* t. II. c. 7. § 3.

(5) Conc. Trid. sess. 6. c. 4. et sess. 25. c. 6. de ref. Cf. BENED. XIV., *De Syn. dioeces.* l. XIII. c. 9. n. 1. sq.

3) omnia *loca pia* (1), quocumque modo exemptione fruantur; at, si ad Regulares pertinent (2), quoad divinum cultum et curam animarum tantum; si ad laicorum curam pertinent, etiam quoad bonorum administrationem, « nisi secus forte in institutione... expresse cautum esset » (Trid. sess. 22. c. 9. de ref.) (3).

4) *confraternitates* et *sodalitia*, quae forte exempta ex privilegio essent (4).

5) *monasteria Monialium*, quoad *clausuram* tantum, si a viris Regularibus pendent; secus, quoad omnia (5);

6) *monasteria virorum Regularium:* sive ea quae non pertinent ad aliquam *Congregationem*, in qua Capitula generalia celebrentur, cum Superiorum et visitatorum electione; — sive ea in quibus numerus sufficiens sodalium non habetur, ut exemptione fruantur (6): tunc enim iurisdictioni

(1) Ipsa loca pia, quae in dominio Ecclesiae sunt, ab Episcopo aliquando eximuntur: sive iure communi, sive ex Indulto, sive ex ipsis terminis fundationis, Cf. supra n. 212. not. 2. de beneficiis.

Tria sunt diversa: 1) visitare ecclesias quoad cultum et animarum curam; 2) bonorum administrationis rationem exigere; 3) internam disciplinam et administrationem regere per statuta, leges etc. — Hinc intelligitur quomodo locus aut Institutum eximi possit ab Episcopi iurisdictione quoad hoc *tertium*, manens subiectum quoad *primum* aut etiam *alterum*.

(2) Scilicet, si in dominio eorum sunt et verae *domus* Regularium existunt: tunc enim gaudent exemptione locali et etiam personali pro Religiosis, eorum novitiis et familiaribus, non pro aliis (nisi ex speciali Indulto). Si tantum curae Regularium committuntur, ipsi soli, quatenus tales, a visitatione sunt exempti.

(3) Immo etiam tunc, ad supplendam negligentiam administratorum, ut plures putant, v. g. FERRARIS, v. *Administrator* n. 3. sq. quem sequitur LUCIDI l. c. c. 7. § 3. n. 261.

(4) Cf. LUCIDI l. c. n. 255.

(5) VERMEERSCH, *De relig. Inst. et pers* t. I. n. 452.

(6) Ut exemptio habeatur, Innocentius XII. per Decr. « *Nuper* » exegit numerum 12. sodalium, pro monasteriis post Decreta Urbani VIII. 21. Iun., 22 Sept. 1625. erectis; pro iam existentibus sufficiebat numerus 6. sodalium in Italia, extra Italiam nil statuebatur. At usus invaluit ut exemptio sustineretur, nisi quando 6. Religiosi *actu* non degunt; immo etiam tunc potius suadetur Episcopo ut a visitando abstineat, nisi abusus irrepserint: sic ex praxi S. C. Ep. et Reg. Cf. BIZZARRI, *Collectan.* ed. 1. p. 396.; WERNZ t. III. n. 620.

Episcoporum subiacent, quorum tamen potestas ad internum regimen non se extendit (1).

469. III. Episcopus in visitatione potest *ordinare, moderari, punire* in omnibus quae ad mores et disciplinam pertinent, pro potestate *propria* aut *delegata*.

Cum tamen procedere soleat absque *processu iudiciali*, ab eius statutis, ordinationibus, correctionibus, appellatio non datur in *suspensivo* sed tantum in *devolutivo* et interim subditi iussa eius exequi tenentur. Si quando post processum iudicialem ageret Episcopus, ab eius sententia appellatio in suspensivo daretur (2).

470. **De procuratione Episcopo praestanda.** — Visitanti Episcopo debetur *procuratio*, i. e. praestatio eorum quae necessaria sunt ad competentem victum et habitationem ipsius, eius *notarii* et decentis *comitatus;* haec ab iis *omnibus* debetur quos visitat. Ipsi commendatur moderatio in exigendo, celeritas in visitatione absolvenda; munera accipere nequit, nisi victualia pro necessitate, aut pecuniam, vice victualium, ubi consuetudo hoc fert; immo, si existat consuetudo nil dandi Episcopo visitanti, haec retinenda est (3).

F) De aliis officiis et iuribus Episcoporum

Officia plura Episcoporum, quae ad cultum, liturgiam, Sacramentorum collationem, quamvis ad potestatem administrativam referri possint, aptius hic proponere visum est, antequam de iuribus eius honorificis agamus, quibuscum haec officia nexum satis arctum habent.

471. **De officiis Episcoporum relate ad cultum, Sacramenta, Indulgentias.** — I. In materia *cultus*, specialis vigilantia Episcopis a Conc. Tridentino commendata est,

(1) Cf. infra in P. III. art. VI. n. 629. sq. de exemptione.
(2) De his cf. *Quaest. select. e tom. II.* n. 92. 93. WERNZ, t. II n. 759.
(3) Ita ex Trid. sess. 24. c. 3. de ref.

ne quid superstitiosi, inordinati, profani, inhonesti vel turpe lucrum sapiens permittatur in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione et imaginum usu. « Haec ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo » (1).

II. Episcopo reservatur ordinaria administratio Sacramenti *Confirmationis Ordinumque* collatio, necnon *benedictiones* omnes et *consecrationes* in quibus sacra unctio adhibetur (v. g. consecratio Ecclesiae, campanarum, vasorum sacrorum); item ipsi reservatur unctio Regum, benedictio Abbatis, Abbatissae.

III. Insuper ipsius est in promulgationem *Indulgentiarum* vigilantiam exercere, ne abusus irrepant, neve falsae pro veris proponantur, in qua materia iuxta sapientes regulas a S. C. Indulg. 10. Aug. 1899. (2) determinatas procedet; iudicabit de authentia rescriptorum; permittet ut concessiones et summaria Indulgentiarum typis mandentur (3).

Episcopus potest ipse Indulgentiam *unius anni* in consecratione alicuius ecclesiae, in aliis casibus *quadraginta* dierum (nunc *quinquaginta*, ex benigna concessione Sñi D. N. Pii PP. X. 28. Aug. 1903.) (4). At cum illa concedatur per modum absolutionis, solis vivis prodest, eamque lucrari valent soli subditi Episcopi (aut Regulares in dioecesi viventes) (5).

472. **De iuribus honorificis et privilegiis Episcoporum.** — **Insignia** Episcopo concessa in signum excelsae eius dignitatis sunt: *crux pectoralis* et *annulus*, quae post

(1) Sess. 25. Decret. de invocat., vener. et reliquiis SS. et sacris imagin.

(2) *Collectan. S. C. de Pr. F.* t. II. n. 2063.

(3) Si de *novis* Summariis aut *noviter concessis* Indulgentiis agatur, publicari nequeunt absque licentia S. Officii (supra n. 359.).

(4) *Collectan.* cit. n. 2176.

(5) Cf. BARGILLIAT t. I. n. 650. b. OIETTI, *Synops.* v. *Indulgentia.*

consecrationem tantum defert, insuper vestes, pileolum, birretum *coloris violacei* (1).

In dioecesi *primam sedem* ubique in choro aut Capitulo obtinet; *thronus* episcopalis cum *baldachino* in latere evangelii, etiam in ecclesiis exemptis, ipsi erigitur. Indumenta *pontificalia* intra Missarum solemnia vel functiones sacras, etiam in ecclesiis exemptis suae dioecesis, defert, non autem extra dioecesim, sine licentia Episcopi loci.

Praecedentiam in sua dioecesi prae omnibus Episcopis et Archiepiscopis obtinet, praeter proprium Archiepiscopum, Legatos pontificios et PP. Cardinales. Ex urbanitate tamen convenit ut Episcopos peregrinos honoret; ipsisque proprium thronum concedere potest, quando eius loco in dioecesi pontificalia exercent (2).

Privilegia Episcopi relate ad absolutionem censurarum, dispensationem sive ab irregularitatibus, sive in votis et legibus Ecclesiae communibus alibi exponuntur (3).

Insuper gaudet *altaris portatilis* privilegio, quod iam a Bonifacio VIII. Episcopis concessum, nec a Tridentino abrogatum, ad Episcopos *titulares* extensum est (4). Possunt ergo ubique, in domo actualis suae commorationis, sive intra sive extra dioecesim, sine ulla Episcopi loci licentia, et celebrare et aliam Missam coram se celebrari facere. Immo Leo XIII. concessit ut omnes qui uni ex his duabus Missis assistunt, praecepto Sacri audiendi satisfaciant (5).

Sacellum palatii episcopalis habetur ut *semi-publicum*, ibique quotidie celebrari licet et per assistentiam Missae praecepto satisfit (6).

(1) Ex concessione Pii X. (S. C. Consist. 2. Maii 1910. in *Act. Ap. Sed.* t. II. p. 230.) a die electionis a R. Pont. Episcopus deferre potest pileolum violaceum, dum S. Missam celebrat.

(2) S. C. Rit. 12. Iun. 1899. Decr. authent. n. 4023.

(3) Cf. supra n. 39. de legibus; n. 164. de irregular.; n. 454. de potest. legif. Episcop.; de censuris in t. II. dicetur.

(4) Cap. 12. de privil. V. 7. in Sexto; S. C. Rit. 8. Iun. 1896. Decr. authent. n. 3906.

(5) S. C. Rit. Decret. cit.

(6) Cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 36.

Episcopus apud sacerdotem suae dioecesis, quemcumque elegerit, ubicumque *confiteri* potest, non autem apud sacerdotem alterius dioecesis, nisi is pro confessionibus sit approbatus a proprio Episcopo.

Episcopus censuris *suspensionis* aut *interdicti*, a legibus communibus statutis, non attingitur, nisi lex de Episcopis expressam mentionem faciat: aliud est de excommunicatione dicendum (1).

Eadem censura excommunicationis R. Pontifici specialiter reservata, qua plectuntur *interficientes*, *mutilantes* etc. *Cardinales* et *Legatos* S. Sedis, eos plectit qui eamdem iniuriam realem in Episcopos committerent (2).

473. **Iura Episcoporum realia.** — Ad realia iura Episcopi pertinet ius ad *congruam sustentationem*, quae ipsi, sicut et ceteris Ecclesiae ministris, variis modis pro varietate locorum et temporum suppeditata est per beneficium, pensiones, etc. (3).

Insuper Episcopus potest, praeter *procurationem*, quae ipsi ab omnibus quos visitat, nisi consuetudo contraria vigeat, debetur (4), beneficiatis varia onera imponere, quae supra n. 220. recensuimus, exigendo nempe: subsidium *seminaristicum*, pro Seminario instituendo aut sustinendo; — *caritativum*, pro necessitate gravi et urgente; — *cathedraticum* seu *synodaticum*, quotannis in signum subiectionis erga Episcopum et in honorem ecclesiae cathedralis solvendum.

Tandem aliqua taxa exigi et acceptari potest pro variis cancellariae episcopalis actis et scripturis, necnon in compensationem pro aliis ecclesiasticis officiis praestitis (5).

(1) Cf. WERNZ. t. VI. n. 151. V.

(2) Const. « *Apostol. Sedis* » serie I. n. 5. Cf. supra n. 342. 419.

(3) Cf. supra n. 201. 276.; *Quaest. sel. e t. II.* n. 20. not. 2., n. 23. sq.

(4) Cf. supra n. 470.

(5) Dicitur *taxa Innocentiana*, eo quod auctoritate Innoc. XI. confectum et promulgatum fuerat (1. Oct. 1678.) decretum, quo declarabatur an et quodnam emolumentum pro his actibus exigi posset. Cum autem controversum maneret utrum *extra Italiam* haec taxa obligaret necne, cum insuper, mutatis circumstantiis et valore pecuniae, minus apta evasisset, S. C.

III. De cessatione et suspensione potestatis Episcoporum

Postquam de *munere* et *potestate* Episcoporum actum est, et de *exercitio* illius *potestatis* secundum disciplinam vigentem, praecipua tradita sunt, restat ut breviter indicetur quomodo potestas Episcoporum *cessare* aut *ad tempus suspendi* possit.

Cessat quidem per *renuntiationem* ab ipso Episcopo factam; — per *translationem;* — per *destitutionem* aut *depositionem.*

474. **Renuntiare** potest Episcopus aut *loco* tantum, aut *loco* simul *et dignitati* (1), prout dioecesim dumtaxat dimittit, aut etiam omne exercitium Ordinis episcopalis, omniaque insignia et praerogativas dignitatis episcopalis a se abdicat.

Ex dictis de beneficiorum renuntiatione seu resignatione (2), requiritur *acceptatio* ab auctoritate competente, quae, quando agitur de Episcopis, ex disciplina hodierna *de iure communi,* est solus R. Pontifex (3).

475. **Translatio,** per quam Episcopus ab una sede ad aliam, auctoritate Superioris (i. e. nunc de iure communi, R. Pontificis) (4) transit, prioris vacantiam inducit; at modo diverso, prout Episcopus *conscius* est translationis, aut haec decreta est, *ipso inscio.*

In priore casu, vacatio inducitur eo momento quo R. Pontifex in Consistorio Episcopum a vinculo absolvit, quo erga

---

Concilii 10. Iun. 1896. regulas plures tradidit circa modum constituendi taxam aliquam uniformem in singulis provinciis ecclesiasticis, submittendam eidem S. C. pro approbatione ad experimentum. Cf. Oietti, *Synop.* v. *Taxa Innoc.;* Bargilliat t. I. n. 661.; Cappello, *De visit.* t. I. p. 388. sq.

(1) Cf. cap. 2. X. de ordinatis ab Ep. qui renuntiavit episcopatui I. 13.

(2) Supra n. 282. 283.

(3) Wernz t. II. n. 498.

(4) Wernz t. II. n. 521. Cf. supra n. 286.

primam ecclesiam ligabatur; et statim ac *notitia certa* advenit, Episcopus a iurisdictione exercenda cessat, et Vicarius capitularis a Capitulo est constituendus (1). Interim Episcopus retinere debuit iurisdictionem, quam tamen potius *ex commissione* S. Sedis exercuisse censendus est (2).

Si translatio facta est *inscio Episcopo,* vacationem non inducit, donec ipse consensum translationi dederit, qui supponitur voluntarie dandus, nisi Papa explicite contrarium expresserit (3).

476. **Depositio** decerni potest: 1) ob *delicta gravia* Episcopi. Iuxta praxim vigentem, qua dispositioni Tridentinae derogatum est, *omnia* delicta Episcopi iudicio S. Sedis reservantur (4). *Minora* per S. C. Ep. et Reg. potestate ordinaria iudicabantur, maiora ab eadem ex potestate extraordinaria; delicta contra fidem ad S. Officium deferuntur (5).

2) sine delictis, ratione *boni communis.* Plena enim potestas pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam exigit ut Pastor supremus eius detrimenta cavere possit. Iamvero etiam sine culpa propria, potest fieri ut Episcopus inhabilis evadat ad gubernationem, immo ut eius perseverantia in officio, saluti animarum quae est lex suprema, nocumentum afferat (6).

Tunc removeri potest a Papa. Ceterum exemplo praeclaro confirmatur assertio nostra. Pius VII. a. 1801. novam dioecesim Galliae circumscriptionem, petente Primo Consule

(1) Cf. infra n. 501. sq.

(2) Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 16. n. 10.

(3) Bened. XIV. ib. n. 13.

(4) Cf. supra n. 305.

(5) Cf. supra n. 359. Alia Episcoporum delicta forte etiam S. Officio iudicanda *committentur,* aut S. C. Consistoriali, potius quam S. Rotae.

(6) Cf. quae supra n. 288. diximus de ratione cur parochus *administrative* removeri possit. Cf. etiam n. 283. causas ob quas Episcopus munus resignare potest.

Notat Bargill. n. 694., quod si Episcopus renueret depositionem acceptare, quando salus animarum graviter est in causa, grave delictum committeret, ob quod deponi posset.

constituere volens, ab omnibus Episcopis tum existentibus renuntiationem postulavit, immo exegit. Actum vero Pii VII. tota Ecclesia, praeter paucos Gallicanos, suo consensu legitimum fuisse agnovit.

477. **Suspenditur** ad tempus potestas Episcopi, qui *excommunicationem* aut *suspensionem* totalem incurrit, statim ac censura denuntiata fuerit; suspenditurque simul eius Vicarii generalis auctoritas. Item impediri potest totaliter exercitium potestatis Episcopi, qui a paganis, haereticis, schismaticis *captus* et *incarceratus* aut *in exilium depulsus*, nec per se nec per litteras aut delegatos gubernare potest.

In utroque casu sedes dicitur *impedita:* cum a iure communi modus dioecesim gubernandi determinatus non sit, a R. Pontifice singulis vicibus providendum erit. Interim Capitulum cathedrale aliquam *administrationem provisoriam* exercebit, de qua infra (in n. 500.) dicetur.

APPENDIX

De aliis Praelatis qui, praeter Episcopos dioecesanos, potestatem episcopalem aut quasi-episcopalem exercent.

478. I. Licet regularis et communis modus fideles gubernandi, ex voluntate Christi Domini, sit constitutio Episcoporum, qui varios coetus tamquam pastores *ordinarii* nomineque *proprio* regant (1), in nonnullis tamen locis aut temporis adiunctis, opportunius animarum saluti providetur, si huic regulae derogetur: tunc generatim R. Pontifex suam *directam* et *immediatam* iurisdictionem in certa territoria certasve personas exercebit, non quidem *per se,* sed per suos *Vicarios*, qui potestatem aliquam *ordinariam* sortiri poterunt (sic *Vicarii* aut *Praefecti Apostolici*), quae tamen *vicaria* manebit, utpote *nomine* ipsius *Sñi Pontificis* exercita.

Hoc a fortiori dicendum est de Cardinali *Vicario Urbis* qui, ad modum Vicarii generalis ipsius Papae, pro gubernanda dioecesi Romana constituitur.

II. Existunt praeterea alii *Praelati,* quibus potestas *ordinaria* et *propria* conceditur, cum exemptione a potestate Episcoporum et directa S. Sedi subiectione: hi, licet Ordinis episcopalis expertes, iurisdictionem etiam *in foro externo* et potestatem *quasi-episcopalem* obtinent.

De his omnibus in praesenti Appendice dicemus. Quamvis enim non inepte disputatio de Cardinali Vicario Urbis et de Vica-

(1) Cf. supra n. 442.

riis Apostolicis ad *Articulum VIII.*, ubi de *Vicariis* agetur, remitti potuisset, aptius tamen visum est si de his, statim post articulum de Episcopis, tractare aggrederemur.

I. De Cardinali Vicario Urbis

479. **De origine et natura eius potestatis.** — RR. Pontifices, qui initio a *presbyterio Romano*, serius a *Cardinalibus* adiuti, negotia tum Ecclesiae universalis tum Sedis Romanae expediebant, saeculo XII. saltem *transeunter* et pro tempore suae *absentiae* ab Urbe, *Vicarium* sibi substituere coeperunt ; inde autem a saec. XIII. etiam *sibi praesentibus* Vicarium generalem, sive « *Vicarium Urbis* », constituerunt. Hoc munus, aliquando ab Episcopo, aliquando a Cardinali exercitum, a Paulo IV. in Consistorio 18. Novembris 1558. ad dignitatem officii *cardinalitii, in perpetuum* conferendi, est erectum (1).

Cardinalis Vicarii potestas, licet *vicaria,* est tamen *ordinaria ;* unde non exspirat morte R. Pontificis ; sese extendit in Urbem eius districtum, non autem in dioeceses et territoria Sedium Suburbicariarum (2). At independentia a Vicario Urbis, quae pluribus ecclesiis Romae, praesertim vero titulis cardinalitiis, competebat, fere totaliter est suppressa, praesertim per Const. « *Rom. Pontifex* » Innocenti XII. 17. Sept. 1692 (3).

480. **De ambitu et exercitio eius potestatis.** — I. In dioecesi Romana Cardinalis Vicarius exercet potestatem *episcopalem Ordinis :* hinc ad ipsum pertinet aliis Episcopis hoc exercitium permittere. (4)

II. Exercet potestatem *episcopalem iurisdictionis,* unde potest :

1) leges dare et Synodum dioecesanam convocare ;

(1) Wernz t. II. n. 679.; Phillips, *KR.* t. VI. § 316.

(2) Benedictus XIV. per Const. « *Rom. Curiae* » 21. Dec. 1744. § 21. potestatem *cumulativam* Vicarii Urbis in has sedes sustulit.

(3) Cf. supra n. 12. (de legibus), n. 342. (de Cardinalibus).

(4) Cf. n. 342. quoad PP. Cardinales. Immo ipsi Cardinales Episcopi Suburbicarii solam tonsuram in suo sacello in Urbe conferre permittuntur. Sic Many, *De S. Ordin.* n. 45.

2) potestatem iudicialem, tam civilem quam criminalem (1), et coercitivam exercere; at causae haeresis S. Officio reservantur.

3) potestatem administrativam exercere, quae tamen coarctatur: tum quoad collationem beneficiorum, quae Datariae Apost. est reservata (nisi de his agatur quorum collatio ad Cardinales in suis titulis pertinet); tum quoad visitationem dioecesis quae fit per Coetum aliquem Cardinalium, qui substitutus est S. C. Visitationis Apostolicae (2).

II. De Vicariis Apostolicis.

481. **Connexio materiae.** — Non agitur hic de antiquis S. Sedis *Vicariis,* qui generatim loquendo *Episcopi* alicuius sedis praestantis iam existentes, tamquam *Legati* R. Pontificis eiusque nomine auctoritatem aliquam supra Episcopos alicuius regionis exercebant: unde potestas Primatis ortum habuit (3).

Sermo est inpraesentia de *Vicariis Apostolicis,* qui a R. Pontifice deputantur, « ut spirituale regimen gerant alicuius regionis, cuius Episcopus et Pastor proprius non existat aut, si existat, aliqua ratione.... impediatur, quominus proprium gregem per semetipsum pascere valeat » (4). In utroque casu R. Pontifex suam iurisdictio-

(1) Lega t. II. n. 300. advertit appellationes a iudiciis aut ordinationibus Episcoporum provinciae Romanae, sive sex Suburbicariorum sive ceterorum, non ad Cardin. Vic. sed ad ipsum R. Pontif. (ad S. Rotam aut SS. Congreg.) deferendas esse. Cf. Wernz n. 598. III.

(2) Const. « *Sapienti consilio* » ad fin.

Per Const. « *Etsi nos* » 1. Ian. 1912. nova Vicariatus Urbis constitutio a SSmo D. N. Pio PP. X. decreta est. Constat Vicariatus quatuor *Officiis:* 1) de divino cultu et visitatione apostolica; 2) de cleri et populi christiani disciplina; 3) de iudiciariis negotiis; 4) de oeconomica administratione. His respective praesunt: *Commissarius*, *Adsessor*, *Auditor*, *Praefectus administrationi*. Suppressum est munus *Vicesgerentis* qui, ordine episcopali insignitus, quasi Vicarius generalis ipsius Cardinalis Vicarii existebat.

Auditor unum tribunal cum Vicario Urbis constituit, et tamquam dioecesanae Curiae. Rom. *Officialis* habetur. Unde ab eo, non ad Card. Vic., sed ad ipsum R. Pontif. (i. e. ad S. Rotam) appellatur.

(3) Cf. supra n. 420. de Legatis S. Sedis, n. 429. de Primatibus.

(4) Bened. XIV. *de Syn. dioeces.* l. II. c. 10. n. 2.

nem *vere episcopalem* directe et immediate in hos fideles exercet, non quidem per seipsum, quod commode facere impeditur, at per suos *delegatos* aut potius *vicarios*.

482. **De Vicariis Apostolicis in locis missionum.** — In terris missionum, aut ecclesiastico regimine destitutis, quarum nunc Papa supremam curam sibi reservat, deputantur vel *Vicarii Apostolici,* vel simplices *Praefecti* aut *Missionarii Apostolici*.

Vicarii Apostolici, inde a saec. XVII. communiter, hodie autem uniformi praxi, *Ordine episcopali* sunt insigniti, et quamvis extra Consistorium (curante S. C. de Prop. Fide) promoveantur, in eo tamen publicantur. Praefecti Apostolici Episcopi non sunt, at iuribus honorificis Praelatorum gaudent.

Utrorumque potestas est *vicaria,* nempe nomine R. Pontificis exercita, *ordinaria* tamen, cum munus quoddam *stabile,* certis iuribus et obligationibus constans et in iure constitutum obtineant.

Porro Vicarii Apostolici iurisdictionem habent, iure communi Episcopis concessam, unde et leges ferre et Synodum cogere ([1]), iudicia et coercitionem exercere valent; immo non raro facultates extraordinariae a S. C. de Prop. F. ipsis attribuuntur. At vicissim facultatibus extraordinariis Episcopis concessis, nominatim a Concilio Tridentino, non gaudent ([2]). Alia etiam iura et praerogativae Episcoporum, praesertim honorificae, ipsis non competunt: sic ius non habent ad thronum episcopalem nec ad cappam magnam, (absque Indulto Apostolico, concedi tamen solito); nec ad septimam candelam, quando pontificaliter celebrant, nec ad concedendam tunc Indulgentiam 50. dierum; eorum nomen in canone non recitatur ([3]).

Vicarium generalem sibi constituere non permittuntur, at *debent* Pro-Vicarium designare, cui interim facultates plus minus amplas

([1]) BENED. XIV. l. c. n. 8.: « Nullus controversiae locus est, quin dioecesanam Synodum cogere et celebrare valeant ».

([2]) ZITELLI, *Apparatus iur. eccl.* p. 129.

([3]) Cf. S. C. de Pr. F. 23. Aug. 1852.; 16 Febr. 1867.; Iul. 1883. etc. in *Collectan.* ed. 2. t. I. n. 1081.; t. II. n. 1304. 1600.

Et cum Capitulum cathedrale non habeant, nec *canonicos honorarios* nominare, nec suis missionariis *insignia* canonicorum tribuere permittuntur. (ZITELLI l. c. p. 129.).

pro lubitu concedunt, qui autem post eorum obitum, tamquam Sedis Apost. delegatus, regimen vicariatus assumit et exercet, donec a S. Sede aliter provisum fuerit (1).

483. II. **De Vicariis Apostolicis in locis in quibus Episcopi constituti sunt** (2). — **Sede vacante** aliquando deputatur Vicarius Apostolicus ob graves et speciales causas, v. g. ob mortem violentam Episcopi, ob dissensum Capituli in eligendo Vicario capitulari aut electionem indigni vel inhabilis, ob longam sedis vacationem.

Gaudet generatim loquendo iisdem facultatibus iisdemque obligationibus tenetur ac Vicarius capitularis (cf. infra n. 503.) immo non raro ampliori potestate ac ipsi Episcopi, ob temporum et locorum necessitates insignitur. Si Episcopus est, ea quae sunt Ordinis episcopalis implere potest.

Iura eius utilia et honorifica a terminis *Brevis* quo instituitur, determinari solent (3).

Potestas eius, quamvis sit *vicaria* (4), simul est *ordinaria:* hinc non cessat per mortem R. Pontificis.

Sede impleta aliquando ob gravem causam designatur Vicarius Apostolicus, sive sit causa culpabilis (v. g. si Episcopus male gubernet, residentiam non observet), sive sit inculpabilis (si senio confectus est, si a gubernio civili aut expulsus est aut dioecesim regere impeditur).

Vicarius iste solet plenam potestatem administrationis habere, quin tamen quidquam in Episcopum possit (5). Eius potestas, qua-

(1) BENED. XIV. Const. « *Ex sublimi* » 26. Ian. 1753. et « *Quam ex sublimi* » 8. Aug. 1755. Is tunc omnibus facultatibus gaudet, quae Vicario Capitulari a iure conceduntur (cf. infra n. 503.); immo facultates ipsius Vicarii Apost. obtinet, praeter eas quae Ordinem episcopalem aut usum sacrorum oleorum requirunt, nisi in casu necessitatis et tantum cum oleis ab Episcopo benedictis. (BENED. XIV. l. cit.). Cf. PRÜMMER, *Man. iur. eccl.* t. I. q. 128.; ZITELLI l. c. p. 136.; OJETTI, *Synop.* v. *Vicar. Apost.*; BARGILLIAT I. n. 512.

(2) WERNZ n. 704. sq.

(3) Cf. FERRARIS, *Bibl. prompta* v. *Vicar. Apost.* n. 31.

(4) Ex derogatione tamen ad regulam generalem de *delegatis* aut *vicariis*, ab eius sententiis ad *Metropolitanum* appellatur.

(5) Immo iudicare aut punire ipsum Vicarium generalem prohibetur.

tenus per Litteras Apostolicas suae delegationis non determinatur, est, sicut in casu praecedenti, fere potestas Vicarii capitularis quoad officia, iura utilia et honorifica.

Si Episcopus moriatur, iurisdictio Vicarii Apostolici perdurat, nec eligi potest Vicarius capitularis ([1]).

III. De Praelatis nullius dioecesis

484. **De natura et exercitio eorum potestatis.** — Iam de *Praelatis in Curia Romana* (supra n. 344.) diximus, distinguentes eos, qui veram *iurisdictionem* exercent (Praelati *reales* seu *veri*), ab iis qui tantum *functiones* quasdam exercent et praerogativas honorificas obtinent (Praelati honorarii). Hic autem nomine *Praelatorum (extra Curiam Rom.)* veniunt clerici, ordinis episcopalis expertes, qui tamen iurisdictionem *ordinariam* et *quasi-episcopalem* etiam *in foro externo* exercent, simul autem a potestate ordinaria Episcoporum exempti sunt et soli S. Sedi subiecti.

Si iurisdictionem hanc exercent in populum et clerum alicuius territorii, quod a qualibet dioecesi separatur, dicuntur, *Praelati « Nullius »* ([2]).

Patet R. Pontificem posse huiusmodi Praelatos constituere, at ipse solus: nam Episcopus ex disciplina vigenti dioecesim suam *dividere* non potest, nec praeiudicium suis successoribus afferre.

Potestas Praelatorum « *Nullius* » et obligationes eorum eaedem fere sunt ac Episcoporum, a iure tamen communi aliquatenus limitatae.

Sic, quamvis potestate legifera et administrativa gaudeant, nequeunt Synodum cogere (nisi ex Indulto aut consuetudine), nec examinatores aut iudices synodales nominare: hinc concursus pro

([1]) BARGILLIAT n. 509. ex multis responsis SS. Congreg. et consensu DD.

([2]) « *Nullius* », scil. *dioecesis*. Praelati qui iurisdict. *fori externi* in eos tantum exercent, qui *intra septa* alicuius monasterii vivunt, ad *infimam* classem Praelatorum pertinent; — si etiam in *populum* et *clerum* alicuius territorii, quod tamen manet in aliqua dioecesi, ad *mediam;* — *suprema* classis est Praelatorum « *Nullius* ». Cf. WERNZ t. II. n. 815. III.

Insuper Praelati possunt esse *saeculares* aut *regulares* (v. g. Abbates generales Ordinum religiosorum).

parochis fit coram examinatoribus dioecesis vicinioris, ad cuius Episcopum spectat tum visitatio Institutorum exemptorum tum ordinatio subditorum Praelati « *Nullius* » (1).

Potestate iudiciali in utroque foro tam in causis *civilibus* quam in *criminalibus* praediti, nequeunt tamen causas matrimoniales iudicare (2). Potestate etiam coercitiva gaudent.

Ceterum obligationibus Episcopi tenetur: scl. residentiae, — S. Missae pro populo celebrationis; — visitationis ss. Liminum; — assistentiae Conciliis illius provinciae quam semel pro semper elegerint.

(1) Praelatus saecularis nec dare potest litteras dimissoriales Ordinandis sui territorii, nec eos ordinare, etsi esset Episcopus. Si tamen sit Praelatus regularis, suis subditis regularibus litteras dare eosque ordinare poterit, si forte Episcopus sit. Cf. GASPARRI, *De S. Ordin.* n. 939. WERNZ n. 818. not. 31.

(2) Sic ex Trid. sess. 24, c. 20. de ref., concludendum videtur. Cf. WERNZ n. 818. not. 29.

Articulus VI

De Capitulis canonicorum

I. Notiones

485. **Connexio materiae** — Sicut R. Pontifex adiutores habet tum *circa se* (in Curia Romana) tum *extra* suam Curiam (quales sunt Legati), ita Episcopus adiutores habet sive *in* ipsa *sede episcopali* (in curia episcopali), sive *extra* locum *suae residentiae* (v. g. Vicarios foraneos). Adiutores qui circa Episcopum habentur, vel personae *singulares* sunt, vel *collegia,* praesertim *Capitulum cathedrale,* quod est ad instar *Senatus* Episcopi (sicut Collegium Cardinalium est Senatus Sm̃i Pontificis).

486. **Definitiones.** — I *Capitulum* lato sensu est *collegium* (corporatio, societas, universitas) *clericorum, auctoritate ecclesiastica institutum, ad cultum divinum promovendum aliasve ecclesiasticas functiones peragendas* ([1]).

Sensu stricto Capitulum est *collegium canonicorum* in *ecclesia cathedrali aut collegiata constitutum;* et Capitulum quidem *cathedrale,* ad duplicem scopum: 1) *adiuvandi* et *supplendi* Episcopum in regimine dioecesis ([2]); 2) *promovendi cultum* divinum per servitium chori; — Capitulum *collegiatum* potissimum ad hunc alterum scopum erigitur.

Capitulum ex lectione « *capituli* » regularum aut libri spiritualis nomen mutuatum esse putatur.

II. Vox « *canonicus* » *originarie* designasse videtur illum qui adscribebatur *canoni* seu *catalogo* clericorum alicuius

([1]) Est collegium *clericorum,* i. e. saltem prima tonsura initiatorum; ipsis enim incumbit *munus ecclesiasticum publicum:* hinc etiam infertur tale collegium a sola *ecclesiastica auctoritate* institui posse; servitium autem chorale intelligitur in *una eademque ecclesia* peragendum.

([2]) Qui est scopus eius principalis iuxta Wernz n. 767. II.

ecclesiae a qua sustentationem obtinebat; — *servus* eum qui vitam *canonicam*, i. e. sub certa *regula* seu *canone*, degebat.

487. **Divisiones.** — *Capitula* sunt: 1) *cathedralia* aut *collegiata*, ratione *finis* et *loci*: *cathedralia* quidem ad adiutorium Episcopi et servitium chori in ecclesia cathedrali destinantur; *collegiata*, ad servitium chori in digniore quadam ecclesia. Collegiata praeterea dicuntur *insignia*, si in urbe insigniore et ecclesia praestantiore erecta, numero sat conspicuo canonicorum et praebendis non nimis tenuibus providentur; secus sunt *non insignia* (1);

2) *regularia* aut *saecularia*, prout eorum membra vitam regularem degunt, aut contra;

3) *exempta* aut *non exempta*, prout directe et immediate a R. Pontifice dependent aut non. Capitula exempta nunc sunt omnino rara (2);

4) *clausa* seu *numerata* et *non clausa*, prout numerus canonicorum est determinatus et fixus, aut non

488. *Canonici* ipsi distinguuntur:

1) pro divisione Capitulorum: *a*) in *cathedrales* et *collegiatos*; — *b*) *regulares* et *saeculares*; — *c*) *exemptos* et *non exemptos*:

2) in *numerarios*, qui praebendam actu obtinent; *supranumerarios*, qui ius ad praebendam vacantem habent (3); *honorarios*, qui aliquos honores et forte iura numerariorum participant (4); hi tum ex clericis dioecesanis, tum ex clericis aliarum dioecesium designari possunt, attentis tamen

(1) Nil certi in iure statuitur, quo Capitula *insignia* a *non insignibus* discriminentur; res fit certa quando aliquod Capitulum in documentis pontificiis tali titulo decoratur.

(2) BENED. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 9. n. 2. sq.

(3) Cum Tridentinum (sess. 25. c. 7.) exspectativas suppresserit, tales supranumerarios solus Papa nunc creare potest. Cf. supra n. 266.; WERNZ t. II. n. 775. et n. 246.

(4) Sic in Borussia ius vocis activae in Capitulo habent. Cf. AICHNER § 122. 4.

limitationibus per Breve Leon. XIII. « *Illud est perpetuum* » 31. Ian. 1894. appositas (1).

3) in *dignitates, personatus, officia* (2).

Dignitas, sensu canonico stricto, intelligitur *praecedentia* **cum** aliqua *iurisdictione fori externi; — personatus, praecedentia* **sine** ulla *iurisdictione* in *foro externo; — officium,* aliqua *administratio* aut *functio* ecclesiastica, *absque iurisdictione* fori externi et *absque praecedentia.*

Nunc, sensu tamen latiori, dicuntur *dignitates,* quidam canonici, quibus sine iurisdictione in foro externo aliqua aut aliquae honorificae praerogativae prae *personatibus* conceduntur; praesertim si olim aliqua iurisdictio fori externi ipsis competebat: talis erit *archidiaconus, archipresbyter* etc.

489. **Notae historicae.** — Origo Capituli derivanda est ex antiquo Episcopi *presbyterio,* quod ipsi in expediendis negotiis ecclesiasticis operam praestabat; certe, praeter ipsos *presbyteros,* etiam *diaconos* includebat, serius vero *ceteros clericos,* saltem quoties de gravioribus negotiis tractandum erat.

Hi clerici, maxime in Occidente, favente coelibatus lege, sub ductu aliquorum sanctorum Praesulum, veluti S. Eusebii Vercellensis († 371.), S. Augustini († 429.), serius S. Chrodegangi Metensis († 766.), aliquam vitam communem, ad imitationem vitae monachalis saepe degerunt (3). Iam autem

(1) Requiritur quidem *consensus Capituli, notitia* et *votum Episcopi* ad quem pertinet clericus extraneus; isti canonici honorarii extranei numero minores sint tertia parte canonicorum talis Capituli. Cf. BARGILL. t. I. n. 722.

Existunt insuper, saltem in Gallia, Canonici « *honoris* » (chanoines d'honneur); qui titulus solis Episcopis aut Praelatis concedi solet, nullam praerogativam nullumque privilegium confert, at ligamen honoris et piae affectionis inter eos et ecclesiam aliquam creat. Sic saepe conceditur a novo Episcopo tum Praelato consecratori tum duobus Praelatis assistentibus. Cf. *Nouv. Rev. Théol.* 1911. p. 186. sq.

(2) Non vacat hic complures alias divisiones canonicorum enumerare quae « magis spectant ad archaeologiam canonicam et ad usus vel non raro potius abusus particularium ecclesiarum ». WERNZ n. 767. III. et not. 11. AICHNER § 122. 4.

(3) Cf. infra Part. III. art. I. in consp. histor. n. 554.

a fine saec. IX., relaxata hac vita communi, paulatim singulis canonicis domus et praebendae distinctae assignari coeptae sunt. Saeculo XII. « praesertim Capitula ecclesiarum *cathedralium* facta sunt corporationes ecclesiasticae *honoribus* et *iuribus* praestantes... Ad ipsas enim v. g. delatum est ius exclusivum eligendi Episcopum, administrandi dioecesim sede vacante, exigendi sede plena, ut in non paucis casibus Episcopus petat praevium consensum vel saltem consilium canonicorum cathedralium » (1). Adde pinguiores reditus et in pluribus regionibus iura politica. Inde non pauci abusus, quos frustra exstirpare conata sunt Concilia dicta « *Reformationis* » (Constantiense et Florentinum), efficacius Conc. Tridentinum; alicubi tantum Revolutio gallica et spoliationes inde subsecutae hos abusus sustulerunt.

II. De Capitulorum erectione et constitutione

490. I. **Erectio** Capituli, sive *cathedralis* sive etiam *collegiati*, ex disciplina hodierna reservatur Smo Pontifici (2); — item *transformatio* Capituli *collegiati* in *cathedrale* et vicissim; — et etiam *suppressio* cuiusvis Capituli.

Iuxta axioma iuridicum: « Tres faciunt Capitulum », in *prima constitutione* Capituli saltem tres sint oportet; at postea iura manent, etiamsi unus solus maneret. Erectio novae dignitatis, non autem restitutio dignitatis, quae olim exstitit in Capitulo, est etiam R. Pontifici reservata (3). At Episcopus potest, de consensu Capituli, canonicatus simplices erigere, etiam in Capitulis numeratis, nisi numerus absolute fuisset a Papa determinatus, aut adiunctio per consuetudinem vel statuta capitularia prohibita sit.

(1) WERNZ t. II. n. 767.

(2) Supra n. 211.

(3) BENED. XIV., *De Syn. dioec.* l. XII. c. 1. n. 8., WERNZ t. II. n. 777. Cfr. supra n. 211. Prohibitio tamen non videtur absoluta et certa, nisi agatur de dignitate inusitata et in iure non expressa. Sic BARGILL. t. I. n. 727., nec videtur dissentire WERNZ t. II. n. 246.

Potest etiam Episcopus simplicem canonicatum supprimere; at requiritur causa necessitatis aut evidentis utilitatis et adhibendae sunt formalitates iuris (1).

491. II. **De constitutione Capituli.** — Quamvis Episcopus aliquo sensu dicendus sit Capituli *caput,* cum istud sit Senatus Episcopi; sensu tamen proprio Episcopus est *extra Capitulum.*

Caput ergo *proprium* Capituli est *prima dignitas,* quae olim fuit *Archidiaconus,* non raro simul *Praepositus* Capituli. Huic, utpote curis externis nimis distento, operam praestabat *Decanus,* simul *Archipresbyter,* internam Capituli curam agens et servitium divinum curans (2).

In hodierna disciplina pro variis locis *prima dignitas* nunc est *Decanus,* nunc *Praepositus, Archipresbyter, Archidiaconus.* Ceterum quaenam in variis Capitulis sint *dignitates,* quinam *personatus,* quo numero existant, quo ordine ab invicem pendeant, non uniformi modo est constitutum, sed maxime a consuetudine, saepe etiam a Concordatis pendet, et haec varietas a Conc. Trid. reprobata non fuit, sed potius rata habita (3).

Saltem inter *officia,* et proinde ut beneficia duplicia, recensenda sunt munera:

(1) Oietti, *Synop.* v. *Suppressio.*; Wernz, t. II. n. 278. Norma habetur in Tridentino (sess. 24. c. 15. de ref.), quando permisit ut in cathedralibus aut collegiatis insignibus, in quibus praebendae multae, at nimis tenues, reperiuntur, Episcopus eis beneficia uniret; si hac ratione sufficienter provideri non possit, aliquas praebendas supprimat, de *consensu Capituli* et *etiam patronorum,* si de iurepatronatu laicorum sint, earum fructus, proventus etc. aliis praebendis applicans, dummodo tot supersint, quot ad divinum cultum et dignitatem ecclesiae capitularis requiruntur.

(2) Maxime ex Saec. XI. — Hic Archipresbyter, etsi sacerdos et animarum curam gerens, subordinatus erat Archidiacono, si excipias Romanum Archipresbyterum.

(3) Sess. 25 c. 6. de ref. Ceterum ex dictis (supra n. 488.) cum de facto nunc nullus in Capitulo retineat iurisdictionem in foro externo, iam non existunt dignitates sensu proprio; retinent tamen titulum dignitatum: sive hi canonici qui olim hanc iurisd. suo muneri adnexam habuerunt; sive qui ex *statuto* vel *consuetudine* eum obtinent (Bargill. n. 737).

Primicerii (1); — *Custodis* (2); — *Sacristae* seu *Thesaurarii*, qui sacrario (ornamentis, vasis pretiosis) praeponitur; — *Theologalis* et *Poenitentiarii*.

Theologalis instituendus est « in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ut ibi lectionem S. Scripturae habeat ». (Trid. sess. 5. c. 1. de ref.).

Poenitentiarius in omnibus cathedralibus, ubi commode fieri potest, constituatur (Trid. sess. 24. c. 8. de ref.). Is (qui debet annum 40. inchoavisse), est velut *parochus* totius dioecesis, absolvitque peccata fidelium ad se accedentium, non tamen reservata R. Pontifici, nec etiam Episcopo absque eiusdem facultate (3).

Ad meras quasdam functiones exercendas deputantur: *Punctatores*, qui canonicos *absentes* a choro *notant*, *Magistri caerimoniarum* etc.

492. **De Canonicatuum provisione.** — Pro variis temporibus varia fuit praxis providendi dignitatibus et officiis in Capitulis: initio, in concedendis officiis ecclesiasticis, sicut in ordinandis clericis, procul dubio libere egit Episcopus, consultis presbyteris et diaconis qui eius presbyterium constituebant.

Introducta in Capitulis vita communi, valde probabile est canonicos in recipiendis novis membris, per *consilium*, forte etiam per *consensum*, partes quasdam obtinuisse, easque servasse etiam post dissolutam vitam communem;

(1) Id est primus in tabula *cerata*, seu in matricula, inscriptus. Sensu *lato*, hoc nomine designatur *primus* inter plures eiusdem ordinis, sic Archipresbyter esset presbyterorum primicerius; at sensu *specifico* designabatur canonicus, qui *iunioribus* canonicis praeerat; serius vero ipsis praefuit: pro Schola, *Frater scholae* (*Scholasticus*, *Scholaster*); pro cantu et servitio liturgico, *Cantor* (*Praecentor*, *Succentor*).

(2) Custos scilicet *ecclesiae* et *claustri*: is, post suppressam vitam communem, saepe idem fuit cum *sacrista*.

(3) BARGILL. n. 746.

immo in multis locis paulatim ex consuetudine praecipuas adepti sunt partes (1), dum alibi Episcopi plenam libertatem aut retinuerunt aut obtinuerunt.

Et a saeculo XIII. a pluribus canonistis propugnari coepit theoria, quae simultaneam collationem ab Episcopo et Capitulo pro iure communi Ecclesiae agnoscebat (2). At ab eodem tempore R. Pontifex in collatione canonicatuum intervenire incepit per *preces* aut *mandata* de providendo, per *exspectativas* aut proprie dictas *reservationes*.

493. **Ex disciplina vigente,** de iure communi, potius generali consuetudine et praxi quam textibus claris fundato, simultanee eligunt Episcopus et Capitulum; sunt ergo duo *collatores,* qui in eumdem convenire debent, non Episcopus solus cum consensu Capituli (3).

At ius commune varias modificationes subiit: tum ex reservationibus R. Pontifici, v. g. primae dignitatis semper, omnium praebendarum in mensibus papalibus (4); tum ex Concordatis (5); tum ex particularibus consuetudinibus et Indultis (6).

Institutio collativa tituli pariter de iure communi ad Episcopum et Capitulum simultanee pertinet (7).

(1) Alicubi *soli*, alicubi *alternative* aut etiam *simultanee* cum Episcopo eligebant.

(2) Insuper, inde a saec. XII. introducta est consuetudo a iure postea approbata, iuxta quam OPTIO ad vacantem dignitatem aut canonicatum antiquiori dignitati aut canonico dabatur (Cap. 4. de consuet. I. 4. in Sexto).

(3) WERNZ t. II. n. 781.

(4) Cf. supra n. 263.

(5) Rex Bavariae ex Concord. a. 1817. art. 10. nominat ad praebendas quae mensibus papalibus vacant. Cf. NUSSI, *Conventiones* p. 150.

(6) In Gallia, cum a. 1802. denuo erigerentur Capitula, facultas Episcopis facta est ut pro prima vice ad dignitates et canonicatus libere eligere valerent: inde orta est consuetudo ut semper libere eligerent, quae reprobata nunquam fuit.

(7) Ad R. Pontif. pertinet, si nominationem sibi reservaverit aliive concesserit; at saepe Episcopum delegat. Si Episcopus *libere* elegit, *libere* titulum confert.

Institutio corporalis fieri debet *capitulariter*; forma in iure non est determinata: unde statutis aut consuetudinibus standum est.

III. De Capitulorum et canonicorum iuribus et obligationibus

494. **De Capitulorum iuribus.** — Capitulum est *corporatio* quaedam ecclesiastica quae, auctoritate publica in Ecclesia constituta, iura obtinet *personae iuridicae* (1), scilicet: 1) *acquirendi* bona propria, eaque *possidendi* et *administrandi*; — 2) *standi* in iudicio; — 3) proprium *sigillum* habendi. Vicissim obligatione stringitur bona sua apte administrandi, etc.

Ad propria negotia tractanda ius habet Capitulum *conventus* seu *sessiones* capitulares celebrandi; quo in casu convocatio et praesidentia Capituli ad primam dignitatem spectat, non ad Episcopum (nisi forte ex consuetudine), cuius ne licentia quidem requiritur; nec ipse obsistere potest, quamvis tractanda vel tractata ipsi (si petierit) sint communicanda (2).

Si tamen Episcopus tractare velit negotia, pro quibus consilio aut consensu Capituli indiget, ad ipsum pertinet convocatio et praesidentia (3).

Ad coetum vocandi sunt qui ius habent assistendi et qui interesse possunt et volunt (4).

(1) Persona iuridica est corpus *morale* (non physicum) cui per legem iura et obligationes tribuuntur: per *fictionem* enim legis habetur ut persona individua, quamvis pluribus constet membris, vinculo quodam societatis inter se coniunctis: ipsi corpori, ut tali, competunt iura obligationesque, ab his distinctae, quae singulis membris competunt.

(2) Bouix, *De Capitulis* p. 174. sq. 409. sq.

(3) Bouix, l. c. p. 260. sq.

(4) Intelliguntur generatim hi qui *in civitate* sunt, immo pro certis negotiis etiam *absentes*, dummodo nimis longe non distent. Si ex industria vel unus omitteretur, actus capitularis ad petitionem contempti rescindibilis esset; immo esset ipso facto invalidus, si plus quam tertia pars ex proposito convocata non fuisset. Cf. Wernz n. 790. I.; Bouix, *De Capit.* p. 177.

Negotia generatim ad *maiorem* numerum praesentium decernuntur, ad *unanimitatem*, si res omnes tangit (1), iuxta Reg. Iuris 29. in Sexto: « quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari ».

Quamvis Capitulum potestate legifera non gaudeat (2) potest *statuta* condere, quibus determinantur horae et modus divini Officii celebrandi, obligationes et iura singulorum canonicorum et officialium, modus administrandi bona Capituli, brevi omnia quae ad regimen internum pertinent. Iuxta disciplinam magis receptam, haec statuta ab Episcopo sunt approbanda, non autem a S. Sede, nisi quid contra ius commune continerent (3).

Insignia et **praerogativae** honorificae Capitulis concedi solent (4). Et praecedentiam obtinet Capitulum cathedrale, quando capitulariter incedit, prae omnibus clericis dioecesis, tum saecularibus tum regularibus, prae Capitulis collegiatis, prae parochis, etiam in propria parochia.

495. **Obligationes,** quae Capitulo ut tali incumbunt, sunt praesertim:

(1) V. g. si agitur de admittendo extraneo ad suffragium in electione, de transferenda in compromissarios potestate eligendi, de bonis communibus Capituli alienandis, locandis, etc. In aliquibus negotiis duae tertiae votantium partes concurrere debent.

(2) Iuxta sententiam magis fundatam. (Cf. supra n. 12. p. 18. not. 2.; WERNZ t. I. n. 94. III. et not. 37). Aliqui tamen auctores, v. g. SCHMALZGR. in l. I. tit. 2. n. 13., tenent Capitulum cathedrale, non collegiatum, veras *leges*, at pro suis solis membris condere posse. Utraque sententia iuxta SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 6. n. 12. est probabilis.

(3) In Gallia, quando vi Concordati a. 1801. novae dioeceses sunt erectae, potestatem Episcopis fecit Card. Legatus Caprara ut statuta haec conderent, relicta successoribus facultate eadem immutandi, requisito tamen consilio Capituli. BARGILL. n. 734.

(4) Insignia pro locis varia sunt. Plerumque conceduntur rochetum, mozetta, almutium, quandoque etiam crux pectoralis et cappa magna. Solus R. Pontifex insignia Capitulo, generatim in ipsa erectione, concedit. (In Gallia a. 1802. Cardinalis Legatus Caprara potestatem, sibi a Pio VII. factam, insignia Capitulis concedendi, subdelegavit ipsis Episcopis). Cf. BARGILLIAT t. I. n. 766.

1) *Officii divini* recitatio et *Missae capitularis* celebratio. Quas obligationes ut urgeret, Conc. Tridentinum usum antiquiorem repristinandum decrevit, reservandi nempe aliquam partem redituum praebendarum, quae his *tantum* distribueretur, qui in Choro praesentes invenirentur (1).

Obligatio Officium divinum quotidie integre in ecclesia recitandi et Missam Capitularem quotidie etiam celebrandi et benefactoribus Capituli fundatoribusque in genere applicandi, urget omnia Capitula cathedralia et collegiata (2).

2) *Reverentiae* et *obedientiae* Episcopo praestatio. Reverentiam Capitulum manifestat, primam sedem et locum Episcopo relinquens, ipsi assistens eumque concomitans et reducens, quando in ecclesia cathedrali aliave civitatis aut suburbiorum solemniter celebrat aut pontificalia exercet.

Obedientiam significat, iustis mandatis Episcopi obsecundando, visitationem eius admittendo, iusto iudicio eius se submittendo.

496. III. **De iuribus et obligationibus canonicorum.** — **Iura** singulorum canonicorum sunt sequentia:

1) Ius *suffragii* in Capitulo, dummodo sint subdiaconi, (ex consuetudine et praxi ius tum *activum* tum *passivum* solis subdiaconis competit).

2) Ius ad *sedem*, seu *stallum* in choro (quod ius participant etiam canonici honorarii).

3) Ius percipiendi *fructus* suae praebendae, necnon *quotidianas distributiones*, si debita condicio verificetur: scilicet si canonicus **sit realiter** praesens in choro, aut iuxta ius **pro praesente habeatur.**

(1) Sess. 21. c. 3., sess. 22. c. 3., sess. 24. c. 12. de ref.

(2) Bouix, *De Capitulis* p. 317. sq. innixus Bened. XIV. *Instit. eccles.* 107. § 2. n. 12., dat ut communem et solam tutam sententiam quae omnia Capit. collegiata, etiam non insignia, tum ad Officium tum ad Missam obligat. Consentiunt: Gasparri, *De Euchar.* t. I. n. 627.; Bargill. t. I. n. 757.; Wernz t. II. n. 788. Ubi rubricae secundam vel etiam tertiam Missam praescribunt, haec non necessario, etsi laudabiliter, pro iisdem celebratur, nisi specialis vigeat consuetudo. Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 9. n. 12.

Pro praesente enim habetur, in ordine ad lucrandas distributiones quotidianas ordinarias (1), qui abest: 1) ob *evidentem ecclesiae utilitatem:* ita poenitentiarius, dum actu confessiones audit; — theologus, qua die lectionem habet; 2) ob *infirmitatem* aut iustam et rationabilem *utilitatem corporalem.*

Alii vero, licet dispensentur a choro et fructus praebendae percipere pergant, ad distributiones quotidianas ius non habent: sic Vicarius generalis (quando simul canonicus est); — examinatores synodales, dum officio suo funguntur; — canonici qui S. Scripturam aut Theologiam docent, vel qui S. Theologiae aut iuri canonico in aliqua Universitate student.

4) ius utendi variis *insigniis* aliasque *praerogativas honorificas* participandi, quibus Capitulum gaudet (2).

497. **Obligationes** singulorum canonicorum, praesertim in Capitulis cathedralibus, sunt potissimum sequentes:

1) *Ordo:* omnes canonici cathedralis saltem subdiaconi esse debent (3);

2) *Professio fidei*, qualis a Tridentino et nunc insuper a *Motu proprio* « *Sacrorum Antistites* » determinata est (4).

(1) Quaedam enim distributiones speciali prorsus modo reservantur solis realiter praesentibus.

(2) Capitulares extra ecclesiam propriam insigniis uti prohibentur, (nisi ex consuetudine per totam dioecesim eis uti possint). Ratio est quia insignia ipsi Capitulo, qua tali, non singulis canonicis conceduntur: hinc eis uti non deberent, nisi quando capitulariter procedunt, vel in ipsa ecclesia cathedrali.

Canonici honorarii iisdem insigniis gaudent ac canonici numerarii. Iis uti non possunt extra ecclesiam suam, si pertineant ad minorem Basilicam aut ecclesiam collegiatam almae Urbis, extra dioecesim si ad Capitula extra Urbem constituta pertineant (Leo XIII, Breve 21. Ian. 1894.) Cf. BARGILL. n. 722. b.

Canonicus singularis non praecedit parochum in parochia eius, nisi Episcopum suum comitetur, tunc quasi unum fit cum Episcopo.

(3) Supra n. 226.

(4) Cf. supra n. 273. Professio Tridentina solos canonicos cathedrales urgebat, alios non, nisi in prima Synodo dioecesana. At nunc omnibus

3) *Residentia*, pro canonicis ecclesiae cathedralis vel collegiatae insignis (1).

Ipsis tamen indulgetur absentia annua trium mensium, nisi consuetudo obstet et dummodo tot remaneant, quot necessarii sunt ut chorus convenienter haberi possit. Haec absentia coniungi potest cum absentia anni praecedentis aut sequentis; nec requiritur licentia Episcopi, nisi ut a dioecesi absint.

Qui residentiam non observant, primo anno dimidiam partem fructuum, altero anno omnes fructus amittunt; crescente contumacia Episcopus contra ipsos, usque ad beneficii privationem, procedere potest (2).

4) *Chorus* et *Missa*. Obligatio, qua ipsum Capitulum adstringitur, ita canonicos ligat ut ipsi teneantur *omnes* et *personaliter, integre, distincte, reverenter, devote* horis debitis psallere (3). — Quoad Missam, consuetudines, statuta, pacta determinare possunt modum quo celebrans designetur; ceteri canonici, nisi legitime impediti aut dispensati sint, ei interesse debent (4).

N. B. Canonici qui per quadraginta annos servitium Chori laudabiliter et assidue in eadem ecclesia expleverunt, a S. Sede obtinent per modum *privilegii* (non *iure stricto*) *iubilationem*. Iubilati dispensantur a Choro, sine fructuum nec distributionum iactura, et alibi residere non prohibentur (5).

---

canonicis imponitur cum iuramento contra modernismum; et haec quidem, antequam possessionem sui beneficii ineant, emittenda est.

(1) Supra n. 277. sq. Cf. Oietti, *Synop.* v. *Canonici* n. 722. sq.

(2) Trid. sess. 24. c. 12. de ref. Cf. Bened. XIV. *Instit. eccles.* 107. n. 37. sq.; Wernz t. II. n. 486.

(3) Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII, c. 9. n. 10. sq.

(4) *Rubricae* novi Psalterii ad normam Bullae « *Divino afflatu* », tit. XII., assistentiam canonicorum pro *unica* illa Missa, quae pro benefactoribus celebratur, exigunt; aliae, quae forte a rubricis praescribuntur, nunc extra Chorum (generaliter saltem) legentur.

(5) Santi, *Prael. iur. can.* in l. III. tit. 4. n. 78. Oietti, *Synop.* v. *Iubilatio*.

IV. De potestate Capituli cathedralis in administranda dioecesi

498. Quae hucusque dicta sunt ad Capitula in genere pertinent; quae sequuntur soli Capitulo cathedrali conveniunt.

Cum enim quasi Senatus Episcopi sit, ipsumque defunctum suppleat, partes in administratione dioecesis habet: tum sede *impleta*, tum sede *vacante* (per mortem, renuntiationem, translationem, depositionem Episcopi), tum sede *impedita* (scil. si Episcopus neque per se neque per Vicarium aut delegatum administrare valet).

A) De potestate Capituli sede plena

499. Sede plena, ius commune sive *consilium* sive etiam *consensum* Capituli quoad plura requirit. **Consilium** Capituli exquirere debet Episcopus in negotiis maioris momenti, aliquatenus dubiis, seu in quibus manifestum non est quid sit faciendum (1). At illud consilium sequi non tenetur.

(1) Cap. 4. 5. X. de his quae fiunt a Prael. sine consensu Capit. III. 10. Per praescriptionem iura Capituli adhuc ampliari potuerunt; at vicissim Episcopus suam libertatem praescribere potuit contra necessitatem habendi sive consilium sive etiam consensum. Ibi quaeri potest: an probari possit consuetudo vi cuius Episcopus nunquam consilium Capituli peteret? *Affirmat* SCHMALZGRUEBER (in l. III. tit. 10. n. 11.) « At melius alii scriptores », ait WERNZ, (velut SANTI, BOUIX, SCHERER), « facile admittunt in casibus *particularibus* libertatem Episcopi... per consuetudinem posse augeri; at illam consuetudinem merito rationabilem et a supremo legislatore approbatam non habent, secundum quam Episcopus *nullo unquam in casu* et ne in casibus iure Tridentino praescriptis vel solum *consilium Capituli* exigit. Id enim videtur esse contra *scopum principalem*, ob quem Capitula cathedralia instituta sunt ». (WERNZ Schol. II. post. n. 793.) Cf. BARGILL. n. 762. de consuetudine in Gallia vigente.

Si autem consilium *non petiit*, *invalida* est eius decisio, nisi postea Capitulum eam ratam habuerit, vel S. Sedes defectum sanaverit.

Casus praecipui, in quibus requirendum est Capituli consilium, sunt: 1) novarum legum constitutio aut antiquarum abrogatio, sive intra sive extra Synodum; — 2) collatio beneficiorum (liberae collationis); — 3) aedificatio novi monasterii; — 4) substitutio iudicis synodalis (1).

Consensus Capituli in omnibus negotiis gravissimis exigitur, quibus in perpetuum ecclesiae aut successoribus Episcopi notabilis obligatio imponitur aut notabile praeiudicium generatur. Sic requiritur:

1) ad *alienationem* bonorum immobilium (nisi sint exigua et parvi valoris), vel mobilium pretiosorum (2);

2) ad ea quae *speciem alienationis* prae se ferunt, cuiusmodi sunt uniones, divisiones, suppressiones, dismembrationes beneficiorum;

3) ad erigendum aut supprimendum beneficium in ipso Capitulo aut ad alia negotia quibus damnum Capitulo infertur;

4) ad imponendum novum tributum;

5) ad nominandos extra Synodum examinatores pro concursu Tridentino et remotione administrativa parochorum, necnon consultores pro eodem fine (3).

(1) Sess. 25. c. 10. de ref. Insuper: 1) pro aliquibus negotiis requiritur consilium duorum canonicorum (cf. HERGENRÖTHER-HOLLWECK, *KR.* n. 425. II.); 2) pro administratione Seminarii duplex commissio constituenda est eiusque consilium requirendum: una pro regimine spirituali, « duorum canonicorum seniorum et graviorum quos ipsi (Episcopi) elegerint »; altera pro administratione temporali. « duorum de Capitulo, quorum alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat ». (Conc. Trid. sess. 23. c. 18. de ref.).

(2) Cf. *Quaest. sel. e. t. II.* n. 19. 20.

(3) Cf. supra n. 464.

B) De potestate Capituli sede impedita

500. Sedes dicitur *impedita*, quando Episcopus dioecesim nequit administrare nec *per se* nec per *Vicarium generalem* aliumve *delegatum*, praesertim: 1) si incarceratus est ab infidelibus, haereticis, schismaticis, et etiam commercium litterarum ipsi impossibile evasit (1); — 2) si gravi et diuturno morbo laborat (dummodo in utroque casu nullum delegare potuerit); — 3) si *excommunicatus suspensusve* fuerit (tunc enim ipsius Vicarii generalis potestas suspenditur).

In his casibus, sedes proprie vacans non est, nullusque modus gubernandae dioecesis a iure communi determinatus invenitur; unde quamprimum ad S. Sedem recurrendum est, quae providebit, v. g. Vicarium Apostolicum nominando; interim aliqua provisoria administratio per Capitulum exercetur.

C) De potestate Capituli sede vacante.

501. Sedes dicitur *vacans*, quando Episcopus mortuus est aut renuntiavit, aut depositus est, aut ad aliam sedem promotus.

Usque ad saec. XII. administratio dioecesis, sede vacante, multis et valde diversis mediis exercita est (2). Circa

(1) Immo si ab hostibus capiatur et abducatur, sedes habetur ut vacans de facto, nominatur Vicarius capitularis, at statim S. Sedes est certior facienda et consulenda. Cf. SÄGMÜLLER, *KR.* § 96. 3. ex cap. 3. de suppl. negl. Praelat. I. 8. in Sexto.

(2) Primis temporibus per ipsum *presbyterium* ecclesiae, unde non levia incommoda saepe orta sunt; quae ut caverentur, Metropolitani, praesertim a saec. IV, *Visitatores* (seu *Interventores*, *Intercessores*) constituere solebant, qui cum presbyterio gubernabant; paulatim principales clerici ecclesiae eam regere coeperunt. Nec raro ad Episcopum viciniorem devoluta est administratio. Cf. BENED. XIV. *De Syn. dioec.* l. II. c. 9. n. 1.; BARGILL n. 799.; WERNZ n. 795.; HERGENRÖTHER-HOLLWECK, *KR.* n. 429.

saec. XII. Capitulo cathedrali, cuius auctoritas multum creverat, exclusive reservari per consuetudinem incepit; quam praxim brevi post Decretales ad legem universalem evexerunt (1), non determinato modo quo Capitulum administraret: unde nunc capitulariter, nunc per turnos, nunc per vicarios delegatos ad nutum revocabiles dioecesim regebat.

Ut abusibus et incommodis inde ortis obveniret, constituit Tridentinum: « (Capitulum) Officialem seu Vicarium intra octo dies post mortem Episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur ».

Usque ad designationem Vicarii illius, Capitulum exercet collegialiter omnia iura, quae ad iurisdictionem Episcopi spectant, nec a iure aut a R. Pontifice specialiter sunt ei interdicta aut excepta. At ad electum Vicarium statim transit tota Capituli potestas.

De Vicario capitulari aptius ibi tractandum videtur, quam si ad quaestionem de Vicariis disputatio remitteretur.

D) De Vicario capitulari

502. **De eius deputatione.** — Vicarius capitularis *unicus* assumendus est, nisi consuetudo immemorialis, vel saltem tolerata, existat complures designandi (2).

Eius designatio fit per *electionem* simplicem, i. e. per deputationem muneris suffragatione legitima factam, seu per decretum capitulare recte conditum iuxta formas ad actus Capituli requisitas (3).

Si Capitulum intra octo dies post acceptam mortis notitiam neminem (aut indignum scienter) elegerit, devolvitur

(1) Cap. 2. X. ne sede vacante III. 9.; c. 14. X. de mai. et obed. I. 33.; c. unic. eod. tit. I. 17, in Sexto.

(2) Ita in Gallia. Cf. BARGILL. n. 814. sq.

(3) Cf. supra n. 232. 494. Convenit ut fiat per suffragia secreta, nec videtur posse quis *valide* sibi ipsi suffragium dare. S. C. Conc. 23. Nov. 1698. 18. Apr. 1885.

electio ad Metropolitanum (aut ad eius Capitulum aut Vicarium capitularem, si sedes archiepiscopalis vacaverit) (1).

Vicarius capitularis iis *qualitatibus* instruatur oportet, quae pro *officio curato* requiruntur (sit clericus, legitimus, saltem 25^{m} annum attigerit, « saltem in iure canonico sit doctor vel licentiatus vel alias, quantum fieri poterit, idoneus » (Trid. Sess. 24. c. 16. de ref.) (2).

Extra Capitulum sumi potest; non autem is qui iam nominatus, electus aut praesentatus esset ad ipsam sedem vacantem; si autem post electionem in Vicarium, vocaretur hoc modo ad sedem, in suo munere pergit (3).

503. **De natura et exercitio eius potestatis.** — Potestas Vicarii capitularis est *ordinaria* at *vicaria:* 1) *ordinaria,* praesertim eo sensu quod munus Vicarii cum iuribus et obligationibus propriis in iure communi determinatur, sed etiam eo sensu quod totam potestatem Episcopi ordinariam, sive voluntariam sive contentiosam, quae ad Capitulum delata erat, ad ipsum transit.

2) *vicaria,* nam est ipsa potestas quam ius Capitulo, sede vacante, attribuit, quamque per se prohibetur exercere (4). Quamvis Vicarius capitularis, generatim loquendo, potestatem episcopalem exerceat, in exercitio tamen huius potestatis, oblivisci nunquam debet regulam, quae rubrica tit. 9. l. III. exprimitur: Ne sede vacante aliquid innovetur. Hinc graviora negotia expedire nequit, nisi urgens adsit necessitas.

(1) Devolvitur electio: ad antiquiorem Episcopum suffraganeum, si Capitulum sedis metropolitanae negligens fuerit in eligendo Vicario, sede vacante; ad propinquiorem Episcopum, si de ecclesia exempta agitur.

(2) Relictis disputationibus de ea re ortis, dicendum videtur non constare de nullitate electionis illius qui *licentiatus* non est, praetermisso alio canonico *licentiato*, nisi simul constet hunc idoneum, illum non idoneum esse. Cf. WERNZ n. 795. II.

(3) Pius IX. Const. « *Rom. Pontifex* ». 28. Aug. 1873.

(4) Cf. BENED. XIV. *De Syn. dioec.* l. II. c. 9. n. 2.; WERNZ n. 795. I. et III. Hinc minus recte videtur locutus esse BARGILLIAT n. 811.: « Vic. capitularis, sede vacante, stricto sensu non est Vicarius Capituli, sed Ordinarius est, habens iurisdictionem in ipso Capitulo ».

Sic prohibetur: 1) conferre beneficia *liberae* collationis Episcopi, aut ea quae is cum *consensu Capituli* confert; bene vero beneficia *necessariae* collationis confert, aut quae ad Episcopum simul et Capitulum pertinet conferre (1);

2) *alienare* bona ecclesiae *cathedralis* vel *mensae episcopalis;* et generaliter unire, dividere, dismembrare beneficia.

3) *Synodum* dioecesanam cogere, *nisi post annum* ab ultima quam habuit Episcopus;

4) *dioecesim visitare, nisi elapsus* sit *annus* ex quo visitata est pars quam ipse visitare vult;

5) *litteras dimissoriales* ad Ordines accipiendos dare *primo anno* vacationis, nisi his qui arctati sunt ob beneficium adeptum aut adipiscendum (2).

Facultates Episcopo *delegatae,* ratione *personae* aut *dignitatis* episcopalis, ad Vicarium non transeunt; illae autem, quae habitualiter a S. Sede *Episcopis* aliorumque locorum *Ordinariis* sunt concessae, sive ad praefinitum tempus sive ad certum numerum casuum concedantur, ad Vicarium transeunt (3).

De delegationibus quae in iure exprimuntur, v. g. quae a Tridentino Episcopis datae sunt, « tamquam S. Sedis delegatis », aut « etiam tamquam S. Sedis delegatis », res est dubia (4).

Insignia, quibus Vicarius capitularis uti potest, vi *Motus proprii* « *Inter multiplices* » 21. Feb. 1905. sunt ea quae Pronotariis titularibus conceduntur, qua dignitate, munere suo dumtaxat durante, decoratur.

(1) Supra n. 268.

(2) Sic v. g. qui parochiam adeptus est, debet intra annum sacerdotio augeri. Cf. supra n. 226.

(3) S. Offic. 24. Nov. 1897., 3. Maii 1899. quibus declarationibus ad omnes huiusmodi facultates extendit id quod iam decretum fuerat pro dispens. matrimonial. Cf. Collect. S. C. de Prop. F. t. II. n. 1985. 2045. 2046. 1685.

(4) Ita WERNZ n. 795. III. a); OIETTI. *Synop.* v. *Vicar. capit.* p. 4094.

504. **De cessatione potestatis Vicarii capitularis.** — Cessat statim ac novus Episcopus litteras suas Capitulo praesentavit. Insuper per *remotionem* legitimam a S. Sede (eaque sola) factam; vel per *renuntiationem*, ab ipso rite factam et publicatam, ad cuius valorem non requiritur Capituli acceptatio (1).

Articulus VII

De Parochis

I. Notiones

505. I. **Definitiones.** — « **Parochus** est is clericus qui cum potestate *ordinaria* et *propria* aliquam dioecesanorum partem in foro interno regit » (2).

Dicitur *clericus*, at insuper ex disciplina vigente debet esse *sacerdos* aut, si Ordinem presbyteralem nondum accepit, ipsum intra annum accipere tenetur, ob *curam animarum*, ad quam *personaliter* exercendam vocatur (3);

cum potestate ordinaria et propria: quamvis enim dependenter ab Episcopo curam hanc exerceat, eam tamen *vi officii* sibi commissi *proprioque nomine*, seu tamquam *titularis* huius officii exercet. Hinc sequitur Episcopum potestatem parochi arbitrarie restringere non posse (4)

in foro interno, non autem mere sacramentali, cum ad parochum pertineat praedicare, catechizare, varias dispositiones disciplinares statuere, exhortari, reprehendere (5);

(1) Non cessat per eius electionem, nominationem etc. ad ipsam sedem vacantem. Cf. supra n. 502.

(2) Biederlack, *Ius eccl. priv.* p. 207. (ad usum privat.).

(3) Cf. c. 30. X. de praebendis III. 5.

(4) « Quorum iurisdictio, etsi ab Episcopo pendeat eique subiaceat, non est tamen delegata sed ordinaria, nec potest sine legitima causa aut prorsus auferri aut adeo imminui ut fere inanis remaneat ». Bened. XIV., *De Syn. dioec.* l. V. c. 4. n. 2.

(5) Cf. supra n. 192.

aliquam partem dioecesanorum, qui solent esse incolae unius *parochiae,* i. e. ultimae divisionis territorii dioecesani; at existunt etiam parochi *personales,* ut statim infra dicetur.

506. **Parochiae** nomen, quo olim districtus Episcopo subiectus designabatur (reservato nomine dioecesis districtui patriarchali) (1), nunc ut designatio territorialis aliquam partem, *ultimam* nempe *divisionem territorii dioecesani,* indicat, in qua degunt fideles, curae presbyteri (parochi) addicti, qui vi officii eos in foro interno regit.

Aliquando nomine parochiae venit: 1) ipse *fidelium coetus,* qui intra hos limites degunt; — vel 2) *ecclesia,* cui isti adscribuntur et in qua Sacramenta recipere solent et aliquando debent; — vel 3) *officium,* seu beneficium curatum parochi.

507. **Parochiani** generatim dicuntur fideles, qui intra fines parochiae *domicilium* aut *quasi-domicilium* habent (2). At etiam *vagi* quodam sensu sunt parochiani, quatenus parochus loci in quo degunt, quamdiu ibi degunt, quasi eorum proprius parochus habetur. *Peregrini* etiam propter simplicem commorationem quoad quaedam ipsi parocho subiiciuntur: v. g. ab eo recipiunt Sacramenta Poenitentiae et S. Eucharistiae (3).

508. II. **Divisiones**. — Distinguuntur parochi: 1) *perpetui* aut *ad nutum amovibiles*, qui etiam dicuntur *deservitores* (desservants) (4);

(1) Bouix, *De parocho* p. 6. sq. Cf. supra n. 427.

(2) *Domicilium* contrahitur per actualem commorationem in loco, iunctam cum intentione ibidem *in perpetuum* manendi; *quasi-domicilium*, per actualem commorationem cum intentione ibidem per *maiorem anni partem* manendi. Semel contractum domicilium aut quasi-domicilium non amittitur nisi cessante **et** *commoratione* **et** *intentione* praedicta.

Vagus est is qui nullibi domic. aut quasi-domic. habet; *peregrinus,* qui actualiter degit extra locum sui domicilii aut quasi-domicilii. Cf. *quaest. sel. e t. II.* n. 70.

(3) Ipse in parochia sua eorum matrimoniis semper valide assistit, immo licite si per mensem ibi commorati sint. Decret. « *Ne temere* » n. 4. 5.

(4) Cf. Bouix, *De parocho* p. 220. sq.

Origo *deservitorum* habetur ex Concordato (aut potius occasione Concordati) a. 1801. Cum enim gubernium Gallicum numerum sufficientem

2) *saeculares* et *regulares;* quod discrimen inducitur: *a*) ratione *parochi*, prout ipse saecularis aut regularis est; *b*) magis adhuc ratione *parochiae*, quae etsi a Regularibus modo constanti administraretur, regularis non dicitur, nisi saltem *pleno iure* conventui Regularium incorporetur (1).

3) *actuales* et *habituales:* hi ultimi officium parochiale non per seipsos implent, at titulum et quaedam iura parochi retinent; ad ipsos etiam pertinet clericum designare (2), qui *actu* animarum curam exerceat: is dicitur parochus *actualis*. (*Actualis* dicitur etiam parochus ille, qui beneficium parochiale modo ordinario obtinens, omnia iura et obligationes muneris parochialis, non tantum animarum curam habet);

4) *locales* et *personales:* primi quidem officio suo funguntur erga omnes fideles qui ratione territorii parochialis ipsi subditi sunt (3); *personales* hi sunt, quibus fideles aliqui subiiciuntur non ratione *loci* sed *personarum*, v. g. ratione *familiae* (parochi gentilitii), ratione *conditionis* (capellani militum, aulicorum) aut *ritus*. Sed aliquando potestatem in subditos suos tantum in loco determinato exercere valent; aliquando independenter a loco (4).

---

parochiarum proprie dictarum creare noluisset, decrevit per Artic. Organ. 60. 63. creationem parochiarum *succursalium*, quorum parochi ad nutum Episcopi nominandi et revocandi essent. Quae dispositio, quamvis iuri canonico derogaret, quod institutionem perpetuam statuit, Ecclesiae tamen libertati favebat: unde S. Sedes eam toleravit, immo statuit Episcopos propria auctoritate eam tollere non posse. Cf. Rescripta Greg. XVI. ad Episc. Leodiens. 1. Maii 1845. et Pii IX. ad Episc. Ebroic. 5. Oct. 1864.

(1) Supra n. 215.

(2) *Habitualiter* hanc curam providendi exercent et titulum parochi *habitualiter* conservant.

(3) At iurisdictio eius in eos qui facti sunt subditi ratione territorii etiam extra territorium saltem quoad quaedam extenditur, v. g. quoad absolutionem peccatorum, olim quoad matrimonium. Cf. supra n. 194.

(4) Parochi Rituum Orientalium, in territorio suo tantum, matrimoniis valide assistunt. S. C. Conc. 1. Febr. 1908; cf. VERMEERSCH, *Comment. in Decr.* « *Ne temere* » n. 39., CHOUPIN, *Les Fiançailles et le Mariage* n. 28. E contra Capellani militum *ubique* matrimoniis eorumdem assistunt. CHOUPIN n. 29.

5) *exempti* aut *non exempti*, prout Episcopus in eos auctoritatem propriam aut tantum delegatam exercet.

6) parochi ecclesiae *matricis* vel *filialis*. Ecclesia *matrix* ea est ex qua per divisionem formata est nova parochia. Si ex dote eius dotata est nova ecclesia, quaedam iura in hanc retinet (olim v. g. ius exclusivum *baptizandi*, *sepeliendi*, penes matricem saepe manebat; nunc communiter tantum signa quaedam subiectionis a filiali ipsi debentur, v. g. obligatio alicuius quantitatis cerae;

7) *singuli* vel *collegiati*, prouti unus vel plures (v. g. canonici cathedrales) per modum collegii parochiam administrant.

509. **De origine muneris parochialis** ([1]). — Primus omnium Guilielmus a S. Amore, ad impugnanda privilegia Regularium in exercendo sacro ministerio, theoriam illam invexit quod officium parochorum *iure divino* esset institutum, quatenus parochi successores 72. discipulorum Christi existerent, et gradum aliquem *tertium* in hierarchia *iurisdictionis necessario* occuparent. Postea alii doctores Sorbonici, praesertim Gerson, eamdem sententiam amplexi sunt, a qua Thomassinus, non obstante praeclara sua eruditione, plane alienus non fuit; maiori adhuc ardore Gallicani et Iansenistae eam propugnaverunt, ut S. Sedis auctoritatem imminuerent. Immo parochis etiam iurisdictionem *fori externi* vindicaverunt, ita ut saltem in *Synodo dioecesana* (et iuxta nonnullos, etiam in *Conciliis*) suffragium deliberativum sibi vindicare possent.

Quae sententia *nova*, cum per 12. saecula prorsus ignorata fuerit, ex *origine* sua valde suspecta, iam a S. Thoma ([2]), iussu Clementis IV., egregie confutata, serius contra Pistorienses a Pio VI. reiecta ([3]), nunc omnino antiquata dicenda

([1]) Bouix, *De parocho* Part. I. c. 6. 7.; Wernz t. II. n. 821, III.; Scherer, *Handb.* I. p. 627. sq.

([2]) *Opusc. contra impugnantes Dei cultum et religionem.* Item in *Summ. theol.* 2.ª 2,ae q. 188. art. 4.

([3]) Bulla « *Auctorem fidei* » prop. 9. sq. Denz-Bannw. n. 1509. sq.

est. Pugnat enim: 1) cum *traditione constanti* Ecclesiae circa potestatem Episcoporum; 2) cum ipsa *historia.*

Et primo quidem, cum certum sit R. Pontificem teneri ex institutione Christi *Episcopos* in partem suae administrationis adhibere (1), e contra nullo modo constat idem dicendum esse de parochis, scl. quod Christus *simplices* aliquos *sacerdotes* instituerit, qui modo communi deputandi essent ad curam animarum *ordinariam, vi officii* sui *proprioque nomine* exercendam. E contra *constans* fuit *traditio* Christum reliquisse suae Ecclesiae curam determinandi: 1) *utrum* adhibendi essent necne *presbyteri* in *adiutores* Episcoporum; 2) cum *qua potestate, ordinariave* et *propria*, an mere *delegata.*

Insuper *historice* constat parochos proprie dictos per tria priora saecula non exstitisse, et si saltem saec. V. et VI. praxis tales constituendi *ruri* adhiberi coepta est, non nisi circa saec. XI. in *civitatibus* saltem *episcopalibus* (si forte excipiantur Roma et Alexandria) viguisse cernitur. Immo postquam Concilium Tridentinum (2) hanc divisionem in parochias, tamquam normam communem, praescripsit, non ubique et ad amussim observatum est eius mandatum.

II. De parochiarum erectione et collatione

510. I. **De erectione parochiae.** — Erectio novae parochiae fit: 1) per *creationem*, si nondum existebat, v. g. in regione missionum; aut si *supprimatur* et *statim* denuo *erigatur,* sicut in Gallia post concordatum a. 1801. factum est; 2) per *divisionem;* tunc Episcopus procedere debet iuxta praecepta iuris communis (3). Causa *iusta* quae exigitur, a Tridentino indicatur *nimia distantia* vel *arduitas viarum,* at nunc, ex hodierna S. C. Concilii iurisprudentia, etiam *nimius parochianorum numerus* pro iusta causa habe-

(1) Pro modo et cum limitationibus supra n. 442. indicatis.
(2) Sess. 24. c. 13. de ref.
(3) Supra n. 217. 216. cum not.

tur (1); — requiritur *consensus Capituli*, nisi Episcopus agat *tantum* ut delegatus S. Sedis; — audiendi sunt ii quorum interest (2); — at beneplacitum S. Sedis non videtur petendum; — providenda sunt sufficientia media ad sustentationem novi parochi vel ad necessitates ecclesiae, sive ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, sive compellendo populum ea subministrare quae sufficiant. (Conc. Trid. sess. 21. c. 4. de ref.).

Contra decretum Episcopi, quo novam parochiam constituit, non datur appellatio *in suspensivo*, sed *in devolutivo* tantum.

511. II. **De parochiarum collatione**. — Iure *supremo* et *pleno R. Pontifex* parochias, velut cetera omnia beneficia, conferre valet, at nisi collationem aliquarum parochiarum iure *communi*, v. g. in mensibus papalibus, ubi haec reservatio adhuc subsistit, aut iure *speciali* sibi reservaverit, *ordinarius* et *liber* collator officiorum parochialium est *Episcopus*, aut ex *speciali* eius mandato *Vicarius generalis* (3). — In casu negligentiae Episcopi, collatio devolvitur ad Superiorem (4). — Libertas Episcopi per varias dispositiones iurispatronatus non raro coarctatur (5).

Qualitates, quae ex iure communi ab his exiguntur, qui beneficium parochiale obtinere volunt, sunt praesertim: 1) *aetas 25. annorum* inchoatorum; — 2) *status clericalis*, et aliae conditiones ut possit *intra annum sacerdotium* suscipere; — 3) *legitimi natales*, aut dispensatio a R. Pontifice (6); — 4) *hone-*

(1) Bouix, *De parocho* p. 253. sq.; Wernz t. II. n. 264. et not. 34. Cf. *Etudes* 20. Mart. 1913. t. 134. p. 801. sq., ubi refertur quid Pius VI., quid Leo XII. de numero incolarum, in parochia non nimis augendo, senserint.

(2) Etiam parochia *incorporata* monasterio dividi potest; tunc audiendum est monasterium, at eius consensus non requiritur. Cf. Bouix l. c. p. 250. 272.; Prümmer t. I. q. 79.; Wernz t. II. n. 267.

(3) Si collatio esset *necessaria*, mandatum *speciale* non requireretur.

(4) De devolutione cf. supra n. 265. et 269. 7.

(5) De iurepatron. cf. supra n. 244. sq., praes. n. 257.

(6) Iuxta canonistas, v. g. Bouix, *De iudiciis* t. I. p. 389.; Bargill. t. 1. n. 780. 310. c.; Wernz t. II. n. 804. II., alia dispensatio requiritur pro officio curato, alia adhuc pro dignitate.

stas vitae et *scientia* sufficiens ad verbum Dei praedicandum et Sacramenta rite ministranda.

Cum autem promovendus, ubi plures sunt candidati, debeat esse *dignior*, ad hoc facilius obtinendum institutus est concursus Tridentinus (sess. 24. c. 18. de ref.) (1).

512. **De concursu Tridentino.** — Examinis a Concilio Tridentino praescripti forma (2) accuratius a variis RR. Pontificibus, praesertim a S. Pio V., Clemente XI. et Benedicto XIV. Const. « *Cum illud* » 14. Dec. 1742., determinata est; plures tamen modificationes a consuetudine aut ob interventum (illicitum quidem) potestatis civilis introductae, in pluribus regionibus approbatae aut saltem toleratae sunt (3).

Concursus ille est indicendus pro omnibus beneficiis parochialibus, quae *in titulum*, i. e. in perpetuum, conferuntur, etiamsi sint iurispatronatus ecclesiastici, (non autem laicalis) (4), aut reservata S. Sedi, aut incorporata (dummodo *in titulum* conferantur). Excipiuntur beneficia valde tenuis reditus, ea ad quae nemo saltem bis se praesentaverit, ea tandem pro quibus timentur rixae, iurgia, si hoc modo conferantur (5).

Quando vacat parochia, vocat Episcopus per *edictum publicum* eos qui promoveri cupiunt. Examen fit coram Episcopo vel, eo impedito, coram Vicario generali, et saltem tribus ex *examinatoribus synodalibus*; est partim scriptum, partim orale (6). Non tantum constare debet de scientia candidati in solvendis casibus et quaestionibus propositis, so-

(1) Cf. sess. 7. c. 3. 13. de ref.

(2) Ulteriores determinationes formae relictae fuerant a Concilio Tridentino Synodis provincialibus: at inde praxes arbitrariae vel abusus non raro irrepsere. Cf. WERNZ t. II. n. 827.; BOUIX, *De parocho* p. 333. sq.; LUCIDI, *De visit. ss. Liminum* t. I. cap. 3. § 5.; CAPPELLO, *De vis. ss. Lim.* t. II. p. 100. sq.

(3) De praxi in variis regionibus cf. WERNZ t. II. n. 827. not. 37.

(4) Praesentatus a laico « ab iisdem deputatis.... examinari et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti » debet. Trid. sess. 24. c. 18.

(5) Sufficit tunc ut de idoneitate promovendi Episcopo ex consilio deputatorum constet. Cf. BARG. t. II. n. 862.

(6) Const. cit. Bened. XIV. n. 16. IV.

lertiam in concione exaranda, aut in « explicando oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite vel a SS. Patribus, vel a S. Conc. Trid., vel a Catech. Rom. excerpto » (1); at insuper perpendere debent examinatores alias eius qualitates, scil. mores, prudentiam, aptitudinem ad regendam eam parochiam de qua agitur. *Non-idoneos* suo iudicio reiiciunt, *idoneos* Episcopo renuntiant, qui digniorem eligit (2).

Qui per designationem factam ab Episcopo se laesum arbitratur, appellare poterit intra 10. dies a die collationis, at *in devolutivo* tantum. Si eius petitio a Superiore reiecta fuerit, non datur locus ulteriori appellationi; si vicerit, alter appellare potest et interim manet in possessione. Beneficium definitive adiudicatur vincenti in ea appellatione (3).

III. De parochorum obligationibus et iuribus

513. I. Praeter obligationem *orandi* pro suis parochianis, *Officium divinum* recitandi, *Missamque* diebus dominicis aut festis de praecepto celebrandi (4), tenentur parochi: 1) ad *professionem fidei* Tridentinam et *iuramentum* contra Modernistarum errores emittendum *ante* adeptam professionem: alioquin fructus non faciunt suos, nec eis possessio suffragatur (4);

2) ad *residentiam,* non tantum in parochia, sed etiam in domo parochiali, si qua sit, quae ecclesiae vicina esse deberet. Nec sine licentia Episcopi abesse eis licet, quae scripto danda est nec ultra bimestre (5) concedenda, nisi ex gravi causa. Haec quamvis non expressa in iure, per analogiam cum dictis pro Episcopo, intelligi potest: christiana caritas,

(1) Const. cit. ibid.

(2) Cf. CAPPELLO l. c. p. 105. de variis casibus qui occurrere possunt.

(3) BARGILL. n. 861.

(4) Cf. supra n. 274. 443.

(5) Bimestre intelligitur sive continuum, sive etiam interruptum. Nec praetendere potest parochus *ius aliquod strictum* ad *absentiam* duorum aut etiam unius mensis quotannis obtinendam.

urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas (1).

Ex Tridentino erui nequit quamdiu, absque Episcopi licentia, abesse possit parochus; ob causam legitimam unum aut duos dies abesse non prohibebitur, nisi particularis lex aut consuetudo aliud statuerit. — Item pro brevi absentia ex consuetudine sufficit licentia *oretenus* data. Semper autem, etiam pro brevi absentia, cavere debet parochus damna, quae parochianis forte occurrere possent, v. g. monito parocho vicino qui facile ipsum supplere possit.

Illegitime absens graviter peccat, fructus beneficii non facit suos nec eos tuta conscientia retinere potest, etiamsi nulla sententia intercesserit. Ceterum absentes potest Episcopus etiam per edictum generale citare et si contumaces sint, « per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum aliaque iuris remedia, etiam usque ad privationem, compellere » (Trid. sess. 23. c. 1. de ref.).

514. II. **Curam ovium** suarum exercere debet parochus: unde eas *cognoscere,* eis *bono exemplo* praeire, « *pauperum* aliarumque *miserabilium* personarum curam paternam gerere » (2), omniaque *opera* promovere quae ad *bonum spirituale,* immo et *corporale* (in ordine semper ad spirituale) conferunt; etiam *pravos libros* aut periodica arcere *bonorumque* librorum diffusionem pro posse promovere ipsi incumbit.

Ad curam animarum praecipue referuntur *praedicatio, catechismus, cura iuvenum* (3):

1) **Praedicatio** verbi divini parocho diebus dominicis et festis iniungitur, et si Episcopus statuerit, quotidie vel saltem ter in hebdomada tempore Adventus et Quadragesimae. Nec ipse excusatur per consuetudinem contrariam etiam immemorialem, aut exiguum auditorum

(1) Cf. supra n. 444.

(2) Trid. sess. 23. c. 1. de ref.

(3) Optime has obligationes proponit BARGILL. t. II. n. 895. sq., argumenta adducens ex documen. pontific., v. g. ex Pii X. Encycl. « *Il fermo proposito* » 11. Iun. 1905.

numerum, vel frequentiam concionum in aliis ecclesiis loci. Graviter peccat saltem si per tres menses (1) non praedicat. Et si ab Episcopo monitus fuerit nec obtemperaverit, « per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium » cogatur, de qua sententia appellatio in devolutivo tantum conceditur.

Si impeditus fuerit, supplendus erit ab aliis ab Episcopo approbandis, nisi ageretur de sacerdote noto et idoneo, raris vicibus substituendo, quia tunc Episcopus eum approbare praesumitur (2).

Quid praedicare debeant iam a Tridentino inculcatum fuit: « docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant » (sess. 5. c. 2.). Saepius autem tum a Leone XIII., tum a Pio X., tum in variis locis a Conciliis provincialibus, etc., inculcatum est quid praedicatores docere, quosnam abusus cavere debeant (3).

2) **Catechismum** pueris tradat parochus, saltem diebus dominicis et festis: fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes eos doceat.

Immo, necessitatem maximam illius instructionis apprime perspectam habens, Sñus D. N. Pius PP. X. praecepit ut semel in hebdomada integra hora pueri catechismum docerentur, et ut in singulis parochiis ad adiuvandos parochos constitueretur Congregatio doctrinae christianae (4).

Eadem Constitutione praecipitur ut parochi festis diebus « catechesim ad fideles instituant facili quidem sermone

(1) Haec est communis sententia, capite 2. sess. 5. de ref. Conc. Tridentini innixa; quidam severiores dicunt grave esse, si per mensem non praedicaverit: res ex adiunctis pendere videtur.

(2) Ita communiter. Cf. BARGILL. n. 896.

(3) Ceterum de hoc dicendum erit in t. II. Cf. Instr. de sacra praedic. S. C. Ep. et Reg. 31. Iul. 1894.; Pii X. Enc. « *Acerbo nimis* » 15. Apr. 1905.; Enc. « *Pieni l'animo* » 28. Iul. 1906.

(4) Encycl. « *Acerbo nimis* » in parte disposit. n. I. III.

et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae » (1).

3) Curae erga pueros pro captu suo doctrina christiana imbuendos affinis est cura exercenda circa adolescentes post scholam et primam Communionem, ut in doctrina profundius addiscenda proficiant et ad vitam vere christianam instituantur: secus ob pericula quibus praesertim nostris diebus exponuntur, non minus pro fide ac pro moribus, « periculum suberit ne lugenda nimis pruina diuturnarum vigiliarum fructus subito decoquat atque absumat » (2).

4) Sacramenta suis parochianis administrare ex iustitia tenentur (3),

5) libros parochiales (baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, mortuorum, status animarum) accurate asservare et convenientes inscriptiones exacte describere debent (4).

515. **De parochorum iuribus et privilegiis. — Iura** parochorum (5), quae *ad curam animarum* referuntur, quatenus *exclusivam* aliquam potestatem in hac cura exercenda signant, nunc non sunt ita multa: ipsis adhuc reservatur: 1) *collatio baptismi* suis parochianis, excepto casu necessitatis vel specialis consuetudinis aut privilegii; item *benedictio fontis* baptismalis;

2) administratio *Communionis paschalis, Viatici* et *Extremae Unctionis* et *funerum* celebratio; *Primae Commu-*

(1) Ead. Encycl. n. VI.

(2) Pius X. ad Episcopos Bavariae 30. Apr. 1911. In *Act. Ap. Sed.* t. III. p. 264.

(3) Cf. auctores Theol. mor.

(4) Lucidi, *De visit. ss. Lim.* t. I. c. III. n. 241. sq.

(5) Nasoni, *Iur. can. Compend.* p. 139. sq.

nis in forma solemni saltem ex consuetudine in multis locis (1)

3) proclamatio *bannorum matrimonii;*

4) benedictiones quaedam, praesertim accedente consuetudine.

Iura utilia parochorum imprimis continent ius ad congruam sustentationem, sive ex *beneficio* aut *pensionibus* (v. g. a gubernio) solutis, sive ex oblationibus et decimis fidelium.

Articulus VIII

De Vicariis

I. Notiones de Vicariis in genere

516. **Definitio et divisiones.** — *Vicarius* est is qui alterius *vices* gerit, seu qui alterius potestatem loco eius exercet.

Ex dictis supra n. 193. potestas *vicaria* opponitur potestati *propriae,* non autem *ordinariae,* cum et ipsa aliquando simul sit *vicaria* et *ordinaria,* si nempe munus aliquod vicarii in iure inveniatur constitutum cum suis iuribus et obligationibus.

Distinguuntur: 1) Vicarii *ordinis* et *iurisdictionis.* Qui alterum supplet quoad munus *Ordinis* tantum, v. g. ad Officia divina celebranda aut ad Sacramenta quaedam conferenda, v. g. S. Eucharistiam, quae iurisdictionem in administrante non praecise supponunt, dicitur *vicarius Ordinis;* si ipsum supplet in exercenda *iurisdictione,* dicitur *vicarius iurisdictionis* fori *interni* aut etiam *externi* (2);

(1) Gasparri, *De S. Euch.* n. 1171. Wernz t. II. n. 830. At certe ius admittendi ad Primam Communionem ipsis non reservatur. Cf. Decret. « *Quam singulari* » 8. Aug. 1910. n. IV. Cappello, *De visit. ss. Lim.* t. II. tit. 80.

(2) A pluribus reservatur nomen vicarii *iurisdictionis* illi qui alterius vices in *utroque foro* gerit; tunc is qui tantum in foro *interno* alterum supplet, dicitur vicarius *in divinis,* aut forte etiam vicarius *Ordinis.*

2) Vicarii *a iure* et *ab homine*. Vicarius *a iure* est is quem statim descripsimus; si autem aliquis a Praelato competente deputatur, qui eius vices quoad *certa* munia exerceat, dicitur Vicarius *ab homine*. Solus R. Pontifex, in disciplina vigente, aliquod *munus* vicarii constituere potest, quod certis iuribus et obligationibus modo *permanenti* instruatur (1).

3) Per respectum ad *personam* cuius vices agunt, distinguuntur Vicarii: 1) *R. Pontificis* (Cardinalis Vicarius Urbis, Vicarii et Praefecti Apostolici); — 2) *Episcoporum* (Vicarius generalis, Vicarii foranei); — 3) *Capituli* (Vicarius capitularis); — 4) *parochorum*.

4) Vicarii *dati* et *nati:* vicarii *nati* sunt Praelati aut clerici, qui simul ac munus aliquod *ordinarium*, potestate *propria* exercendum, adipiscuntur, etiam *vicariam* potestatem obtinent (2): sic v. g. saepe fit ipso facto *Vicarius foraneus* qui parochiam aliquam principaliorem obtinet; — vicarii *dati* hi sunt, qui ad munus vicarii exercendum directe vocantur.

5) Sunt tandem vicarii qui *simul* cum eo, cuius vices gerunt, potestatem exercent, v. g. Vicarius generalis; alii vero *exclusive* et *soli* (sic Vicarius capitularis).

Cum iam de *Vicariis R. Pontificis* post Articulum V. de Episcopis egerimus, (n. 479. sq.), et de *Vicario capitulari*, ubi de Capitulo (n. 502. sq.), non restat nunc nisi ut de *Vicariis Episcoporum* et de *Vicariis parochorum adiutoribus* loquamur.

(1) Cf. SCHMALZGR. in l. I. tit. 28. n. 32.

Hinc nullus Praelatus sibi substituere potest aliquem, qui plenam eius potestatem *irrevocabiliter* et *in perpetuum* exerceat, nam sic *constitueret* novum munus ordinarium. Cf. supra, n. 196.

(2) Olim Archiepiscopi Thessalonicenses, titulum *Vicarii* R. Pontificis pro Illyrico Orientali obtinuerunt; at potius *Delegati* eius quam veri *Vicarii* erant: unde de his locuti sumus, ubi de Legatis, n. 420.

II. De Vicariis Episcoporum

A) De Vicariis in pontificalibus et Coadiutoribus Episcoporum

517. Vicarius Episcopi in genere est clericus legitime constitutus, qui ipsius vices supplet: sive in *functionibus Ordinis* aut *divinis mysteriis* (Vicarius in pontificalibus, Coadiutor in divinis); — sive in *iurisdictione* potissimum *fori externi* (Vicarius generalis, Officialis); — sive in *iurisdictione* solius *fori interni* (Poenitentiarius).

Vicarii in pontificalibus (1), qui Episcopi *titulares* sunt, pro solo exercitio Ordinis episcopalis, v. g. pro collatione Ordinum, adhibentur.

Coadiutores in divinis, et ipsi Episcopi *titulares* (2), Episcopo dioecesano in adiutorium dantur (3), praesertim si hic morbo, senectute aliave causa sit impeditus *omnia* munia sua exercere, aut etiam quando ob graviores occupationes, dioecesis amplitudinem vel ipsam dignitatem tali auxilio sublevandus iudicatur (4).

(1) De *Vicariis in pontificalibus* cf. WERNZ t. II. n. 807. sq. His praeiverunt *Chorepiscopi* illi, quorum attributiones sat indeterminatae multis disputationibus occasionem dederunt: alicubi *Episcopi*, alibi vero *presbyteri*, amplioribus praerogativis donati, exstitisse videntur: ob graves abusus et impugnationes Hincmari, Pseudo-Isidori (cf. supra n. 71.) etc., iam a saec. X. in Gallia, saec. XII. et XIII. in Germania, Anglia, Hibernia suppressi sunt.

(2) Antea Episcopi « *in partibus* » dicebantur (supra n. 441.). Cf. BENED. XIV., *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 14. n. 3. 9.

(3) Interest discrimen notare inter *Coadiutorem* istum, qui Episcopi vicarius est, et *Vicarium Apost.* qui nomine ipsius R. Pontificis aliquando constituitur ut sedem *vacantem*, aut etiam *impletam* gubernet. Cf. supra n. 481.

(4) NASONI, *Iur. can. Compend.* p. 121. Cf. quae supra n. 343. de Cardinalibus, Episcopis suburbicariis, diximus.

Hi Coadiutores aut *temporarii* sunt, i. e. ad vitam Episcopi dioecesani concessi, aut *perpetui*, i. e. cum iure successionis ad eiusdem sedem; eorumque potestas vel ab ipso Episcopo vel per mandatum R. Pontificis determinatur.

B) De Vicario generali

518. **Notae historicae** [1]. — Ex necessitate debuerunt Episcopi sibi quosdam *adiutores* assumere, inter quos, saltem inde a saeculo IV. eminuit *Archidiaconus*, ad quem spectabat cura pauperum, oblationum fidelium distributio, regimen clericorum inferiorum, immo ius visitandi et corrigendi clericos etiam per verum iudicium. A saec. XI. etiam adhibebantur Archidiaconi *rurales*, quibus iurisdictio in propria et distincta territoria attributa erat.

Decurrente tempore ita excrevit Archidiaconorum potestas, ut eorum munus aliquod officium *ordinarium* evaserit, cum *stabili* et *ordinaria iurisdictione* in fideles, clericos et etiam in simplices presbyteros, addita potestate *iudicandi* in prima instantia [2].

At saepe Archidiaconi, tam ampla potestate elati, non parum molestiae Episcopis attulerunt, et liberam eorum administrationem multum impediverunt. Hinc Episcopi sibi *Officiales*, *ad nutum revocabiles*, constituere coeperunt [3], tum in civitate *episcopali* saec. XII. (Officialem seu Vicarium *urbicum*), tum *per dioecesim* inde a saec. XIII. (Officiales seu Vicarios *foraneos*).

Institutione horum Vicariorum iam multum imminuta fuerat potestas Archidiaconi; maius adhuc detrimentum sub-

[1] THOMASSIN, *Vetus et nova disciplina* P. I. lib. II. c. 17. sq. Cf. BOUIX, *De iud. eccl.* t. I. p. 342. sq.; WERNZ n. 800.

[2] Ab ipsis ad Episcopum appellabatur. Cf. WERNZ t. V. n. 85. cum not.

[3] Quamvis hi in Decretal. Greg. IX. non commemorentur, certe tunc in pluribus locis iam adhiberi debuerunt, et saepe in Sexto et in Clement. agitur de Officiali aut Vicario generali Episcopi.

iit ex dispositione Tridentina, qua iudicium in prima instantia, in causis *criminalibus clericorum* et in *matrimonialibus*, Archidiacono subducta est (excepto casu consuetudinis immemorialis), et Episcopo reservata (1). Unde nunc in plerisque regionibus Officium Archidiaconi, omni iurisdictione destitutum, ad meram *dignitatem honorificam* in Capitulis est reductum (2).

519. **De munere Vicarii generalis in iure hodierno.** — Vicarius generalis, ex disciplina nunc vigente, est is *clericus, qui cum generali potestate constituitur, ut vices Episcopi gerat, in exercenda iurisdictione sive voluntaria sive contentiosa.*

Habet is *perfectam*, i. e. *utriusque* fori, iurisdictionem et Episcopum adiuvat in regenda tota dioecesi. Immo potestas eius debet esse *universalis* in totam dioecesim, tum quoad personas, tum quoad causas, *universalitate* quadam *morali*. Ratio est quia munus Vicarii est aliquod officium (3), *iure communi* et *scripto* approbatum et constitutum, ad cuius iura et obligationes pertinet illa moralis *universalitas* (4).

Et hac de causa etiam potestas Vicarii generalis est *ordinaria* (5): unde et ipse reputatur *Ordinarius;* immo

(1) Sess. 24. c. 20. de ref.; cf. sess. 25. c. 3. de potestate excommunicandi Episcopis reservata.

(2) WERNZ t. II. n. 800.

(3) Est *officium*, non *beneficium*, cum (saltem communiter) ipsi non annectatur ius perpetuum percipiendi fructus ex certis bonis ecclesiasticis. Insuper est ad nutum revocabile. Cf. supra n. 203. 204.

(4) Unde si haec ipsi denegaretur, non iam esset *Vicarius generalis*, at merus *delegatus* Episcopi nec iuribus et potestate gauderet, quam ius commune vel facultates speciales S. Sedis Vicario generali attribuunt.

(5) Quae sententia nunc multo communior dici potest, et tenetur a BOUIX, *De iud. eccl.* t. I. p. 361. sq.; WERNZ t. II. n. 805.; BARGILL. t. I. n. 770.; ipsique favet AICHNER in ed. 11. § 124. p. 435. Aliqui auctores, cum DEVOTI, *Ius canon. univ.* l. I. tit. 28. § 3. eam dicunt DELEGATAM; recentiores quidam, veluti VERING, *Lehrb.* § 149. 182., secuti HINSCHIUS, *KR.* t. I. p. 185. sq. eam vocant QUASI-ORDINARIAM, vel VICARIAM ET MANDATAM. Cf. n. 193. cur *delegata* dici non debeat; conceptus autem potestatis *quasi-ordinariae* merito reiicitur a pluribus, ut novus in iure canonico, sat vagus et male definitus. Cf. WERNZ l. c.

Leo XIII. per Decr. S. Officii 20. Feb. 1888. decrevit nomine Ordinarii loci, quoad facultatem dispensationes matrimoniales concedendi, venire etiam Vicarium generalem.

Potest dici potestas Vicarii *una* et *eadem* cum Episcopi potestate, in quantum eam *nomine Episcopi*, non nomine *proprio* exercet (1): unde Episcopus acta Vicarii sua facere debet nec ea rescindere potest, nisi quando propria rescindere posset (generatim tantum acta *extra-iudicialia*). Ceterum de *natura* huius potestatis et de consequentiis inde in praxi deducendis adhuc infra n. 524. dicetur.

520. **De Vicarii generalis designatione.** — Episcopus, statim ac Litteras Apost. Capitulo cathedrali praesentavit, Vicarium generalem sibi constituere *potest*, nullo tamen iuris textu *obligatur;* poterit autem ob specialia adiuncta per S. Sedem cogi; immo iam *iure naturali* et certe *praxi*, per S. C. Concilii et S. Rotam confirmata, debebit talem nominare, si *diu* et *notabiliter* a dioecesi sit abfuturus.

Plures sibi constituere, nisi ex Indulto aut ob consuetudinem saltem tacite approbatam, prohiberi videtur (2).

Officialis, distinctus a *Vicario generali*, cum potestate *exclusiva* sed *universali* ad iurisdictionem *contentiosam,* non agnoscitur a iure (3). Hinc Vicarius generalis hanc etiam iurisdictionem retinere debet, saltem quoad usum *validum*, licet ab ea exercenda *prohiberi* possit.

Forma designationis Vicarii a iure non est determinata; convenit ut *scripto* fiat, non quidem ad validitatem sed ad faciliorem probationem.

521. **Dotes Vicarii generalis** (4). — **Requiritur:** 1) *Aetas* saltem *25. annorum* (inchoatorum), cum sit officium *curatum;* expedit ut minor 30. annorum ne sit;

(1) At eius potestas non tam ab *Episcopo* quam ab ipso *iure* ipsi conceditur, ut recte advertit Bouix, l. c. p. 359. sq.

(2) Sententia haec melius fundata videtur, eo quod ius semper de unico Vicar. gen. loquatur. Multo minus posset Episcopus *collegium* aliquod Vicariorum constituere. Cf. Vering l. c. § 149. in not.

(3) Cf. Wernz t. V. n. 105. not. 123.

(4) Wernz t. II. n. 804. II.; Bouix, *De iudic. eccl.* t. I. p. 388. sq.

2) *legitimitas*, aut specialis dispensatio a R. Pontifice (1);

3) saltem *prima tonsura*, ultra quam *ius commune* nil explicite requirit ex parte Ordinum. Omnino tamen *convenit* ut sit *sacerdos* et, ubi statuta vel consuetudines hunc Ordinem requirunt, ipsis standum est;

4) aliae tandem *dotes*: probitas vitae, maturitas iudicii, prudentia, rerum agendarum peritia, scientia (2), ipsum commendare debent.

Prohibentur: generatim *Regulares;* nisi in terris missionum; — hi qui exercent *munus incompatibile*, v. g. qui parochiam extra civitatem episcopalem regunt (3).

Convenit et alicubi etiam *praecipitur* ut Vicarius generalis *frater*, *nepos*, immo *consanguineus proximus* Episcopi non sit. At ne *oriundus* sit e *civitate* episcopali aut *dioecesi*, si particularibus decretis pro exiguis dioecesibus fuit constitutum, numquam generalis prohibitio exstitit (4).

522. **De ambitu potestatis Vicarii generalis.** — Vicarius generalis, vi *mandati*, quo munus ipsi confertur: « potest expedire omnes causas quae spectant ad *ordinariam*, non delegatam iurisdictionem Episcopi (5), *exceptis* iis quas *Episcopus* sibi expresse et specialiter reservavit, aut *ipsum ius commune* excepit ». (Wernz n. 805. III,). Quare potest in tota dioecesi: sacrum magisterium exercere, praedicare, matrimoniis assistere et Sacramenta administrare; — confessarios approbare, missionem canonicam concedere, exa-

(1) Iam diximus supra n. 511. specialem dispensationem requiri pro officio *curato*, aliam adhuc pro *dignitate;* iamvero Vicariatus generalis pro dignitate habetur (infra n. 525.).

(2) Unde *convenit* ut sit doctor vel licentiatus saltem in iure canonico.

(3) Immo particularia decreta SS. Congr. et communis canonistarum doctrina excludit eos qui munere sive parochi in ipsa civitate episcopali sive Canonici *poenitentiarii* fungerentur.

(4) Et quod *talis* sit, quando de ampla dioecesi agitur, periculum vix inducit, et saepissime est valde utile. Ita Wernz n. 804. II. init. Rigidiores sunt: Santi in l. I. tit. 28. n. 29.; Bouix, *De iudic. eccl.* t. I. p. 396. sq.

(5) Cf. supra n. 503. de Vicar. capit. *Delegationem* quam *ius*, v. g. Concilium Tridentinum, Episcopis concedit, Vicarius gener. non habet; facultates generales, quae nunc *Ordinario* dantur, habet.

mini concursus parochialis praeesse, coadiutores parochorum instituere; — monasteria et loca pia non-exempta visitare; — potestatem iudicialem in causis litigiosis etiam matrimonialibus, non in criminalibus, saltem gravibus (1), exercere.

Potest quidem Episcopus quaedam ex his sibi *reservare*, ita tamen ut potestas Vicarii aliquam *universalitatem* moralem retineat.

523. Ius autem commune plura excipit a potestate *ordinaria* Vicarii: ad alia exigens *speciale* Episcopi *mandatum*, alia etiam ipsi *committi prohibens*.

De iure communi eget Vicarius speciali mandato Episcopi ut possit:

1) litteras *dimissoriales* ad Ordines suscipiendos dare;

2) in *irregularitatibus* et *suspensionibus* ex delicto occulto dispensare, vel a casibus *occultis* ad tramites Concilii Tridentini absolvere (2).

3) beneficia *liberae* collationis Episcopi conferre (3); (c. 3. de off. Vic. I. 13. in Sexto).

4) Indulgentias concedere;

5) dioecesim visitare;

6) inquirere, corrigere, punire, aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovere (c. 2. de off. Vic. I. 13. in Sexto) (4).

Tandem, quoad ea quae *in iure expressa* non inveniuntur, regula generalis prae oculis habenda est, quae in c. 3.

(1) Iuxta CARD. LEGA, *De iud. eccl.* t. II. n. 331. 340. potest in criminalibus non ita gravibus iudicare.

(2) Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de ref. « Liceat Episcopis... per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae... absolvere ». Etiam in casibus Episcopo reservatis absolvere nequit absque speciali mandato. Cf. FERRARIS, *Bibl. pr.* v. *Vic. gener.* art. II. n. 66. et alios auctores communiter.

(3) At beneficia *necessariae* collationis conferre potest, iuxta sent. quam *magis receptam* iam vocabat BENED. XIV. *De Syn. dioec.* l. II. c. 8. n. 2.; — item potest institutionem *auctorizabilem* institutionemque *realem* dare. (Cf. supra n. 268. 270. sq.).

(4) « Potest tamen punire intra limites paternae correctionis ». PRÜMMER, *Man. iur. eccl.* t. I. q. 107.). Item BOUIX n. 786. a). Cf. LEGA l. c. in not. 1

de off. Vicarii I. 13. in Sexto traditur, nempe quod « *in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus* ». Hinc certe requiritur mandatum speciale Episcopi, ut Vicarius possit: 1) *leges* ferre aut abrogare; — 2) *Synodum* convocare; — 3) *erigere officia* vel *beneficia* aut eorum statum *immutare* (1).

Quaedam, at pauca tantum, suo Vicario *delegare* Episcopus *prohibetur,* v. g. quae iure divino vel ecclesiastico Ordini aut dignitati episcopali reservantur (nisi Vicarius sit Episcopus), aut quae ex iure communi ab Episcopo impedito ad alium devolvuntur, v. g. convocatio Synodi provincialis a Metropolitano impedito ad antiquiorem Suffraganeum (2).

524. Notandum est tandem Episcopum, si quando suo Vicario potestatem tribuit ea peragendi, quae speciale mandatum requirunt, ipsum vel tamquam *delegatum* suum adhibere posse, vel tamquam *vicarium,* ad haec negotia potestatem eius *vicariam* extendendo. Si prius, a Vicario ad Episcopum appellabitur; si posterius, directe ad Superiorem Episcopi, nam Vicarius tunc nomine Episcopi agit, sicut in ceteris negotiis, quae potestate sua *ordinaria* Vicarii generalis absolvit, *unumque* cum ipso *tribunal* seu *consistorium* constituit (3).

Inde etiam sequitur: 1) non Episcopum, sed Metro-

(1) Item ut possit: 1) ea exercere quae ad potestatem *Ordinis episcopalis* pertinent, etsi Episcopus esset, v. g. Ordines conferre, ecclesias consecrare; — 2) erigere *Confraternitates* earumve statuta approbare; — 3) licentiam concedere ad *nova monasteria* aut *conventus* aedificandos.

Si Episcopus licentiam Vicario suo concedere vult huiusmodi negotia absolvendi, vel in *speciali mandato* ea exprimit, vel simul in *mandato generali quaedam* ex his per modum exempli *exprimit* et addit v. g.: « *et omnia alia quae speciale mandatum requirunt* »; tunc non supponuntur exclusa nisi negotia his maiora et graviora; immo aptius adhuc enumeraret Episcopus quae excepta vult.

(2) Absolutio ab *haeresi occulta* soli Episcopo a Trid. sess. 24. c. 6. de ref. permittebatur, at nunc ipsi Episcopo est sublata, iuxta sent. communem et vix non certam. Ben. XIV. *De Syn. dioec.* l. IX. c. 4.

(3) Cf. c. 2. de consuet. I. 4. in Sexto; Ben. XIV. l. c. l. II. c. 8. n. 1.

politam, in *causis contra Vicarios* generales aut *Officiales* suorum Suffraganeorum, esse competentem; — 2) Episcopum teneri de resarciendis damnis a Vicario generali latis, si sciens et ex negligentia culpabili aliquem inhabilem aut pravum elegit vel retinuit; — 3) Vicarium generalem ad reddendam suae administrationis rationem Episcopo successori non teneri (1).

525. **De iuribus Vicarii honorificis et utilibus.** — I. Vicarius generalis, ex sententia communi, consideratur ut constitutus *in dignitate* (2). Non est *Praelatus* nisi lato sensu (3); at vi *Motus proprii* « *Inter multiplices* » 21. Februarii 1905. « munere dumtaxat durante, erit Protonotarius titularis ». — Hinc in choro, si habitu vicariali sit indutus, canonicos praecedit, nisi sint parati, i. e. sacris vestibus induti (4).

II. Ius habet ad *congruum salarium* pro honesta sustentatione, quod ipsi Episcopus praestare tenetur, nisi aliunde, v. g. ex pensione a gubernio soluta, ipsi provideatur.

526. **De cessatione potestatis Vicarii generalis.** — Cessat potestas Vicarii: — 1) per *revocationem* sui mandati: est enim ad nutum Episcopi revocabile; — 2) per omnes modos, quibus potestas Episcopi cessat: praecise quia potestas eius nomine Episcopi exercetur.

Et si suspenditur potestas Episcopi, v. g. per excommunicationem, suspensionem a iurisdictione, interdictum, suspenditur etiam Vicarii potestas.

At si Episcopus administrare nequeat, v. g. quia incarceratus est aut in exilium pulsus a gubernio, et Vicarius maneat, pergit in suo munere nec habetur casus sedis impeditae (5).

(1) Quod Greg. XIII. a. 1578. expresse declaravit. Cf. Bouix l. c. 7. p. 454. cum sentent. communi.

(2) Licet minus stricte, quia perpetuitas *subiectiva* in munere deest.

(3) Supra n. 484. Cf. Bargill. n. 772. b.

(4) S. C. Rit. 6. Sept. 1603. Cf. Hergenr.-Hollw. *KR.* n. 336. Bargill. n. 762.

(5) Cf. supra n. 500.

C) De Vicariis foraneis

527. **Notae historicae.** — Facile intelligitur ex dictis (supra n. 518.) quomodo munus Vicarii foranei ex his *Officialibus ruralibus,* quos Episcopi extra civitatem episcopalem praesertim inde a saec. XIII. constituere consueverunt, saltem ex parte ortum habuerit (1). Ab his ad Vicarium urbicum ut plurimum appellabatur (2).

In hodierna disciplina constitutio Vicariorum foraneorum, sicuti arbitrio Episcopi relinquitur, ita, ubi officium illud in usu est, variis modis pro variis locis fit: nunc *libere,* nunc *ad commendationem* aut *electionem* Capituli cathedralis, eos designat Episcopus; nunc munus *modo permanenti* cum parochiis principalioribus et insignioribus annectitur (3).

528. **De natura et ambitu potestatis Vicarii foranei.** — Officium Vicarii foranei sic definiri potest: Vicarius foraneus est clericus, « delegatus permanenter ab Episcopo ad certas quasdam causas vel pro certa dumtaxat parte dioeceseos » (4).

Cum potestas Vicarii foranei in iure communi determinata non reperiatur, *ordinaria* dici nequit; immo non est

(1) Partim etiam derivatum videtur ex variis aliis officiis antea vigentibus: sive a presbyteris ecclesiarum ruralium antiquiorum et principaliorum, iam saltem a saec. IV. et V. institutarum (cf. supra n. 509); — sive a Chorepiscopis (cf. n. 517. in nota); — sive a ruralibus Archipresbyteris seu Decanis, qui sub auctoritate Archidiaconi ruralis minorem aliquam potestatem in eius districtum exercuerunt. Cf. BENED. XIV., *De Syn. dioec.* l. III. c. 3. n. 6. sq.

(2) Utrum a Vicario *urbico* ad Episcopum appellatum fuerit, an ille iam *unum* cum Episcopo tribunal constituerit, disputatur. WERNZ, t. II. n. 800. not. 13. et t. V. n. 92. cum not.

(3) Sic. « hodie in plerisque Galliae dioecesibus, Vicarii foranei sunt parochi, *praecipuis parochiis* praepositi, qui *Archipresbyteri* quoque et *Decani* vocantur ». BARGILL. t. I. n. 797. Cf. AICHNER, *Comp. iur. eccl.* § 125. de *Decanis ruralibus* in Imperio Austriaco.

(4) BOUIX, *De iud. eccl.* t. I. p. 458.

proprie *vicaria* at revera est potestas ab Episcopo *delegata*, ceterum *particularis* et iuxta limites concessionis ab ipso determinatos *restricta*. Hinc ad Episcopum a Vicario foraneo appellandum erit.

Expedit ut Vicarius foraneus *dispensare* et *absolvere* possit *in urgentioribus casibus*; — *modo paterno* super vita et honestate clericorum *invigilare*, necnon super sacri ministerii exercitio et cultus celebratione; *ordinare* quae ad curam animarum *immediate necessaria* sunt, v. g. si qua parochia subito vacaret; — *Episcopum monere* de his quae ad *utilitatem cleri* et *bonum spirituale fidelium* pertinent.

Solent insuper, ex delegatione Episcopi, parochos aliosve beneficiatos inferiores in *possessionem realem* beneficii immittere; — *collationes casuum conscientiae* et parochorum *conventus* (seu conferentias) dirigere; — parochis aliisve ad residentiam obligatis *brevem absentiam* concedere; immo aliquando, pro Episcopo impedito, partem dioecesis sibi commissam visitare (1). Ceterum, cum designari fere nullibi soleant testes synodales, qui ex dispositione Concilii Tridentini executionem statutorum Synodi dioecesanae urgere deberent, eorum officium a Vicariis foraneis aequivalenter impleri solet (2). Unde, etiamsi parochi non essent, ad Synodum omnino vocandi sunt (3).

Praerogativae honorificae quaedam quoad titulos, habitus, praecedentiam, Vicariis foraneis concedi solent (4).

Amissio potestatis inducitur per mortem Vicarii, aut resignationem, aut translationem in parochiam alterius decanatus, aut revocationem, quae ob iustas causas ad nutum Episcopi fieri potest.

(1) Cf. BARGILLIAT n. 797.

(2) Cf. supra n. 464.

(3) BENED. XIV. *De Syn. dioec.* l. III. c. 3. n. 10.

(4) Sic in nonnullis dioecesibus *rochetum* et *mozzetta* ipsis conceduntur. Cf. tamen restrictiones indicatas ab AICHNER § 125. not. 5.

III. De Vicariis parochialibus

529. **De vicariis in divinis generatim spectatis.** — Iuxta divisiones supra (n. 516.) traditas, vicarius *in divinis* ille est qui in divinis mysteriis, cura animarum foroque interno vices alterius gerit.

Is potest vel *cum alio* ministerium exercere (sic vicarius, parochi coadiutor); vel *exclusive* et *solus* (sic vicarius curatus, qui v. g. pro Capitulo cathedrali curam animarum ageret). Si ad vitam nominatur, dicitur *perpetuus*; si ad nutum eius cuius vices agit, *temporaneus*.

Variis modis pro variis casibus constituitur munus vicarii parochialis, et ad triplicem praesertim classem reduci possunt hi qui huiusmodi munus exercent: erunt scilicet *administratores parochiarum*; — *vicarii curati*; — *vicarii parochorum coadiutores*.

530. **De administratoribus parochiarum.** — Si parochia ad tempus vacat, Episcopus constituit administratorem (qui dicitur provisor, vicarius, oeconomus), qui toto vacationis tempore, tamquam Episcopi *delegatus*, universam curam animarum cum omnibus iuribus et obligationibus parochi exercebit. Is residere debet, Missam pro populo celebrare (1); vicissim ipsi congrua fructuum pars ab Episcopo assignatur. Statim ac novus rector parochiae possessionem adeptus fuerit, cessat administratoris potestas.

Si parochus diu a parochia, debita cum licentia, abesse cogitur, sibi vicarium substituere debet, ab Episcopo approbandum, cum debita mercedis assignatione (2).

531. **De vicariis curatis.** — Tales generatim constituendi sunt in casibus *incorporationis* aut *unionis* parochiae (3). Si parochia incorporetur *pleno iure* cum aliquo

(1) Nisi ex Indulto Apost. restringatur haec obligatio.
(2) Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de ref.
(3) Cf. supra n. 214. 215.

Instituto (vel etiam *uniatur* alicui beneficio, dignitati), Institutum (beneficium, dignitas) fit rector seu parochus *principalis* et *habitualis*, cum obligatione deputandi vicarium cum actuali, universali, independenti cura animarum.

De regula generali, si parochia cuilibet Instituto (praeterquam monasterio regulari) *pleno iure* incorporetur, aut beneficio uniatur, aut etiam monasterio *semi-pleno* iure incorporetur, designandus est vicarius perpetuus (1), qui omnibus iuribus parochi, (nisi specialis exceptio stricte probari possit), gaudet, omnes vicissim eius obligationes implet. Congrua sustentatio ipsi ab Instituto praebetur. Rationem administrationis Episcopo reddit, a quo solo, ob causas canonicas, amoveri potest.

Si tamen parochia *pleno iure* incorporata fuit alicui *monasterio* virorum *regularium*, Superior regularis potest ex suis subditis aliquem vicarium deputare (2), qui ab Episcopo erit *approbandus*, ipsi quoad curam fidelium saecularium suberit, et tum ab ipso tum a Superiore regulari ad nutum amoveri poterit (3).

532. **De vicariis parochorum coadiutoribus. — Designatio** horum vicariorum, iuxta Conc. Tridentinum, declarationes S. C. Concilii communemque doctorum sententiam, ab ipsis parochis, quos adiuvare debent, facienda esset (4). Ab Episcopo *examinandi*, *approbandi*, *facultatibus* op-

(1) Trid. sess. 7. c. 7. de ref., quod tamen addit: « nisi ipsis Ordinariis, pro bono ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur ». At certe S. Sedes optat et S. C. Concil. urget vicarii perpetui deputationem. Cf. WERNZ. n. 840. III.

(2) Iuxta BOUIX, *De iure Regularium* t. II. p. 29. sq. si Superior *unum* ex suis *religiosis* designare non vult, tunc vicarium saecularem *perpetuum* nominare debet.

(3) BENED. XIV. Const. « *Firmandis* » (a. 1744.) § 11.; at in Const. « *Apostolic. ministerium* ». (a. 1753.) n. 21. dicit: « tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate et consensu rem gerant » (i. e. vicarii amotionem). Cf. VERMEERSCH, *De relig. Instit. et pers.* t. I. n. 500.; PRÜMMER, *Man. iur. eccl.* t. II. q. 183.; WERNZ n. 840. III. b.

(4) Trid. sess. 21. c. 4. statuit parochos ab Episcopo *cogendos* esse ut sibi coadiutores assumant, quando ob parochianorum numerum obliga-

portunis *muniendi* sunt. At in pluribus locis praxis invaluit ut Episcopi libere vicarios nominarent.

Remotio vicarii, etiam de iure communi ad parochum qui eum nominavit pertinet, ob iustam causam ab Episcopo approbatam; posset tamen ipse Episcopus ex iusta causa eum removere.

Ubi Episcopus *libere nominavit, libere* etiam *removet, illicite* si desit causa *iusta,* at semper *valide*, ut videtur.

Potestas vicarii generatim ex litteris deputationis, statutis dioecesanis, praxi et consuetudine, determinatur. Solent ab ipsis Episcopis *delegationem ad universalitatem causarum* obtinere, v. g. ad confessiones etiam in tota dioecesi audiendas, ita ut *sine* speciali *parochi delegatione valide* facultates acceptas exercere valeant (1); *ad liceitatem* tamen requiritur ut *de licentia* tantum *parochi* eis utantur.

Et quamvis *theoretice* aliis suas facultates quoad casus particulares *subdelegare* valeant, saepe potestas ipsorum ex litteris deputationis aut praxi restringitur.

Ut vicarius a parochia abesse possit, *indiget parochi licentia*, quae ceterum etiam pro longa absentia *sufficit*, dummodo: 1) detrimentum animarum non resultet; 2) aliter per statuta dioecesana constitutum non fuerit (2).

Congrua sustentatio vicarii ab Episcopo determinanda est, ex reditibus ecclesiae parochialis generatim; qui si non

---

tionibus suis satisfacere nequeunt. Episcopi negligentiam tantum parochorum supplere debent.

Ubi autem praxis invaluit (v. g. in Austria, Gallia, Germania, Hispania) ut Episcopus vicarios libere deputet, haec servanda est, donec S. Sedes aliud statuerit. S. C. Conc. 14. Aug. 1863. Cf. Bouix, *De parocho* p. 436. sq.; Bargill. t. II. n. 1024.; Wernz n. 838. II.

(1) Potest tamen Episcopus ita eos deputare « ut quasi in continua dependentia a parocho suo in singulis casibus... operam suam subsidiariam praestent ». Ita Aichner § 129., ubi clare hanc quaestionem exponit. Cf. etiam Hergenr.-Hollw. *KR.* n. 445.

Quod praesertim pro matrimoniis sedulo attendendum est, ne invaliditati exponantur.

(2) Conc. plenar. Amer. Latin. n. 274. exigit Episcopi licentiam ut ultra octo dies abesse possint vicarii.

sufficiant, ad eam complendam compelli possunt parochiani. Oblationes quae ratione functionum *parochialium* et Sacramentorum administrationis traduntur, *parocho* obvenire solent (tanquam *iura stolae*), etsi a *vicariis* peragerentur: pars tamen ipsis attribui potest per legitimam consuetudinem, statuta dioecesana aut episcopalem praescriptionem (1).

(1) BARGILLIAT n. 1030.

APPENDIX.

De Conciliis.

I. Notiones de Conciliis in genere

533. **Definitiones.** — *Lato sensu concilium* dici potest quilibet *conventus* legitimus *virorum ecclesiasticorum* ad *tractandum* de *rebus ecclesiasticis* coactus (v. g. Congregationes Rom., Capitula generalia Ordinum religiosorum, Synodi dioecesanae, conferentiae Episcoporum).

At *stricto sensu* vox concilium designat legitimam *Episcoporum congregationem* ad *deliberandum* et *decernendum* de *rebus ecclesiasticis*.

534. **Divisio.** — Concilia sunt *oecumenica (universalia, generalia)* (1) aut *particularia (topica)*. Concilium *oecumenicum* est congregatio legitima Episcoporum totius orbis catholici (aliorumque Praelatorum privilegiatorum), a R. Pontifice convocata ut, ipso praesidente per se suosve Legatos et approbante, de negotiis Ecclesiae universalis deliberent atque decernant.

Concilium *particulare* est legitima Episcoporum (aliorumque privilegiatorum) alicuius regionis, a competente Superiore ecclesiastico legitime coacta, ut de rebus ecclesiasticis saltem illius regionis deliberent atque decernant (2).

Concilia particularia sunt vel *generalia* (Orientis aut Occidentis);

(1) At nomine Concilii *generalis* etiam venit concilium *totius* sed *solius* Ecclesiae *Orientalis* aut *Occidentalis*.

(2) Wernz t. II. n. 843. II., cuius definitiones fere ad verbum sumpsimus.

— vel *patriarchalia ; — primatialia ; — metropolitana* sive *provincialia :* pro diversitate tum districtuum, quorum Praelati concilium componunt, tum Praelati qui eis praesidet.

Si Concilium constet solis Episcopis alicuius regionis (quae forte plures provincias complectitur) dicitur *nationale ;* si Episcopis plurium provinciarum, quae tamen unum patriarchatum aut exarchatum (Primatis districtum) non constituant, dicitur *plenarium* ([1]).

II. De Conciliis oecumenicis

535. **Notae historicae.** — I. Ipsa necessitate particulari cogente ([2]) suadenteve utilitate, Episcopi ad conventus recurrerunt, in quibus de negotiis ecclesiasticis (fidei vel disciplinae) consilia miscerent ; quae Conventus seu *Concilia,* spectatis etiam adiunctis historicis, prius *particularia* debuerunt esse, mox *provincialia,* deinde *plenaria* (seu plurium provinciarum) ; tandem post pacem Ecclesiae datam et ut efficacius Arianismus debellaretur, coactum est primum Concilium oecumenicum, Nicaenum I. (a. 325.).

II. **Viginti** Concilia oecumenica celebrata sunt, quorum *octo* priora, in Oriente habita, per Imperatores quidem coacta sunt, at praesidentibus Legatis R. Pontificis acta sunt ([3]).

([1]) Hae variae divisiones coincidere possunt, nec raro *nomina* promiscue adhibentur. De Conciliis *mixtis,* quae viris ecclesiasticis et laicis constabant, cf. FORGET, in *Dict. de Théol. cath.* v. *Conciles* t. IV. p. 636,; ib. p. 640. de eadem voce alio sensu intellecta.

([2]) An Concilia *oecumenica* dici *possint* aut etiam *debeant de iure divino? Dist.* : hoc sensu quod Episcopi, in Concilium adunati, repraesentent collegium Apostolorum, cui promissa est a Christo assistentia divina in docendo et regendo Ecclesiam, *Concedo ;* — hoc sensu quod *aliquando,* ex voluntate Christi, *de necessitate cogenda* sint Concilia; *Nego.* Minus adhuc admitti potest sententia BOLGENII quod Episcopi in Concilium adunati, aliquam iurisdictionem immediatam et universalem in totam Ecclesiam *iure divino* habeant. Cf. supra n. 9. ; SUAREZ, De legibus l. IV, c. 6. n. 2. ; WILMERS, *De Christi Ecclesia* n. 217, 236. Haec iurisdictio a Papa ipsis datur. Cf. WERNZ t. II. n. 738.

([3]) Et certe *factum proprium* interventionis potestatis civilis in dubium revocari nequit ; at *ius proprium Imperatorum* agnoscendum non est, cum

Undecim sequentia ([1]), in *Occidente* habita, a R. Pontifice convocata, fere ex solis Episcopis Occidentalibus constitere, cum propter schisma graecum solis Conciliis Lugdunensi II. et Florentino Graeci intervenerint. His undecim Principes christiani per suos legatos intererant.

In Vaticano Principes, nec exclusi nec invitati, ab assistendo abstinuerunt; quin immo multi Concilio sat infensi erant.

536. **De convocatione et convocandis.** — Convocatio ad *solum R. Pontificem* pertinet qui, pro sua universali potestate, solus ius habet tum illos cogendi qui interesse debent, tum de negotiis Ecclesiae universalis ultimatim saltem deliberandi et decernendi.

Convocandi sunt sive per edictum generale sive per intimationem personalem *omnes Episcopi residentiales* totius orbis catholici, qui actualem iurisdictionem in determinatam dioecesim obtinent; — Hi quidem *iure ordinario* et cum *voto decisivo* intersunt: sunt enim successores Apostolorum constituuntque, una cum Pontifice, collegium Episcoporum et repraesentant universalem Ecclesiam docentem et regentem, cui a Christo infallibilitatis praerogativa est concessa.

Episcopi titulares, quia ex mera susceptione Ordinis episcopalis non *iurisdictionem*, at meram *aptitudinem* ad iurisdictionem episcopalem obtinendam sortiti sunt, ad collegium Episcoporum, quatenus Ecclesiam docentem et regentem repraesentat et collegio

---

istud *vero* et *nativo iuri R. Pontificis,* Ecclesiae Capitis, contradiceret. Unde debuit consensus *verus* aut *legitime praesumptus* R. Pontificis accedere, aut saltem per subsequentem ratihabitionem Concilium fieri legitimum. Cf. WERNZ n. 845. II., n. 846. not. 44., WILHELM in *Cathol. Encyclop.* v. *Councils* p. 428. sq.

Haec octo Concilia sunt: Nicaenum I.. (a. 325.), Constantinop. I. (381.), Ephes. (431.), Chalced. (451.), Constantin. II. (553.) et III. (680-681.), Nicaen. II. (787.), Constantin. IV. (869.-70.).

([1]) Lateran. I. II. III. IV. (1123. 1139. 1179. 1215.), Lugd. I. et II, (1245. 1274.), Vienn. (1311.), Constantiense (1414.-18.), Florent. (1438.-45.), Lateran. V. (1512.-17.), Trid. (1545.-63.). Alii tamen non numerant inter Conc. oecum. Constantiense: at certe tale fuit post electum Martinum V. Cf. FORGET in *Dictionn. de Théol. cath.* v. *Conciles* t. III. p. 673.

Apostolorum succedit, non pertinent; hinc *non necessario* vocandi sunt, quamvis *convenienter* vocentur, praesertim si sint *Vicarii Apostolici* in locis missionum: sic enim perfectius repraesentatur Ecclesia universalis. — Vocati habent vocem deliberativam, non autem vi characteris episcopalis, sed ex concessione Pontificis.

Item ex *privilegio* et *consuetudine vocantur* vocemque *deliberativam* obtinent: *PP. Cardinales* (etiam Presbyteri et Diaconi); — *Praelati* « *Nullius* »; — *Generales Ordinum religiosorum* (stricte talium) et *Abbates generales,* non autem simplices Abbates nec Generales Congregationum votorum simplicium.

Nulli alii, nisi ex Indulto extraordinario, ad Concilium cum voce deliberativa vocantur.

Insignes quidam *Theologi* etc., vocantur, at cum voce *consultativa tantum.*

Principes laici invitari possunt, tum ut auxilium Concilii praestent, tum ut *vota* sua, praesertim in materia disciplinari, exponant.

Qui extra corpus Ecclesiae sunt (haeretici, schismatici) non praecise invitantur (1).

537. **De constitutione et potestate Concilii.** — Fit *oecumenicum* eo ipso quod, convocatis omnibus, tot conveniunt Episcopi et Praelati privilegiati, ut revera universalem Ecclesiam repraesentent: quod certe nullo numero in antecessum determinari potest, et ad Pontificem pertinebit authenticum et infallibile de oecumenicitate Concilii iudicium dare.

Potestas et *competentia* Concilii extenditur ad definitiones dogmaticas, leges universales disciplinares, iudicia litigiosa et criminalia, poenas infligendas; Episcopi in Concilio sunt *veri legislatores* et *iudices.*

Ad condenda decreta vere conciliaria de fide vel disciplina, certe sufficit *multo maior* sed etiam simpliciter *maior* pars *Episcoporum cum R. Pontifice*, quae tunc collegium Episcoporum cum suo Capite constituit et universam Ecclesiam docentem et regentem repraesentat, cui Christus assistentiam promisit.

(1) Pius IX. eos specialibus litteris invitavit, ut ad Christi ovile redirent, non ut de doctrina iam definita cum eis denuo disputaretur.

Quod si Papa *contra maioritatem* decerneret, sua potestate uteretur, at decretum mere *pontificium,* non *conciliare* ederet ([1]).

538. **De Concilii celebratione et confirmatione.** — R. Pontifex praesidet per se suosve Legatos. Potest ipse quaestiones tractandas ordinemque sequendum determinare. Plena libertas in discussione et definitione relinquenda est; non tamen requiritur ut omnes suas rationes exponant, multo minus ut omnes in decernendis consentiant.

Quamvis autem Episcopi sint in Concilio *veri legislatores verique iudices,* ipsorum sententia *incompleta* et *subordinata* manet, non autem *suprema* et *definitiva* est, nec ex sese universalem obligationem inducit. *Essentialis* est R. Pontificis *confirmatio,* sine qua habetur actus corporis sine capite, qui proinde pleno valore et perfecta vi obligandi manet destitutus.

Confirmatio dari potest vel *antecedenter* speciale ([2]), vel *concomitanter,* si ipse Papa praesit, vel *subsequenter. Forma* confirmationis nullo iure est determinata. Statim vero ac data fuit, decreta vim legis obtinent, sine ulla alia promulgatione; multo minus aliqua subsequens Ecclesiae acceptatio requiritur.

539. **De Concilii translatione, suspensione, dissolutione.** — Haec omnia iudicio Sñi Pontificis relinquuntur. Ceterum per mortem Papae ipso facto suspenditur Concilium ([3]).

([1]) Attamen si R. Pontifex ad *minorem* sed *saniorem* partem accederet, haberetur vera decisio *conciliaris*, si tanta esset haec pars minor ut Ecclesiam universalem melius repraesentaret quam maior pars (v. g. quae tota ex Episcopis regionis vicinioris constaret).

Ceterum patet *in materia fidei* nunquam *vere maiorem* partem Ecclesiae a R. Pontifice dissentire posse, cum *et* Ecclesiae universali simul cum Papa *et* soli Papae promissa sit indefectibilitas in fide; in materia *legum* indefectibilitas R. Pontificis excludit tantum possibilitatem statuendi id quod fidei aut moribus adversatur aut periculum inducit; unde ubi duae sunt sententiae oppositae Concilii et R. Pontificis, utraque etiam apta et bona esse potest. Cf. supra n. 302.

([2]) Tunc dari nequit nisi de aliquo puncto determinato, cuius ultima et definitiva expressio Concilio relinquitur, « quia confirmatio Papae, ut certam habeat et infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, oportet ut circa rem certam et determinatam versetur ». SUAREZ, *De leg.* l. IV. c. 6. n. 2.

([3]) Cf. supra n. 296. ex Pii IX. Const. 4. Dec. 1869.

III. De Conciliis particularibus

540. **Notae historicae.** — I. Ex ipsa natura rei et id exigentibus adiunctis temporum et locorum, Conciliis oecumenicis praeiverunt conventus seu Concilia particularia Episcoporum viciniorum, dein totius alicuius provinciae ([1]), mox plurium provinciarum, quibus ultimis nomen Concilii *plenarii* (aliquando etiam *generalis, universalis*) datum est. Sic in Oriente habita sunt varia Concilia quorum canones inter fontes iuris canonici recensuimus (supra n. 61.), serius autem Concilium Constantinopolitanum a. 381. (quod postea ob ratihabitionem Sm̃i Pontificis inter oecumenica est adnumeratum) ([2]); in Gallia, Arelatense iam a. 314.; in Africa, Concilia Carthaginiensia; in Hispania, Toletana usque ad invasionem Arabum; multaque alia in Anglia, Germania, Gallia, quibus aliquando ipsi Pontifices praefuerunt ([3]).

Post magnum Occidentale schisma non raro Principes civiles, speciatim Reges Galliae, sibi potestatem attribuerunt convocandi ecclesiastica comitia totius nationis, simul impeditis conciliis provincialibus; qui Episcoporum conventus non parum contulerunt ad erroneam sententiam spargendam alicuius *iuris proprii Regum* in Conciliorum nationalium convocationem promovendam aut impediendam ([4]). A medio saec. XIX., genuinis principiis canonicis in memoriam revocatis, non pauca Concilia plenaria magno cum fructu sunt celebrata: ita tria Concilia Baltimorensia in Amer. Septent., a. 1852.

([1]) Cf. quae diximus n. 535. Vide etiam supra n. 427. 432. de his *provinciis*.

([2]) Cf. WERNZ t. I. n. 203. not. 57., SCHERER, *KR.* t. I. p. 183.

([3]) Sic Urbanus II. Concilio Claromontano a. 1093.; Eugenius III., Remensi a. 1148.

([4]) Qui error. a Febronio Pistoriensibusque admissus et propagatus, articulum 4^{um} inter Organicos (indebite Concordato a. 1801. subintroductos) inspiravit, qui sic habet: « Aucun concile national ou métropolitain, aucun synode diocésain, aucune assemblée délibérante n'aura lieu sans la permission expresse du gouvernement. » Eodem errore ductus Napoleo I. a. 1811. Synodum quamdam *nationalem* convocare non dubitavit.

1866. 1884; Conc. Hiberniae, a. 1870.; Australiae, a. 1885. 1895.; Angliae, (Westmonasterii a. 1852. 1855. 1859. 1873.); Americae Latinae, (Romae a. 1899.); Canadense, (Quebeci, a. 1910.).

II. Iam inde a saec. IV. in Concilio Nicaeno I. (a. 325.) statutum erat Concilia *provincialia* bis in anno esse celebranda; praxis vero quae a pluribus Conciliis particularibus iam a saec. VI. sancita invenitur de annuali tantum coactione, simul inculcata obligatione stricta tum Metropolitano ut convocaret, tum Suffraganeis ut adessent *per se* aut, si legitime impediti forent, *per procuratores*, non nisi a Conc. Later. IV. (a. 1215.) comprobata est. *Triennalis* tantum celebratio a Concilio Tridentino [1] exigitur, renovatis poenis a Conc. Lateranensi IV. contra Metropolitam negligentem (suspensionis ferendae sententiae). At negari nequit in multis locis consuetudinem contra *triennalem* convocationem invaluisse: et in schemate Vaticano *quinquennalis* tantum proposita erat.

541. **Disciplina vigens de Conciliis plenariis.** — *A solo R. Pontifice convocari* possunt; sublata quoad hanc vocationem antiqua Patriarcharum aut Primatum potestate (nisi forte in Oriente relate ad Syros, Coptos).

Praesidet Delegatus R. Pontificis qui, pro potestate sibi facta, *dirigit* et post legitimam recognitionem, Romae factam, decreta *promulgat* [2].

Omnia quae ad convocationem, potestatem et competentiam, celebrationem Concilii, in speciali mandato delegationis non sunt determinata, intelliguntur ad normam Concilii provincialis ordinanda.

Promulgata decreta totum territorium ligant ex quo Concilium plenarium erat coactum.

542. **Disciplina vigens de Conciliis provincialibus.** — **Convocatio** ad Metropolitam pertinet postquam tamen pallium accepit [3], eoque mortuo vel impedito, ad antiquiorem Suffraganeum;

[1] Sess. 24. c. 2. de ref. Iam in Conc. Constantiensi de *triennali* tantum convocatione actum fuerat; eam permisit Martinus V. et denuo Leo X. per Const. « *Regimini* » 4. Maii 1515.

[2] Cf. v. Decretum *promulgationis* tertii Concilii Plen. Baltimor. a. 1884. et decretum *recognitionis* a S. C. de Prop. F.

[3] Supra n. 440.

nulla praevia S. Sedis licentia requiritur. *Convocandi* sunt: 1) *omnes Suffraganei,* etiam non consecrati, dummodo Litteras suae promotionis Capitulo cathedrali praesentaverint; 2) *omnes* qui *effective dioecesim* aut *Vicariatum Apostol.* intra provinciam *gubernant* (1).

Episcopi *exempti* et *Praelati* « *Nullius* », qui nullo Archiepiscopo subduntur, semel pro semper sibi eligere debent aliquem ex vicinis Metropolitanis, et in posterum Synodis illius provinciae interesse tenentur.

Episcopi *titulares* non sunt necessario vocandi; immo si vocati intersunt, votum *decisivum* non obtinent, nisi consentientibus unanimiter Episcopis praesentibus.

Cum voto *consultativo* tantum: 1) convocari *debent:* procuratores Episcoporum absentium (2); — procuratores Capitulorum cathedralium

2) convocari *possunt:* Praelati inferiores saeculares et regulares (3).

Poena suspensionis ab officio ferendae sententiae constituitur contra non convocantes aut indebite interesse negligentes (4).

Tempus de iure statutum pro convocatione est periodus *triennalis,* quae certe ex praxi contraria, praesertim quoad poenas incurrendas, emollita est.

Locus, qui potest esse quaelibet urbs in provincia, convenientius erit civitas metropolitica.

543. **De constitutione et potestate Concilii.** — *Numerus praesentium,* ut Concilium pro legitime congregato habeatur, nullibi invenitur determinatum; certissime sufficiunt duae tertiae partes illorum, qui votum decisivum habent.

Potestas Concilii provincialis est *legifera, iudicialis* et *coactiva*

(1) Administratores aut Vicarios Apostolicos Coadiutores Episcop. qui cum plena auctoritate gubernant, (cf. supra n. 483. 517.), Vicarios capitulares etc.

(2) Qui de consensu unanimi Episcoporum votum decisivum obtinere possunt.

(3) Hi, sicut procuratores Capitulorum adesse non tenentur, nisi alicubi ex consuetudine.

(4) C. 25. X. de accusat. V. 1.; Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de ref.

quoad personas et causas *totius provinciae*. Maior est quam potestas simul coniuncta singulorum Episcoporum; qui excessus a delegatione R. Pontificis derivatur, cum ex iure communi Concilium provinciale speciali quadam potestate donetur (1).

In materia *fidei*, Concilium *nequit definitiones* dare, at non prohibetur *doctrinam* aliunde *certam*, etsi nondum definitam, *clarius* proponere, quatenus opus fuerit.

544. **De celebratione Concilii.** — Metropolita omnia acta, ad instar praesidis alicuius coetus, dirigit; at, ad differentiam R. Pontificis in Concilio oecumenico, non est nisi *primus* inter *pares*; unico gaudet suffragio, nec contra maiorem partem decernere valet, bene vero maior pars contra ipsum. Quamvis Concilium *convocare* potuerit *absque consensu* Episcoporum qui adesse debent, absque consensu Episcoporum praesentium illud *dissolvere* nequit.

Negotia ad *pluralitatem votorum* decernuntur. Praeparari solent per schemata quae tum in commissionibus specialibus tum in congregationibus disceptantur, et tandem in publicis sessionibus solemniter approbantur (2).

545. **De confirmatione et promulgatione decretorum.** — Sixtus V. primus constituit decreta Synodorum provincialium, antequam *licite* et etiam *valide* promulgari possint, ad S. Sedem transmittenda esse ut expenderentur et cognoscerentur a S. C. Concilii (3), Scopus praecipuus illius revisionis est ut emendetur, « si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum aut minus rationi congruum deprehendatur » (4).

Approbatio *specialis* dari non solet, at approbatio *communis*, qua constat Concilium fuisse rite convocatum et celebratum, decreta legitime condita, nihilque in eis censura dignum deprehensum fuisse. Cum autem decreta manserint decreta Concilii, ab alia Synodo provinciali mutari non prohibentur. Interim in eis dispen-

(1) Suarez, De leg. l. VI. c. 15. n. 4. sq.

(2) Bargilliat t. I. n. 681. sq. Cf. quae de Synodo dioeces. dicta sunt n. 463. 464.

(3) Cf. supra n. 368. not. 1. et n. 378.

(4) Bened. XIV. *De Syn. dioec.* l. XIII. c. 3. n. 3.

sare possunt tum Metropolita tum Episcopi singuli in suis respective dioecesibus (1).

Data approbatione S. Sedis, Archiepiscopus decreta promulgat, quae vim legis in tota provincia statim obtinent, quin requiratur (saltem ex hodierna disciplina) promulgatio in Synodo dioecesana.

(1) Supra n. 39. Cf. SUAREZ, *De leg.* l. VI. c. 15. n. 3. sq.; WERNZ t. I. n. 122. not. 161.

PARS TERTIA

De statu religioso

Articulus I.

Notiones de statu religioso in genere

I. De natura status religiosi

546. **Definitiones.** — I. *Status in genere est stabilis vitae conditio ex causa permanente nec facile mutabili.* (Wernz, *Ius Decretalium*, t. III. n. 588.). In Ecclesia distinguitur *status vitae communis* qui ad substantialem caritatem per mandatorum observantiam ordinatur, et *status christianae perfectionis*, sive *acquisitae* (ut est status Praelatorum curam animarum obtinentium), sive *acquirendae,* qui idem est ac *status religiosus,* tenditque ad perfectum caritatis gradum obtinendum. *Perfectio* quidem in amore Dei excellenti, seu *perfecta caritate,* consistit. Qui amor duo dicit: unionem cum amato, et (in hac vita) laborem pro eo susceptum. At contra illum amorem triplex militat concupiscentia, quae fortiter debellanda est, nec potest illum amorem perfecte exercere, qui saecularibus oblectamentis renuntiare recusat. Ceterum vix concipitur *stabilis tendentia* ad perfectionem aliter ac per promissionem Deo libere factam, seu per *votum.* Accedat tandem oportet *Ecclesiae auctoritas*, ut erroris aut illusionis pericula caveantur.

547. II. *Status* ergo *religiosus*, qualis nunc intelligitur, definiri solet cum SCHMALZGRUEBER et aliis: « Stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad christianae caritatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuis paupertatis, castitatis et obedientiae, ab Ecclesia approbatus » (1). Complectitur: 1. *observantiam trium consiliorum* paupertatis, castitatis et obedientiae, per quae praecipua removentur obstacula;

2. observantiam istam *votis firmatam*, et quidem votis externe nuncupatis, ut vere habeatur status religiosus, externus et visibilis, quo omnibus manifestatur mirabilis Ecclesiae sanctitas et pulchritudo;

3. *approbationem Ecclesiae*, quae vota nomine Dei acceptat; et quamvis ad essentiam status religiosi stricte pertinere non videatur Ecclesiae approbatio, attamen ut status religiosus ad modum status *externi* et *publici* susciperetur, potuit Ecclesia praeviam approbationem exigere. Per traditionem et oblationem aliquis totaliter et in perpetuum servitio divino se mancipat, Ordini quidem religioso immediate se tradens, et per Ordinem ipsi Ecclesiae et Deo; vicissim iste homo ab Ecclesia per Ordinem acceptatur et sic divino cultui et servitio non iam ex privata devotione tantum, sed ex publica Ecclesiae auctoritate ut persona sacra dedicatur (cfr. WERNZ n 590. III.);

4. *vitam communem*, quae ad obtinendum secure hunc finem aptior est, et nunc prorsus ab Ecclesia exigitur ut Institutum approbetur.

548. **De votis religiosis et duplici religiosa professione.** — I. Votum *solemne* est votum *absolutum* et *perpetuum*, ita nomine Ecclesiae per legitimum Superiorem acceptatum, ut simul secum trahat *inhabilitates* ad quosdam actus morales, votis religiosis contrarios, sive *licite* sive etiam *valide* ponendos. Illud duplex elementum: 1) *traditio absoluta* et *irrevocabilis* ex utraque parte (voventis et Ordinis acceptantis); 2) *inhabilitates* illae, semper adesse de-

(1) SCHMALZGRUEBER, *Ius Ecclesiasticum Universum* l. III. tit. 31. n. 2.

bent. Quod utrumque elementum iuxta probabiliorem sententiam ab Ecclesiae auctoritate procedit. Nam « *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa* » (1). Ad quod magis logice videtur consequi sive ipsam traditionis irrevocabilitatem sive inhabilitates *ex Ecclesiae institutione* ortum habere, non autem *ex natura rei* vel *ex iure divino* esse repetendas (2). Deficiente alterutro elemento, de lege communi deest votorum solemnitas, et habetur tantum votum *simplex*, quod potest esse vel *publicum* vel *privatum: publicum*, si nomine et auctoritate Ecclesiae aliqua ratione acceptatur, *privatum*, si acceptatione illa caret. Sine votis publicis nulla datur *Congregatio* proprie dicta; possunt tamen vota *publica* esse tantummodo *simplicia*.

549. II. *Professio religiosa* duplex est. Sensu *stricto* professio religiosa est professio *solemnis* cum *traditione absoluta* et *irrevocabili* voventis et *acceptatione absoluta* et *irrevocabili* ex parte Ordinis, iuncto « onere ipsum voventem perpetuo retinendi et alendi et tanquam filium iuxta regulas et proprium Institutum tractandi ». (Wernz t. III. n. 640.). Sensu *lato* professio est *votorum simplicium emissio*, seu actus quo quis publice et firmiter statum religiosum assumit, sive *religiosus* fit, quamvis non vere et stricto sensu *regularis* (nisi in Societate Iesu (3), et probabiliter in aliis Ordinibus religiosis stricte dictis, durante triennio votorum simplicium, qui professionem solemnem praecedere debet).

550. N. B. — I. *Traditio* et *vota* inseparabiliter coniunguntur: nam vox professio dicit ipsam traditionem, at eam quae, ex Ecclesiae institutione, semper cum votis unitur.

II. Altera divisio professionis in *expressam*, quae per verba, scripturam aliave signa intentionem externe sufficienter manifestat, et *tacitam*, quae, peracto tempore et adepta aetate requisita, manifestatur exercendo actus profes-

(1) Bonifacius VIII. cap. un. de voto et voti redemptione III. 15 in Sexto.

(2) Suarez, *De virtute et Statu Religionis* tract. VII. l. 2. c. 10. sq.; c. 14. n. 10.; Wernz n. 654.

(3) Gregorius XIII. Const. « *Ascendente* » 26. Maii 1584.

sorum proprios, vix nunc est practici momenti: nam saltem pro viris et pro professione solemni abrogata dici potest [1]; pro ceteris vix adhuc in usu manet.

II. De origine et historia status religiosi

Quamvis ordo logicus postulare videretur ut statim post traditas definitiones proponerentur variae divisiones vitae religiosae, aptius visum est antea brevem historiam status religiosi proponere.

551. **Christus** dici potest statum religiosum *etiam immediate* instituisse, eo quod tum verbis tum factis ad tria consilia evangelica, votis perpetuis firmanda, hortatus est. *Paupertas* enim apud Matth. XIX. 29. 16. sq. et Luc. XIV. 26. manifeste consulitur; *castitas* apud Matth. XIX. 12. (cfr. I. Cor. VII. 25. sq.); *paupertas* iterum apud Matth. XIX. 21. sq. cum *obedientia directe* proponitur, *indirecte* vero *castitas*, sine qua deest perfecta et stricta Christi imitatio: « *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo et veni, sequere me* ». Naturalis autem forma qua propositum firmatur talis vitae irrevocabiliter amplectendae est votum perpetuum. (Wernz t. III. n. 599).

552. **Apostoli** imaginem aliquam vitae perfectae in apostolico collegio praeformarunt: bonis omnibus derelictis, paupertatem et castitatem exercebant, divino Magistro obedientiam praestantes. At non satis probatur eos vitam religiosam strictam, praesertim votis munitam, duxisse [2].

553. **Vitae eremiticae et coenobiticae initia.** — Saeculo III. apparent, praesertim in Aegypto, primi cultores

[1] Decretum « *Sanctissimus* » S. C. super Statu Regularium, 12. Iunii 1858. Cf. Wernz t.III. n. 641.

Piat, *Praelectiones iuris regularis* t. I. q. 167.

[2] Suarez, *De Virtute et Statu Religionis* tract. VII. l. 3. c. 2. n. 9. 10. hanc sententiam asseruit.

vitae *eremiticae* (seu anachoreticae vel monasticae), quorum dux fuit *S. Paulus* eremita (234.-347.), praecipui autem promotores *S. Antonius* (251.-356.) et *S. Hilarion* († 371.).

Vitam *coenobiticam* sub communi regimine promovit *S. Pachomius* († 345.) et ad suam perfectionem adduxit *S. Basilius* (331.-379.), cuius regula adhuc in omnibus fere monasteriis Ecclesiae Orientalis observatur. Idem in Occidente praestitit *S. Benedictus* (480.-543.), qui « scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam » (1), in qua illa distinctiva nota est quod stabili voti ligamine monasterio alicui monachi addicti sunt. Singula monasteria familias seu communitates independentes constituebant. Serius ad reformationem inducendam et simul perfectiorem unitatem stabiliendam, ortae sunt *Congregationes Benedictinae* ex plurium monasteriorum adunatione, inter quas eminuit *Cluniacensis*, saeculo X. orta, quae saeculo XII. ad duo millia monasteriorum extendebatur.

Aliae Congregationes: *Camaldulenses*, *Vallumbrosiani*, *Carthusiani*, *Cistercienses*, quamvis regulae S. Benedicti addictae, eam tamen strictioris vitae desiderio, sic suis *Constitutionibus* et *Consuetudinibus* modificaverunt, ut merito novos atque independentes Ordines constituere dicendae sint.

554. **Canonici Regulares.** — His omnibus regulis et reformationibus intacta servabatur vitae monasticae intentio et *propriae perfectionis* fere exclusivum studium, per orationem, obedientiam, laborem manualem aut intellectualem, quamvis non detractarent monachi, si quando obedientia vel proximi necessitas eos urgeret, spiritualibus ministeriis sese devovere. Scopo igitur suo praecipuo ab his differunt *Canonici Regulares*, qui *vitam clericalem* servitio alicuius ecclesiae et divini cultus decori impensa cum *perfectionis proprie studio* associare conati sunt. Plures sancti Episcopi, post *S. Eusebium Vercellensem* († 371.) et *S. Augustinum* († 429.), clericis

(1) S. Greg. M. *Dialog.* l. 2. c. 36. Migne P. L. t. 66. c. 200. De monachis ante S. Benedictum cf. Grisar, *Hist. de Rome et des Papes* trad. Ledos l. II. c. 7. n. 343., l. III. c. 2. n. 361.; de S. Benedicto ib. n. 365. sq.

suis in domo episcopali vitam communem degentibus, normas quasdam sancte vivendi ad vitae monasticae imitationem tradiderunt. Immo in Galliis, regula a *S. Chrodegango,* Metensi Episcopo († 766.), condita multumque propagata, a concilio quodam Aquisgranensi (a. 817.) omnibus Canonicis praescripta fuit; hac regula *vita communis,* non autem *vera vita religiosa cum votis* stabiliebatur.

At cum iam saec. IX. et X. multa Capitula vitam communem agere detractarent et singulis Canonicis praebendae assignari inciperent, ex opposito vera vita regularis in quibusdam Capitulis introducta est, regulam praesertim S. Augustini imitans: inde orti sunt *Canonici Lateranenses* (a. 1154. approbati et confirmati) et *Praemonstratenses* a *S. Norberto* (a. 1120) fundati.

555. **Ordines militares.** — Eodem saec. XII. fundati sunt *Ordines militares* ad defendendam sive Terram Sanctam, sive Hispaniam contra Mahumetanos. Praecipui fuerunt *Templarii* qui a. 1118. fundati, a. 1312. per Clem. V suppressi sunt; *Ordo S. Ioannis Hierosolymitani* (postea *Equites Melitenses* dicti) a. 1118., *Equites Teutonici* a. 1190. fundati, qui duo soli Ordines adhuc cum substantia status religiosi, mutato scopo, remanent.

556. **Ordines mendicantes.** — Saeculo XIII., quo tempore maximam auctoritatem et externum splendorem obtinuit Ecclesia catholica, fecunditatem etiam internam ad omnia bona manifestavit. Inde *Ordines mendicantes* ortum habuerunt, quorum scopus erat *vitam pauperem* etiam *in communi* agere et genus quoddam vitae, *contemplatione* et *sacris ministeriis mixtum,* agere. Si spectetur tempus solemnis approbationis, sequens existit ordo inter quatuor Ordines, qui vulgo Quatuor Religiones Mendicantium audiunt: *Fratres Praedicatores*, *Minores S. Francisci, Carmelitani*, *Eremitae S. Augustini.*

Ordo *Fratrum Praedicatorum*, qui prius (a. 1216.) ut Ordo Canonicorum Regularium approbatus erat, post mortem sancti Fundatoris (a. 1221.) in veram Mendicantium Religionem commutatus est. *S. Franciscus Assisiensis* († 1226.)

Ordinem Minorum sub uno Ministro Generali in veram et universalem Societatem religiosam coadunatum fundavit; qui Seraphici Patriarchae Ordo, viva voce ab Innocentio III. (a. 1209.) approbatus, solemniter ab Honorio III., paulo post S. Dominici Ordinem, confirmatus est (per Const. « *Cum dilecta* » et « *Solet* » aa. 1219. et 1223). *Carmelitani,* attento tempore approbationis ab eodem Honorio III (a. 1226.), tertium locum obtinent; hi saec. XIII. ex Oriente venerant et a. 1247., auctore Innocentio IV., vitam eremiticam in coenobiticam mutaverunt. Quartus Mendicantium Ordo ex variis particularibus Congregationibus, regulam S. Augustini profitentibus, in unum coniunctis, coaluit, sub nomine *Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini* et sub unius Prioris Generalis auctoritate (a. 1255. et 1256. sub Alexandro IV.).

Quibus quatuor Mendicantium Ordinibus accesserunt postea *Servitae B. M. Virginis* ab eodem Alexandro IV. (a. 1256.) approbati; necnon numerandae sunt variae divisiones et reformationes Ordinis Minorum, inter quas eminent FF. Capuccini, a. 1526. a *Matthaeo a Bassi* fundati, ut alios bene multos Ordines praetermittamus (1).

557. **Clerici Regulares.** — Novis difficultatibus et periculis nova subsidia Dei Providentia suppeditavit. Vastis enim Americae regionibus evangelizandis, Europae nationibus contra errores Lutheri et Calvini defendendis, *Clerici Regulares* auxilium praestiterunt, qui *professioni religiosae clericalia munia* in universum coniungere constituerunt. quin, sicut Religiosi mendicantes, paupertatem in communi *necessario* profiterentur.

Primo loco numerandi sunt *Theatini*, a. 1524. a *S. Caietano* et *Petro Caraffa* (qui postea Paulus IV. fuit) fundati; *Clerici Regulares S. Pauli Decollati,* vulgo *Barnabitae,* quorum Pater fuit *S. Antonius-Maria Zaccaria* (a. 1533.); *Somaschi S. Hieronymi Aemiliani* a Paulo III. a. 1540. approbati sunt, qui eodem anno (27. Sept.) per Const. *Regimini*

(1) Inter quos sunt Mercedarii, Trinitarii, Minimi S. Francisci de Paula, Hospitalarii S. Ioannis de Deo.

militantis, Societatem Iesu a *S. Ignatio* fundatam, in veram ac formalem Religionem erexit.

Quibus adnumerandi essent plures Ordines, qui initio piam tantum societatem vel votorum simplicium Congregationem constituerunt, paullatim vero ad Ordinis religiosi stricte dicti naturam elevati sunt, inter quos: *Clerici Regulares ministrantes infirmis, S. Camilli; Clerici pauperes Matris Dei Scholarum piarum* (vulgo Scolopi), a *S. Ios. Calasanctio* fundati.

558. **Congregationes votorum simplicium.** — Congregationes religiosae in quibus sola vota simplicia emittuntur, ad terminos iuris antiqui et S. Pii V. Constitutionum, vitae religiosae essentia destitutae, immo prohibitae videbantur. Paullatim mitior sententia praevalere coepit; postea tolerantia, dein favor S. Sedis accessit, unde a saec. XVII. non sine magno animarum fructu multiplicatae sunt. Praeter *Fratres Scholarum Christianarum*, qui a. 1678. a *S. Ioa.-Bapt. de la Salle* fundati, Benedicti XIII. approbationem a. 1724. nacti sunt, notandae sunt: *Congregatio Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.*, sive *Passionistarum*, et *Congregatio S.mi Redemptoris* sive *Redemptoristarum* vel *Liguorianorum*. Prima a *S. Paulo de Cruce* a. 1738. fundata, altera a *S. Alphonso de Liguori* a. 1732.; utraque postea privilegio plenae exemptionis donata fuit.

Saec. XIX. multae exortae sunt Congregationes virorum (clericorum vel laicorum) et mulierum, pro variis finibus educationis christianae, caritatis, Evangelii propagationis, quarum plures magno sociorum numero et servitiis Ecclesiae praestitis insignes evaserunt.

559. **Piae sodalitates.** — Inde a saec. XVI. multiplicatae sunt Piae Sodalitates, sub simpliciori forma et minoribus obligationibus adstrictae, cum adiutorio tamen vitae communis, adiunctis etiam votis privatis vel temporaneis, vel promissione obedientiae; inter quas *Oratorium S. Philippi Nerii, Congregatio Presbyterorum Missionis* sive *Lazaristarum* et *Sorores a Caritate* sive *Filiae S. Vincentii a Paulo*.

III. — De variis formis status religiosi

560. « Omnes Ordines religiosi profecto conveniunt in *substantia status religiosi,* i. e. in fine primario et generali, atque *mediis essentialibus*. Qui finis primarius et generalis consistit in intendenda perfecta caritate erga Deum et proximum. Media autem essentialia habentur in renuntiatione saeculi per tria vota traditione firmata, qua quis in vita communi se totum mancipat divino cultui atque servitio ». (Wernz n. 592.).

Differunt ergo Ordines religiosi per *finem proximum* et per *media secundaria,* quibus Deo et proximo inservire intendunt, quae aliquando ita inter se sunt similia ut potius *numero* et *regimine* quam *specifico* quodam *discrimine* differant Ordines, saepe vero *omnino diversa* sunt: magna enim diversitas existere potest, vel ob varias hominum necessitates spirituales aut temporales, vel ob varia temporum et regionum adiuncta, unde plane rationabilis et laudanda est Ordinum multiplicitas, quam ceterum Ecclesiae est intra iustos limites continere.

Variae Ordinum religiosorum divisiones a variis traduntur (Wernz t. III. n. 592. sq.; Piat t. 1. q. 30 seq.; Vermeersch t. I. n. 75. ss.). Distingui possunt Ordines: 1° spectata *essentia vitae religiosae,* ex varietate votorum, quae in his emittuntur; — 2° ratione *finis proximi;* — 3° ratione *mediorum accidentalium,* quibus ad finem tendunt; — 4° ex parte *regulae* quam profitentur; — 5° ex parte *regiminis interni* et *externi.*

561. I. **Spectata ratione formali** seu **essentia vitae religiosae.** — Habetur primo loco status religiosus *completus, proprius, stricte dictus*, in quo tota essentia vitae religiosae habetur, cum *traditione* et *acceptatione* utrinque *absoluta* et *irrevocabili* et *inhabilitatibus* connexis.

Qui talem vitam religiosam sequuntur sunt *Regulares* stricte dicti et constituunt *Religiones formales.*

Venit postea status religiosus adhuc *completus* et *proprius*, et *minus stricte dictus;* in quo tota essentia vitae religiosae adhuc reperitur, cum traditione et acceptatione, *cui deest* saltem ex una parte *absoluta irrevocabilitas*. Vota sunt *publica*, i. e. nomine Ecclesiae a Superioribus Ordinis acceptata. Talia Instituta aptius dicuntur *Congregationes religiosae* quam *Ordines religiosi*. Tandem habetur status religiosus *incompletus, late dictus,* in quo tota status religiosi essentia non habetur, qualis saltem nunc ab Ecclesia ordinatur; deficit enim unum aut plura ex requisitis elementis: vel unum aut alterum votum, vel perpetuitas (ut apud Sorores a caritate) vel vita communis, vel acceptatio votorum nomine Ecclesiae (ut apud Lazaristas). Aliquando sola vita communis sine votis habetur (Oratorium S. Philippi), aut cum simplici obedientiae iuramento (Patres Albi). Hae societates dicuntur *Congregationes Saeculares* vel *Piae Sodalitates*.

562. II. Ex **fine proximo** seu **vitae genere** distinguuntur Ordines *contemplativi, activi vel mixti. Contemplativi principaliter* et *ex professo orationi* et rerum divinarum *contemplationi* vacant (Cistercienses, Camaldulenses, Carthusiani). *Activi principaliter* ad opera misericordiae, potissimum corporalis, exercenda instituti sunt (Mercedarii, ad captivorum redemptionem, Militares, Hospitalares). *Mixti* utramque vitam *per se* et *principaliter* pari quadam ratione iungunt, ministeriis potius spiritualibus activitatem suam impendentes (Canonici Regulares, Ordines FF. Minorum, Praedicatorum, Soc. Iesu).

563. III. **Ratione mediorum** seu ex varietate *exercitiorum* et *studiorum* distinguuntur Ordines *clericales, monachales, mendicantes, militares, hospitalares*. Ordines *clericales* ex *primaeva* et *canonica* institutione *principaliter* ordinantur ad ministeria clericorum propria (fere cum Ordinibus mixtis convertuntur). Ordines *monachales* vi *primaevae institutionis principaliter* ad vitam contemplativam et solitariam ordinantur, vel clericorum ministeria excludentes, nisi forte ex speciali causa aut necessitate, vel ad summum *secundario loco* ea

assumentes (Monachi S. Basilii, Benedictini et Ordines contemplativi). Ordines *mendicantes* mixtam vitam agunt, iuncto *vi proprii Instituti* exercitio *paupertatis* etiam *in communi.* Hoc exercitium bonorum immobilium possessionem *per se* excludit, vitamque ex eleemosynis sustentatam inducit; hunc rigorem Tridentinum emollivit permittens bona immobilia in communi possideri (1).

564. IV. **Distinctio Ordinum ex parte regulae.** — Sunt Ordines qui uni ex *quatuor antiquis Regulis* adhaerent, et sunt qui proprias sequuntur *Constitutiones* vel *Regulas* ab his quatuor regulis distinctas.

Regulam *S. Basilii* sequuntur fere omnes monachi Orientales.

Regulam *S. Benedicti,* plus minusve modificatam, adoptarunt Camaldulenses, Cistercienses, Olivetani (cf. conspectum historicum n. 553).

Regulam *S. Augustini* sequuntur Canonici Regulares, insuper Theatini, Somaschi, Dominicani, Servitae, Hospitalares S. Ioannis de Deo pluresque Congregationes hospitalares utriusque sexus, necnon Moniales S. Ursulae.

Regula *S. Francisci* triplex existit. *Prima regula* observatur a viris (FF. Minoribus de Observantia, Conventualibus, Capuccinis); *secunda regula* a Clarissis; *tertia* a Tertiariis qui, viri vel feminae, pie in saeculo vivere volunt, quibus adiungendi sunt Tertiarii, qui vitam communem adoptantes, veras Congregationes religiosas efformaverunt.

565. V. **Ratione regiminis interni** distinguuntur: Ordines qui per Superiores, *variis gradibus* distinctos et *uni supremo Moderatori* subditos, gubernantur, et illi qui ex monasteriis ab invicem independentibus constant. Primi in *unam societatem* universalem et *stricte iuridicam* coalescunt (tales sunt Ordines mendicantes); alii *vinculo* tantum *morali* uniuntur (v. g. Benedictini).

(1) Ex gradu quo illud Tridentinum privilegium participant, distingui possunt etiam varii gradus inter Ordines Mendicantes. (Cf. WERNZ n. 597.).

Ex parte externi regiminis, i. e. subordinationis erga Superiores ecclesiasticos qui extra Ordinem constituuntur, distinguuntur Ordines *exempti* et *non exempti*. Priores Rom. Pontifici *immediate* subiiciuntur et a iurisdictione episcopali sunt immunes, praeterquam in casibus a iure exceptis, in quibus eius potestati vel *ordinariae* vel *delegatae* subduntur. Alii manent Episcopis subiecti, praeter quasdam *interioris regiminis* dispositiones pro Congregationibus quae a S. Sede saltem *Decretum laudis* obtinuerunt. Exempti sunt virorum Regularium Ordines sub unico capite, non mulierum, nisi viris Regularibus subditae existant aut specialem omnino exemptionem obtinuerint. (Cf. infra n. 629. sq. de Ordinum religiosorum exemptione).

Articulus II

De Institutorum et conventuum religiosorum institutione, innovatione, extinctione

A. De Institutorum religiosorum institutione, etc.

566. **Praenotanda.** — Ecclesia potestatem habet in *regendo statu religioso*. Sicut enim *in foro interno* homines in via salutis et perfectionis et in cultu Deo reddendo dirigit, sicut etiam *externam religionem* et *cultum* regit, sic extenditur potestas eius in illum externum vivendi modum, qui *in ordine spirituali* et *supernaturali* supra communem fidelium statum continetur (cfr. Piat, *Prael. Iuris Regularis* t. I. q. 18.).

Certe requiritur *saltem* ut Ecclesia aliquam formam status religiosi non prohibeat: fieret enim prorsus illicita, status vero perfectionis illicitus et ab Ecclesia prohibitus repugnat.

Requiriturne insuper *positiva Ecclesiae approbatio?* Est quaestio inter auctores valde agitata. Videtur probabilius

dicendum positivam illam approbationem neque *ex natura rei*, neque *ex iure divino positivo* requiri, sed pertinere tantum ad *ius positivum humanum*.

At dubium esse nequit Ecclesiam *posse* talem approbationem exigere eamque ex disciplina vigente *de facto* exigere (VERMEERSCH, *De Religiosis Instit. et Pers.* t. I. n. 27. 4.) (1).

567. **De gradu approbationis requisitae.** — Approbatio *Ordinis religiosi stricte dicti* cum *votis solemnibus*, reservatur *Romano Pontifici* vel *Concilio Oecumenico*. Unde nec *privata fidelium voluntate* nec *Episcoporum auctoritate, licite* vel *valide* institui potest. Ex hodierna praxi requiritur *praevia* et *expressa approbatio* Religionis, tamquam *formalis Religionis votorum solemnium*, a *Sancta Sede* prolata. Haec est sententia communis (2). Consideratur enim haec approbatio ut *causa* quaedam *maior* proindeque Sedi Apostolicae reservata, et in qua insuper *infallibilitas* intervenit.

568. Ad erigendam *Congregationem religiosam votorum simplicium*, ex hodierna disciplina *sufficit* at *requiritur Episcopi* approbatio. Haec *sufficit*, cum regulae Iuris Decretalium, quae approbationem pontificiam exigebant, plane in desuetudinem abierint; imo S. Sedes talia Instituta approbare nunc non solet, nisi postquam de licentia Ordinarii loci erecta fuerint et experimento sat diuturno comprobata (3).

At haec *requiritur* omnino ex disciplina vigente et ad tenorem Const. « *Conditae a Christo* » 8. Dec. 1900. cap. I. n. 1.: « Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere quam leges eius constitutionesque cognoverit itemque probaverit ».

(1) WERNZ, *Ius Decretalium* t. III. n. 590. III. et IV.; BOUIX, *De Iure Regularium* t. I. p. 57. sq.; PIAT l. c.

(2) WERNZ ib. n. 610.; PIAT q. 21.; VERM. n. 67. 69.

(3) Per Decretum *Dei Providentis* (16. Iulii 1906.), statuit Pius X ut Ordinarii, ad condendum vel approbandum novum Institutum religiosum, prius licentiam S. Sedis obtinuerint, quae licentia nullo modo approbationem Instituti continet (WERNZ n. 590. not. 15.).

Variae normae Episcopis praescribuntur in approbatione novi Instituti, si iudicaverit illud esse approbandum et non potius utendum esse Instituti iam existentis opera. Diligenter ipse inquirere debet: 1) quomodo ad *finem primarium cuiusvis Congregationis* tendat, i. e. ad sanctificationem per tria vota substantialia; — 2) quis sit *finis eius proximus* seu *secundarius* (v. g. puerorum institutio, infirmorum cura); utrum is finis *recte* et *accurate determinatus sit;* — 3) utrum *media apta* eligantur ad obtinendum tum primarium finem tum secundarium.

Immo regulas quasdam prae oculis habeat ut quibusdam Institutis *cautius*, *difficilius* licentiam existendi det vel etiam *omnino deneget* ob finem specialem quem sibi proponunt. (Const. « *Conditae* » cap. I. n. III.; Normae S. C. Episc. et Regul. pro approbandis novis Institutis votorum simplicium art. 14. 15. 17. 52.; WERNZ n. 610).

Approbata ab uno Episcopo Congregatio religiosa extendi potest ad alias dioeceses, praecedente consensu tum Episcopi loci originis, tum Episcopi novae fundationis (1).

569. Congregatio ab Episcopo approbata, etsi forte in pluribus dioecesibus diffusa, *Institutum dioecesanum* manet; ut approbatione S. Sedis donetur, per quatuor distinctos gradus procedi solet.

1) Datur Decretum *laudis* et *commendationis* novi Instituti, quo concesso fit *eo ipso iuris pontificii* quoad certas exemptiones ab Episcopi potestate.

2) Conceditur Decretum *approbationis* et *confirmationis* Instituti, dilata Constitutionum approbatione.

3 et 4) Approbantur Constitutiones *ad tempus* et per *modum experimenti* (v. g. ad tres vel quinque annos); et tandem *definitive* et *Constitutiones* et *ipsum Institutum* approbantur.

Qui gradus non ita stricte observantur ut unus aut alter, praesertim primus, interim non praetermittatur.

(1) VERM. t. I. n. 97.; BATTANDIER, *Guide canonique pour les Constitutions des Instituts à vœux simples* n. 16.; BASTIEN, *Directoire canonique* n. 16.

570. **De innovatione Ordinum et Congregationum.** — *Innovatio* hic intelligitur mutatio in *natura* vel *legibus* Instituti. *Ordines Religiosi* stricte dicti nequeunt *absque S. Sedis licentia* nec ad Congreg. votorum simplicium reduci, nec exemptione ab episcopali potestate privari, nec finem secundarium seu proximum vel media substantialia mutare, nec tandem in plures Religiones dividi aut vicissim in unicam ex pluribus coalescere (WERNZ n. 611.).

Institutum quod per Decretum laudis *iuris pontificii* factum est, nequit mutationem ullam in Constitutionibus inducere nec pati *absque S. Sedis auctoritate* (2).

Si Institutum ad plures dioeceses extendatur, « nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu quorum in dioecesibus sedes habeat ». (Const. « *Conditae* » c. I. n. V.)

571. **Extinctio Instituti.** — *Ordines stricte dicti,* immo et *Congregationis iuris pontificii* a *S. Sede sola* supprimi possunt. *Congregationes dioecesanae,* si in unica dioecesi exstant, ab *Ordinario loci* tolli possunt. Si ad plures extendantur dioeceses « ne exstinguantur, nisi gravibus de causis et consentientibus Episcopis quorum in dicione fuerint. Singulares autem domos Episcopis in sua cuique dioecesi tollere fas est » (Const. « *Conditae* » c. I. n. IV.).

B. De conventuum erectione, etc.

572. **De erectione conventus regularis.** — Primis temporibus erectio novi conventus ex *tacita* quadam *Episcopi approbatione* fieri potuit. Cum autem ex arbitraria fundatione vel suppressione conventuum incommoda et abusus irrepsissent, statuit Conc. Chalcedonense (a. 451.) can. 4., ne quis monasteria construeret sine *Episcopi conscientia* seu *cogni-*

(2) WERNZ n. 611. BATTANDIER, *Guide can.* n. 16. Const. *Conditae* cap. II. n. II.

tione, simul prohibens (can. 24.) ne semel exstructa supprimerentur aut denuo saecularia habitacula fierent.

Quae lex de necessaria Episcopi licentia ius commune mansit usque ad Constitutionem Bonif. VIII (a. 1298.), quae omnibus *Mendicantibus* prohibuit, sub poena nullitatis, ne absque *speciali* et *expresso S. Sedis beneplacito* nova monasteria reciperent vel recepta mutarent aut alienarent (1).

Licentiae episcopalis necessitatem ad omnia monasteria virorum et mulierum erigenda ursit Tridentinum (sess. 24. c. 3. de Regul.) nec non plures RR. Pontifices.

S. Sedis licentia maiori rigore requisita est ab Innoc. X. Const. « *Instaurandae* » 15. Oct. 1652. pro Italia et insulis adiacentibus, extensis ad singula monasteria omnium Religionum prohibitionibus a Bonif. VIII solis Mendicantibus impositis. Inde per praxim et stylum Curiae Romanae invecta est necessitas *Apostolicum beneplacitum* petendi ad erectionem *novae domus religiosae ubique terrarum*. Et haec est canonistarum communior sententia, quamvis iuxta plures nondum res definita (2), cui valida accessit confirmatio ex Const. Leonis XIII « *Romanos Pontifices* » 8. Maii 1881.

573. **De erectione domus Congregationis.** — Si de *Instituto mere dioecesano* agitur, *requiritur* et *sufficit* Episcopi dioecesani licentia (Const. « *Conditae* » c. I. n. II).

Ex eadem Constitutione (c. II. n. III.) requiritur et sufficit eadem Episcopi licentia ad novam domum *Instituti iuris pontificii* erigendam. Sed reservari solet S. Sedi erectio domus noviciatus vel eius translatio (*Normae* n. 271. 272.) et in locis missionum ad novas domus aperiendas exigitur licentia S. C. de Prop. Fide (ib. n. 306.).

Ut autem Episcopus permittere possit novae domus erectionem, variae condiciones requiruntur.

574. **De conditionibus exigendis.** — Si agitur de domo Ordinis religiosi stricte dicti, videat oportet utrum congrua

(1) C. unic. de excess. Praelat. (V. 6.) in 6°.

(2) PIAT t. II. q. 323; WERNZ n. 116. Pro mitiore sententia VERM. t. I. n. 109. not. 5. 6.

sustentatio pro duodecim Religiosis ex reditibus et eleemosynis haberi possit. Secus pro Monialibus non permittat (haec est praxis constans, sin minus lex quaedam generalis). Pro viris non idem viget rigor: at domus manet non formata et per se ab episcopali iurisdictione non exempta (cfr. infra de exemptione n. 629. sq.) (1).

Debet etiam Episcopo constare iura aliorum, speciatim Regularium, non laedi. Unde si res dubia manet, convocare debet Superiores domorum Regularium ipsius loci vel viciniarum et eorum requiritur consensus — necnon et aliorum qui *interesse habent*, inter quos possunt esse loci parochi.

Lex de duodecim certe pro Congregationibus votorum simplicium non urget. *Normae* quidem statuunt (n. 307.) ut « nulla domus erigatur, nisi in ea conveniens numerus Sororum (vel Religiosorum) collocari et sustineri potest »; numerus autem nullus definitur, quamvis desiderandum videatur ut in conventibus proprie dictis saltem sex inveniantur (WERNZ, n. 622.) ad facilius disciplinam, ordinem et fervorem conservandum (2).

575. **Innovatio conventuum.** — Mutatio quae excedit regimen mere internum domus, v. g. Ecclesiae aedificatio, easdem formalitates requirit ac nova erectio, — secus, si non excedat.

576. **Extinctio conventuum.** — Domus deseri, dissolvi, alienari nequit nisi in casibus a iure determinatis, vel ex Indulto apostolico. Episcopus nihil potest in domum quae independens sit, vel Ordinis stricti aut Congregationis iuris pontificii membrum, ad quam supprimendam requiritur S. Sedis approbatio (Cf. *Normae* n. 271. 272).

Tollere potest in sua dioecesi domum Instituti dioecesani, etiam per varias dioeceses dispersi, observatis ecclesiasticis legibus de alienatione.

(1) LAURENTIUS, *Institutiones Iuris Ecclesiastici* n. 784.; WERNZ n. 620.
(2) BATT., *Guide canon.* n. 429.

Articulus III

De ingressu in Institutum religiosum

577. « Postquam quis vocationem suam (1) ad statum religiosum in determinato Instituto suscipiendum mature examinavit *propositumque prudenter* et *libere* cepit, forte *voto* confirmatum, ingrediendi illam religionem vel congregationem religiosam, iam propositum vel votum executioni mandandum est per *petitionem competentibus* Superioribus instituti religiosi a postulante rite *praesentatam* et *examinatam,* ut de *habilitate* candidati constet, et receptio legitime *concedi* vel *differri* vel *negari* possit » (Wernz t. III. n. 626.).

Circa ipsam admissionem in Institutum religiosum, quae his verbis indicatur, tria inquirenda veniunt: 1) quinam sint *habiles* obtinendae *admissioni;* — 2) qui *Superiores* competentes ad *concedendam* admissionem; — 3) quae *forma* in admissione sit *servanda.*

Absoluta quaestione de *admissione* in Institutum religiosum, successive agendum erit de *novitiatu* et de votorum emissione sive de *professione* tum *simplici* tum *solemni.*

(1) Utrum *omnes* ad statum religiosum amplectendum *vocati* sint necne; utrum *remote* tantum an etiam *proxime,* inter auctores disputatur, sicut et de quaestione connexa: quaenam sint *vocationis signa.* De his videri possunt: Vermeersch, *De religios. Instit. et person.* t. II, suppl. III.; Lehmkuhl, *Theolog. mor.* ed. 11. t. I. n. 657.; Gautrelet, *Traité de l'état relig.* Part. I. sect. II.; Bulot, *Comp. Theol. mor.* t. II. n. 126. Cf. supra n. 149. not. 2. de vocat. ad statum clericalem. Quaestio ulterior, quomodo peccet: 1) qui *vocatus* accedere *renuit;* 2) qui *non-vocatus* accedit, apud AA. Theologiae moralis etiam tractatur. Cf. S. Alph. *Theol. moral.* l. V. n. 78.; Bucceroni t. II. n. 257. sq.

I. De admissione in Institutum religiosum

578. **De admittendis** (1). — Quaedam conditiones *ex iure naturae*, quaedam *ex iure positivo ecclesiastico* requiruntur; insuper habet unumquodque Institutum *specialia* sua *statuta*.

Iure naturae debet quis esse *sui compos* et *sui iuris*:

1) **sui compos**: unde excluduntur *amentes, fatui, infantes* (2) ante adeptum usum rationis, utpote deliberationis et consensus incapaces. Excluduntur etiam *temere postulantes*, i. e. sine sufficienti *cognitione* et *deliberatione* (inter quos saepe erunt *impuberes*) (3); *motivis* mere *humanis* aut forte *perversis* ducti; vel *sine perfecta libertate* accedentes, immo forte *vi* aut *metu* iniusto compulsi (4);

2) **sui iuris**: tales non sunt: praeter *a*) *infantes* et aliquatenus *impuberes* (5):

(1) De ipsa admissione, cf. sapientia monita P. GAUTRELET, *Traité de l'état relig.* P. I. sect. II. c. 2.

(2) De *infantibus* et *impuberibus* monasterio olim oblatis, cf. WERNZ n. 628. not. 188. Utrum remanere post pubertatem debuerint? Videretur asserendum ex c. 2. 3. 6. C. XX. q. 1. (v. g. can. 3. sic habet: Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit), ex c. 6. X. de vita et honest. cleric. III. 1. etc. et ex dictis aliquorum scriptorum. At libertati favent: can. 1. 8. 9. C. XX. q. 1.; cap. 1. 2. 8. 11. 12. 14. de regular. III. 31. — Unde re melius considerata et ex genuina doctrina canonica asserendum est eos, pubertatem adeptos, libere potuisse recedere; si vero oblationem sui factam ratam habuerint, remanere debuisse.

(3) Ceterum Ecclesia sapienter constituit aetatem, infra quam postulantes admittere non liceret. Cf. infra n. 579. b).

(4) Hinc constituit Ecclesia pro mulieribus examen aliquod, seu voluntatis explorationem, ante habitus susceptionem. Cf. infra n. 582.

(5) In rebus *spiritualibus impuberes* de se a parentibus non pendent; unde si sufficientem discretionem haberent, non prohiberentur ob parentum dissensum. Quod a fortiori de *puberibus* est dicendum. At ob *leges civiles* et ratione *prudentiae* vix eos ante maiorennitatem, invitis parentibus, recipere expediet.

b) *matrimonio iuncti,* post consummatum matrimonium, nisi causa *perpetui divortii* adsit, v. g. adulterium (1), aut nisi intercedat *consensus* validus nec retractatus alterius *coniugis* (2), sine quo consensu professio omnino invalida esset.

At *sponsalia* ingressum non impediunt — nec *matrimonium ratum non consummatum:* sed tunc deberet eligi Ordo votorum solemnium, quia sola professio solemnis tale matrimonium solvit, nec debet pars altera, invita et contra leges ecclesiasticas, perpetuo coelibatui adstricta manere;

c) *professi* in altera Religione, nisi quando transitus ad alteram permittitur (3);

d) *gravati debitis* certis ex delicto vel contractu oneroso (cf. n. 579. c.);

e) *liberi,* quorum parentes in *extrema* vel etiam *gravi* necessitate sunt constituti (4).

579. **Iure ecclesiastico** prohibentur: *a*) *Episcopi consecrati* vel saltem *confirmati,* etiam mere *titulares,* nisi R. Pontifex consenserit: et professio *invalida* esset, ut videtur (5);

b) *aetate legitima* carentes. In Ordinibus stricte dictis, *de iure* admitti nequeunt: *feminae,* ante 15.^{um} annum expletum; — *viri,* qui in *laicos* seu *conversos* cooptantur,

(1) Piat t. I. q. 64. Nisi crimen sit notorium, sententia Episcopi de separatione quoad torum requiritur. Item ob lapsum coniugis in haeresim aut apostasiam, intercedente iudicio ecclesiastico alter coniux *sui iuris* fit.

(2) Immo exigit Ecclesia ut altera pars religionem ingrediatur et ibi professionem emittat, nisi sit *senex* et *simul* de incontinentia non suspecta, tunc enim sufficit votum castitatis coram Episcopo et testibus emissum.

(3) Cf. infra n. 613.

(4) Sic S. Thomas. *Summ. theol.* 2.^{a} 2.^{ae} q. 189. a. 6. et q. 101. a. 4. ad 4.^{m}, nisi tamen ipsi inde detrimentum animae paterentur. Idem tenet communis sentent. cum Suarez, Sanchez, Lessius, S. Alph. *Theol. mor.* l. IV. n. 66.

(5) Ita Wernz n. 629.; Piat t. I. q. 71., qui tamen tenet Episc. *titularem* licentia non egere.

ante 20.^{um} completum (1); qui in *clericos*, saltem *ex praxi*, non ante 15.^{um} absolutum (2).

c) obnoxii *rationibus reddendis* ob publicam vel privatam administrationem (3);

a) *criminosi* et *infames* (4);

e) *irregulares* ex *delicto* admitti nequeunt inter eos qui ad Ordines promovendi erunt; item nec *irregulares* ex *defectu*, salvis privilegiis variorum Ordinum (5).

(1) Cf. Decret. S. C. de Relig. 1. Ian. 1911.

(2) Wernz n. 629. IV.; Piat q. 81. et 77. Quae praescriptio aut praxis Institutis votorum simplicium normam *directivam* praebet. Ceterum *Normae* art. 61. excludunt omnes minores 15. annis (expletis), et feminas maiores 30. annis. Cf. Battandier n. 84.

Recens Decretum S. C. de Relig. 7. Sept. 1909. exigit (n. V.) ut admittendi in clericos studia tum primaria tum humaniorum litterarum iam peregerint. Cf. Verm., *Periodica* t. V. p. 44. sq.

(3) Sixtus V. eos ita excluserat ut eorum, sicut et debitis gravatorum (n. 578. d.), tum admissio tum professio invalida esset, ad vitandum scil. religionis opprobrium, Dei offensam, proximi scandalum. Clemens VIII. hanc legem emollivit, illicitum tantum declarans ingressum et professionem. (Cf. etiam *Normae* n. 61. 7°.).

(4) Scilicet hi qui certorum criminum (homicidii, latrocinii, furti, etc.), ex actis publicis fori civilis aut ecclesiastici, *rei* vel *suspecti* existant, a fortiori si ob ea *damnati* fuerint.

(5) Cf. supra n. 164.

Insuper per Decr. S. C. de Relig. 7. Sept. 1909. (*Act. Ap. Sed.* t. I. p. 700. Cf. Vermeersch, *Periodica* t. V. p. 52. sq. Choupin in *Etudes* a. 1911. t. 128. p. 525. sq.) prohibentur admitti sub poena *nullitatis* tum *novitiatus* tum *votorum:*

1) qui e collegiis etiam laicis *ob inhonestos mores* vel ob alia *crimina expulsi* fuerint;

2) qui a *seminariis* et *collegiis ecclesiasticis religiosis* quacumque ratione *dimissi* fuerint. (Ex verbis adhibitis in extensione eiusdem Decreti ad Instituta mulierum, facta 4. Ian. 1910. intelligenda sunt collegia ista in quibus pueri (aut puellae) speciali cura in spem amplectendi status clericalis aut religiosi educarentur. Cf. Verm. ib. p. 98. sq.)

3) qui, sive ut professi sive ut novicii, *ab alio Ordine* vel *Congregatione* religiosa *dimissi* fuerint; vel, si professi, *dispensationem votorum* obtinuerint;

4) qui iam admissi, sive ut professi, sive ut novicii, *in unam provinciam* alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea *dimissi,* in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

580. **N. B.** — I. *Parochus* aut *clericus* in Institutum religiosum votorum solemnium aut simplicium, etiam Episcopo contradicente, admitti potest, nisi *pactum speciale* intercesserit (1) aut *grave damnum* ecclesiae particulari immineat. Ceterum parochus, antequam ingrediatur, Episcopum de suo consilio certiorem reddere debet et per congruum tempus exspectare, donec de novo pastore parochiae provisum fuerit; idem, proportione servata, de beneficiatis, etc., dicendum est.

II. Alumni quorumdam collegiorum pontificiorum, titulo *missionis* aut *servitii ecclesiae* ordinati, Institutum religiosum ingredi prohibentur, nisi prius obtenta S. Sedis licentia (2).

III. *Illegitimi* nunc de iure communi non excluduntur ab ingressu, bene vero a gradibus, honoribus et dignitatibus in Ordine obtinendis, salvis privilegiis Ordinibus concessis. Ceterum « illegitimi, non rite legitimati » ab Institutis recentioribus solent excludi (3). (*Normae* § 61).

581. II. **Potestas admittendi** candidatos *principaliter* in R. Pontifice residet, qui eam *proxime* relinquit ipsi Instituto religioso exercendam, iuxta ius commune vel iuxta proprias Constitutiones Romae approbatas. De iure communi (4), pro *viris regularibus*, per actum capitularem aut saltem a coetu quorumdam Religiosorum cum Superiore exercetur; pro *Monialibus*, generatim per actum capitularem.

(1) An promissio etiam iurata Episcopo facta impediat? *Disting.:* promissio remanendi in dioecesi videtur conditionem implicitam supponere: nisi ad statum religiosum me vocatum senserim: unde potius *Neg.*; — promissio de non ingrediendo Ordinem sine eius licentia, *Aff.*, at si irrationabiliter obstaret Episcopus, patet recursus ad S. Sedem.

(2) Cf. supra n. 155.

(3) Sixtus V. filios ex *incestu* aut *sacrilegio* excluserat sub poena invalid.; at Greg. XIV. hanc exclusionem sustulit.

(4) Ex Const. Sixti V. « *Cum de omnibus* » § 4. « *Ad Romanum* » § 7.-11.; Clement. VIII. « *In suprema* ». (Apud VERMEERSCH. l. c. t. II. n. 24. p. 90. sq.) Pro Italia duplex scrutinium a Pio IX. fuit praescriptum, pre Decr. « *Regulari disciplinae* » 25. Iun. 1848. (VERM. ib. n. 34.).

In *Institutis pontificiis* modernis requiritur consensus maioris partis consilii *provincialis* aut, si tale desit, consilii *generalitii,* semper cum approbatione Praepositi aut Superiorissae generalis (1).

In Institutis dioecesanis Episcopus potestatem admittendi aut sibi reservat aut Instituto exercendam relinquit (2).

Patet potestatem datam Superiori (cum suo Consilio) admittendi candidatos, exercendam non esse modo *arbitrario.* Quamvis enim hi non strictum ius sibi vindicare possint ut admittantur, tamen peccaretur contra *caritatem,* si digni et idonei reiicerentur. Superior etiam contra *caritatem* erga Institutum, contra *religionem,* immo aliquo modo contra *iustitiam* peccaret, si tales reiiceret, qui Instituto utiles fore praeviderentur. Sicut e contrario peccaret, si *indignos* aut *noxios* admitteret (3).

582. III. **Forma admittendi** in ordinem regularem virorum *ad validitatem* per Sixtum V., *ad liceitatem* tantum per mitigationem Clementis VIII., sequenti praescriptione fuit adstricta:

Informationes sumendae sunt de postulantis natalibus, sanitate, moribus, vita anteacta, et, praesertim si annum 16.^{um} excesserit, an criminosus sit, aere alieno gravatus, rationibus reddendis obnoxius, ex honestis parentibus natus, quo spiritu ductus (4).

Insuper Pius IX. per Const. « *R.i Pontifices* » 25. Ianuarii 1848., quo facilius de his omnibus constaret, constituit petendas esse *litteras testimoniales* ab Ordinariis, tum loci *originis* postulantis, tum omnium locorum in quibus

(1) Battandier, *Guide canon.* n. 107. b.

(2) Vermeersch t. I. n. 177.

(3) Vermeersch t. I. n. 178.

(4) Sixt. V. Const. « *Cum de omnibus* » § 4.; Clem. VIII. Decr. « *Cum ad regularem* » § 2. Sixtus V. de his solum, qui maiores 16. annis erant, praescripserat, at sub poena invaliditatis professionis. Cf. apud Verm. t. II. n. 43. p. 137.

post expletum annum 15.um *ultra annum* commoratus est (1).

Pro *mulieribus* litterae testimoniales non requiruntur: istis enim per aliam praescriptionem suppletur. Statuit enim Conc. Tridentinum (sess. 25. c. 17. de Regul.) explorandam esse voluntatem postulantis ab Episcopo aut, eo absente vel impedito, a Vicario generali, aut ab aliquo ab eis deputato, tum ante susceptionem habitus, tum ante professionis emissionem (2); quae praescriptio nunc extenditur ad duplicem professionem: votorum *simplicium* post novitiatum et votorum *solemnium* triennio post (3).

Eadem voluntatis exploratio Institutis votorum simplicium tum dioecesanorum tum iuris pontificii praescripta est (4).

583. **Scholion.** — I. Ad admissionis formam referri potest prohibitio cuiusvis pacti simoniaci. Pro ipsa admissione nil omnino exigi recipive potest (5), pro expensis vero tempore novitiatus faciendis aliquid exigere possunt monasteria monialium, immo virorum ratione paupertatis qua premerentur (6).

(1) Cf. PRÜMMER l. c. q. 33. Immo, pro tempore quo postulans servitium militare agebat, testimoniales litteras habere debet Episcoporum locorum ubi ultra 3. menses (continuos) degit. At haec praescriptio, pro Italia data (27 Nov. 1892.), extra Italiam non habet nisi vim directivam. Cf. VERMEERSCH. t. I. n. 168. Idem auctor n. 170. sq. de casibus quibusdam specialibus agit.

Si quis alicubi decem annos commoratus est, non indiget litteris Episcoporum locorum in quibus antea vixerat.

(2) Ad videndum nempe: « an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat ». Trid. l. c.

(3) Decret. S. C. de Relig. 19. Ian. 1909. a Pio X. *special.* approbatum.

(4) Per Const. « *Conditae a Christo* » 8 Dec. 1900. P. I. n. VII.; P. II. n. I. (Apud VERM. t. II. n. 2. p. 17.). *Normae* n. 80.

(5) Excommunicatio *lat. sent.* Rom. Pont. simplic. reservata plectit « reos simoniae realis ob ingressum in Religionem » (Const. « *Apost. Sed.* » ser. II. n. 10).

(6) Nisi tamen ipsis per proprias Constit. aut specialia decreta S. Sedis hoc prohiberetur ob singularem paupertatem quam profitentur.

II. Insuper pro mulieribus de iure communi **dos** exigitur (1), quae ante habitus susceptionem iam constituenda et apud virum fidum deponenda, « tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium » (2). Tuto dein asservatur, probe et fructuose collocata, nec ullis obligationibus gravanda est: nam non acquiritur monasterio nisi per professionem solemnem monialis, aut per mortem professae etiam votorum simplicium; restituenda vero est, si post vota tantum simplicia discedit aut dimittitur (3).

II. — De novitiatu

584. Candidatus per tempus plus minusve longum, iuxta Constitutiones aut Decreta (4), examinatus et probatus, si aptitudinem ad vitam religiosam in tali Instituto ostenderit seriamque spem perseverantiae in sua vocatione excitaverit, expletis formalitatibus ex iure aut Constitutionibus praescriptis (supra n. 581. 582.) inter novitios admittitur; id quod fit per habitus susceptionem; aut si specialis habitus desit, per actum quem Constitutiones, consuetudo aut specialia decreta S. Sedis determinaverint (5). Praemitti solent exercitia spiritualia et confessio generalis (6). Praeterea varia constituta sunt de *tempore, loco, exercitiis* et *disciplina* novitiatus.

(1) Etiam in divitibus monasteriis, pro monialibus velatis, nam conversas sine dote recipere licebat. WERNZ t. I. n. 181. Nunc etiam ab his exigi solet; at S. Congr. facile obligationem remittit. Cf. BATTAND. n. 135. sq.

(2) Decret. « *Perpensis* » S. C. Ep. et Reg. 3. Mai. 1902. n. X.

(3) *Normae* n. 95.

(4) Decretum S. C. de Relig. 1. Ian. 1911. (*Act. Ap. Sed.* t. III. p. 29. sq.) exigit duos menses pro his qui inter FF. Conversos cooptandi sunt; Decret. 15. Aug. 1912. (ib. t. IV. p. 565.) sex menses pro admittendis in Ordinibus stricte dictis monialium, si in Constit. nil est determinatum. Regulae supra n. 581. pro admissione ad Novitiatum indicatae, etiam pro admissione ad professionem observandae sunt.

(5) *Normae* n. 71.

(6) *Normae* n. 77.-78.

585. **De novitiatus duratione.** — Quod Innocentius IV. et Alexander IV. pro FF. Praedicatoribus et Minoribus constituerant, a Bonifacio VIII. ad omnes (et solos) Ordines mendicantium extensum, per Conc. Trident. (sess. 25. c. 15. de Regul.) lex universalis omnium Ordinum religiosorum facta est. Requiritur nempe ad validitatem professionis annus *integer* et *continuus* novitiatus. Ex praxi S. C. Ep. et Reg. eadem regula urget Instituta moderna votorum simplicium (1).

Ubi tamen constituitur biennium novitiatus, nequit vel ipse Superior generalis id tempus abbreviare (2).

Exigitur annus *integer*, i. e. de die ad diem, de hora ad horam (3); — *continuus*, i. e. sine interruptione; si *sus-*

(1) *Normae* n. 72.

(2) *Normae* n. 75.

(3) Id ex variis responsis S. C. Conc. constat. Cf. FERRARIS v. *Annus probationis* n. 25. sq.

Multum controvertitur inter AA. quomodo inducatur interruptio sive suspensio novitiatus. Certe *interrumpitur* novitiatus, ita ut denuo inchoandus sit, si vera et realis separatio inter Institutum et novitium intercesserit: haec habetur, non tantum si novitius *dimittatur*, aut *sponte exierit*, sciente et annuente Superiore, sed etiam si egrediatur *sine licentia cum intentione non redeundi;* immo, deficiente hac intentione, si post egressum aliquot saltem dies extra obedientiam manserit.

Nec interrumpitur nec suspenditur si novitius extra domum versetur in exercitationibus, seu *experimentis*, a Constitutionibus praescriptis, v. g., ut aegrotis in nosocomio inserviat, ut in sacris Missionibus occupetur. Extra hos casus, si ex licentia Superiorum novitius ob valetudinem, ob negotia Religionis, etc., extra monasterium degerit, v. g. in domo paterna, in hos pitio, non satis constat utrum et post quot dies interruptus aut saltem suspensus iudicandus sit novitiatus. Disputatur etiam utrum servitio militari interrumpatur an tantum suspendatur novitiatus. Certe aliquae decisiones sat rigidae Sacrae Congr. Episc. et Regul. afferuntur; at merito negant PIAT t. I. q. 103.; WERNZ n. 635. not. 259.; PRÜMMER q. 43. omnem moram extra domum etiam unius noctis novitiatum interrumpere. Cf. VERMEERSCH t. II. suppl. X. n. 51. qui solide rem tractat. Videtur res pendere a duratione absentiae, a gradu dependentiae a Superioribus. Cf. BATTAND. n. 106. Cautius tamen recurretur ad S. C. de Relig., saltem *ad cautelam*, si mora protracta fuerit.

pensus, non *interruptus* fuerit novitiatus, tempus suspensionis est supplendum.

Tempus unius anni a Tridentino determinatum (sess. 25. c. 15.) prorogari (saltem notabiliter) nequit, nisi Constitutiones approbatae a S. Sede longius tempus determinent, aut specialia Indulta hanc prorogationem permittant. Moderata dilatio, quae iuxta plures AA. usque ad sex menses extendatur, prohiberi non videtur (1). Pro Institutis hodiernis « ex iusta causa, et cum voto deliberativo Consilii generalis, prorogari potest in casibus particularibus, sed non ultra tres menses » sine speciali recursu ad S. Sedem (2).

586. **Locus** ad novitiatum peragendum communiter erit monasterium aut domus ad hoc specialiter electa; immo in Italia haec praescriptio sub poena invaliditatis viget (3); probabilius tamen ab ea, etiam in Italia, aliqui Ordines religiosi eximuntur, nec extra Italiam urget (4).

Pro novis Congregationibus iuris pontificii: 1) imponitur obligatio beneplaciti specialis S. Sedis ad erectionem domorum novitiatuum; — 2) statuitur ut integrum tempus novitiatus traducatur in domo ad hoc probata a S. Congregatione. (*Normae* n. 76.).

587. **De novitiatus disciplina et exercitiis.** — Tempus novitiatus omnino dicari debet « formationi spiritus, studio Constitutionum, orationi, institutioni circa vota et virtutes, exercitationibus opportunis ad emendationem defectuum, ad compescendas passiones et ad virtutes acquirendas ». (*Normae* n. 78.).

Studiis tempus novitiatus impendi non debet, nisi intra modestos limites a Decr. S. C. de Relig. 27. Aug. 1910.

(1) FERRARIS v. *Annus probationis* n. 33.; WERNZ n. 635.

(2) *Normae* n. 75.

(3) Clem. VIII. Decr. « *Regul. disciplinae* » 12. Mart. 1596., « *Sanctissimus* » 20. Iun. 1599.

(4) Ita multi AA.; inter recentiores PIAT t. I. q. 114.; PRÜMMER t. I. q. 47.; VERM. t. II. Suppl. IV. p. 62. sq.; WERNZ t. III. n. 636.

constitutos, unius horae studii privati quotidiani, et ad plus trium horarum scholae in hebdomada (1).

Ubi tamen duo anni novitiatus praescribuntur, haec stricte de primo tantum valent; in secundo anno studiis operibusve Instituti iam vacare licet, at moderate et generatim in ipsa domo novitiatus, nisi graves rationes aliter suadeant. (*Normae* n. 74.).

588. **De obligationibus et iuribus novitiorum.** — I. Novitii debent Superioribus obedientiam praestare, non vi voti, ut patet, at ratione potestatis *domesticae* quam isti obtinent (2).

Iuxta sententiam communem participant de exemptione sui Ordinis et ab eiusdem Superiorum iurisdictione in utroque foro pendent. Certe apud confessarios a Superiore destinatos confiteri *valent* (immo in Italia (3) apud Magistrum novitiarum confiteri *tenentur*), et *illicite* saltem apud confessarios ab Ordinario approbatos confitentur (4). Ligantur a casibus reservatis in Ordine, saltem si de Superiorum intentione constat (5).

II. Plena *libertate exeundi* ab Instituto gaudet novitius, quamvis peccaret, si sine ratione egrederetur, a fortiori si votum emisisset religionem ingrediendi (quod certe obligationem etiam perseverandi implicat, nisi iusta ratio exeundi intercedat).

In *favorabilibus* nomine *Religiosorum* veniunt ipsi novitii: unde *privilegiis* sui Ordinis gaudent, nisi speciali dis-

(1) *Acta Ap. Sed.* t. II. p. 730. Cf. VERMEERSCH, *Period.* t. VI. p. 195. seq.

(2) Cf. infra n. 603.

(3) Clem. VIII. Decr. « *Cum ad regularem* » 19. Mart. 1603. art. 17.

(4) Immo plures AA. *talem* confessionem *invalidam* dicunt: sic LEHMK. t. II. n. 514. (ed. 11), post SUAREZ etc.; alii eam ut *probabiliter validam* habent, v. g. PRÜMMER q. 50. n. 5.

(5) Ceterum nunc *novitii*, sicut et *Religiosi*, apud quemlibet confessarium ab Ordinario approbatum confiteri valent, ex Decreto S. C. Relig. 5. Aug. 1913. (*Act. Ap. Sed.* t. V. p. 431.), quod etiam novitiis in Italia videtur extendi.

positione excludantur (1); in *odiosis* vero, quoad plura saltem, non veniunt nomine Religiosorum (2).

589. **De bonorum dispositione** (3). — Novitii Ordinum stricte dictorum usque ad professionem *solemnem* retinent beneficia (cf. supra n. 283.), nec ullas *notabiles* donationes facere aut obligationes circa bona sua contrahere permittuntur *ante duos menses* qui professionem solemnem praecedunt (4). Ipsa *renuntiatio* bonorum, quae tunc fieri debet, effectum non sortitur nisi per ipsam professionem.

At *testamentum* condere non prohibentur, neque donationes facere, quae bona *notabiliter* non diminuunt, hae tamen ipsi monasterio fieri prohibentur.

In Institutis votorum simplicium nihil hactenus constitutum fuerat; at nunc sequentes regulae imponi solent (*Normae* n. 119.): non possunt ante professionem votorum *perpetuorum*, per actus inter vivos, dominio radicali bonorum suorum se abdicare; *convenit* tamen ut *testamentum* condant etiam ante prima vota; post professionem « (ut) licite se spoliare possint dominio radicali omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia Apost. Sedis ». (*Normae* n. 121.).

Ceterum novitii in quolibet Ordine aut Instituto, ante emissionem votorum *simplicium*, *administrationem* bonorum

(1) Ex sent. communissima privilegium fori et canonis obtinent; Indulgentias lucrantur, eximuntur a iurisdictione Episcopi. Cf. infra n. 632. Superiores, qui iurisdictionem ecclesiasticam habent, eos dispensare possunt in praeceptis ecclesiasticis, in votis non reservatis, non tamen vota eorum irritare nisi indirecte, in quantum haec probationi aut disciplinae religiosae opponuntur. PRÜMMER t. II. q. 50. 51.

(2) PIAT. t. I. q. 129.; PRÜMM. q. 50. 5.

(3) Cf. VERMEERSCH, *De Relig. Inst.* t. II. Suppl. X. n. 68. sq.; BULOT, *Comp. Theol mor.* n. 139. sq.

(4) Sess. 25. c. 16. de Regul. in Conc. Trid., iuncto Decreto 1. Augusti 1862. Cf. VERM. t. II. n. 46. Pro Monialibus cf. Decret. « *Perpensis* » 3. Mai. 1902. n. XI. VERM. ib. n. 64. Immo licentia Ordinarii loci exigitur ad hanc cessionem faciendam; at probabiliter sufficit *tacita* licentia. PRÜMM. q. 52.; VERM. l. c. t. I. n. 202.

suorum alteri committere et de *usu* et *usufructu* eorumdem disponere debent (1).

Post professionem simplicem testamenta condere vel condita mutare non permittuntur sine recursu ad S. Sedem: urgente tamen necessitate, sufficit licentia Ordinarii aut Superioris generalis, imo, si aliter fieri nequit, Superioris localis. (*Normae* n. 132.) (2).

III. — De professione simplici et solemni (3)

590. **De professione simplici.** — Elapso novitiatus tempore, si novitius in Institutum cooptari velle pergat, Institutum vero ipsum admittere velit, professionem votorum simplicium elicere permittitur.

Haec in Ordinibus stricte dictis (ex praescripto Pii IX., a Leone XIII. ad Moniales extenso) (4), praecedere debet solemnem professionem, ita ut novitius in votis *simplicibus* at *perpetuis* per triennium permaneat, antequam vota solemnia emittat.

In Institutis votorum simplicium praescribi solet spatium votorum *temporariorum* (trium annorum ad minus, sex ad plus), antequam vota *perpetua* concedantur. (*Normae* n. 103. 104.).

Ad *valorem* (5) professionis *simplicis* requiritur: 1) annus *16.us* aetatis expletus (6); — 2) *annus* integer *novitiatus* (7);

(1) Cf. Decr. « *Perpensis* » n. XI. *Normae* n. 115. Nec has dispositiones mutare poterant sine venia S. Sedis. Cf. VERM. t. I. n. 247. sq. Nunc pro Institutis votorum simpl. sufficit licentia Super. Generalis. (*Normae* n. 117.).

(2) De bonis, post vota acquisitis, *libere* disponere possunt iuxta regulas pro aliis bonis traditas. (*Normae* n. 124.). Cf. VERM. l. c. n. 71.; BATT. n. 181.

(3) De professione in articulo mortis cf. Decr. S. C. de Relig. 10. Sept. 1912. (*Act. Ap. Sed.* t. IV. p. 589).

(4) PiiI X. Encycl. « *Neminem latet* » 19. Mart. 1857.; Decret. S. C. Ep. et Reg. « *Perpensis* » 3. Maii 1902. Apud VERM., *De rel. Inst.* t. I. n. 53. 64.

(5) De prof. *invalida* cf. Schol. III. n. 595.

(6) Supra n. 579. cum exceptione statuta pro *FF. conversis.*

(7) Supra n. 585.

— 3) *plena libertas* voventis, ita ut saltem ex iure positivo professio, per metum gravem iniustum extorta, invalida sit (1); — 4) professio *expressa*, non solummodo tacita (2).

591. **De effectibus professionis simplicis** (3). — Professio simplex in Ordine stricte dicto obligationem *perpetuam* pro vovente inducit eiusque dispensatio Sño Pontifici reservatur; — per eam, vovens, saltem *probabiliter*, *verus religiosus* seu *regularis* efficitur (Cf. n. 549.).

Professus in omnibus *privilegiis* et *gratiis* professi votorum *solemnium* participat, excepto quod vocem activam aliquatenus limitatam habeat et in Superiorem eligi nequeat. Vicissim fere iisdem obligationibus ligatur, v. g. tenetur choro interesse, non tamen ad privatam Officii divini recitationem obligatur.

A die emissae professionis computatur tempus antiquitatis in professione et tempus quod forte ex Constitutionibus exigitur ut quis vocem activam vel passivam habeat.

Retinet dominium radicale suorum bonorum (4).

592. **Professio votorum solemnium** emitti nequit, sub poena invaliditatis (5), ante *triennium* in votis simplicibus peractum; nec prorogari potest post hoc triennium ultra annum 25.^{um} aetatis, nisi ex speciali Regulae dispositione aut ex Indulto.

Per professionem solemnem vovens fit *verus regularis* (6); — contrahitur utrinque vinculum indissolubile; — inducuntur variae inhabilitates, v. g. ad possidendum, ad matrimonium valide contrahendum, etc. (Cf. supra n. 548. et infra n. 598. sq.).

(1) Cf. VERMEERSCH, *De rel. Inst.* t. I. n. 212.

(2) Supra n. 550. II.

(3) Cf. Decret. « *Sanctissimus* » 12. Iun. 1858. et Decr. « *Perpensis* » cum declarat. 18. Iul. 1902. Apud VERM. l. c. t. II. n. 61. 64. 65.

(4) De vacatione beneficiorum cf. supra n. 280. 3. cum nota 2.

(5) Encycl. « *Neminem latet* » n. 4.; Const. « *Ad universalis* » 7. Feb. 1862.; Decr. « *Perpensis* » n. III. Apud VERM. t. II. n. 53. 54. 64.

(6) Si iam per prof. simpl. non est effectus *talis* (Cf. n. praeced.).

Vota praecedentia non tantum *suspenduntur*, quatenus cum vita religiosa incompatibilia sunt, ut fit in professione simplici, at *extinguuntur*. *Dissolvitur* matrimonium *ratum non-consummatum*.

593. **Scholion.** I. — Quis ex iure communi ad professionem sive simplicem sive solemnem admittere possit, non ita certum est; unde potissimum recurrendum erit ad Constitutiones aut consuetudines Ordinum. In Ordinibus strictis professio simplex a provinciali (cum consensu maioris partis Capituli) permitti solet, professio solemnis a Generali (*audito* Capitulo conventuali) (1).

In Institutis votorum simplicium iuris pontificii, res a Constitutionibus determinantur; a Superioribus, non ab Episcopo admissio conceditur (2).

594. **Scholion.** II. — *Renovatio votorum*, qua, elapso spatio priore, denuo fiunt vota temporaria, *iuridica* est, et incunctanter facienda praescribitur (*Normae* n. 106).

Renovatio quae *ex devotione* fit, quaque permanentis obligationis iteratur expressio, nullos per se parit effectus nec professionis invalidae convalidatio habetur (3).

595. **Scholion.** III. — Professio ex quacumque ratione *invalida*, aut *sananda* aut invalida declaranda est. Cum ex dictis renovatio, ex devotione facta, sanandi professionem invalidam generaliter vim non habeat, impedimento remoto, haec denuo facienda est (4).

Si subditus abire vult aut Ordo eum eiicere, ratione professionis invalidae, haec invaliditas, quando agitur de

(1) PRÜMMER q. 56.; WERNZ n. 643.; VERMEERSCH l. c. t. I. n. 213. 219. putat haec *de iure communi* exigi. De loco, ritu, forma professionis cf. WERNZ n. 644.

(2) In Italia. scrutinium examinatorum provinciae, a Generali confirmatum, a Pio IX. fuit constitutum. Decret. « *Regulari discipl.* » P. II. n. IV. V.

(3) Hoc ex variis declarat. SS. Congreg. satis certo concluditur; nisi tamen in aliquo Ordine, ex declaratione legitime facta et satis promulgata, de intentione diversa Superiorum clare constet. Cf. VERM. t. I. n. 223.

(4) LAURENTIUS, *Instit. iur. eccl.* n. 808.

professione solemni, a iudice ecclesiastico decernenda est; servata forma a Benedicto XIV. constituta (1). Datur *quinquennium* a die professionis ad introducendam causam; quo tempore elapso petenda est restitutio in integrum (2).

Si de professione simplici agitur, non requiritur necessario forma iudicialis, at sufficit sola cognitio certa facti (Wernz, n. 673.). Ceterum potius per dimissionem et dispensationem votorum ad cautelam procedi solet.

Articulus IV

De obligationibus et iuribus Religiosorum

I. — De obligationibus Religiosorum (3)

A. De obligationibus ad ipsum statum religiosum consequentibus

596. Obligationes quae Religiosos urgent, praesertim ex triplici fonte fluunt: aliae ad ipsum statum religiosum sequuntur, aliae ex votis, aliae potius ex legibus quibusdam ecclesiasticis specialibus originem habent. De singulis successive loquemur.

597. Cum finis primarius et generalis status religiosi consistat « in intendenda perfecta caritate erga Deum et proximum » (4), et status ipse religiosus merito vocetur status *perfectionis acquirendae*, patet omnes sodales religiosos obligatione adstringi tendendi ad perfectionem per media tum omnibus Institutis communia (vitando nempe peccata

(1) Const. « *Si datam* » 4. Mart. 1748. Cf. Wernz n. 668. sq.; Verm. t. I. n. 215.

(2) *Quaest. sel. e t. II.* n. 96.

(3) Valde utiliter consulentur: Marsot, *Petit traité pratique des vœux de Religion* Albi 7 1914.; Thévenot, *Manuel de la vie religieuse*, Versailles 1912.

(4) Supra n. 560.

gravia, et in virtutum exercitio proficiendo, praesertim per votorum observationem), tum proprio Instituto propria, maxime per Constitutionum et regularum observantiam.

598. I. Obligatio *tendendi ad perfectionem* ex natura sua *gravis* est: hinc peccat graviter Religiosus qui firmiter statuit perfectionem non sectari, aut eam contemnit, aut in habituali dispositione versatur violandi vota aliave praecepta gravia (1).

599. II. Obligatio *Regulas* et *Constitutiones observandi*, pro variis Ordinibus et Institutis, nunc urget *sub poena peccati*, gravis aut levis, nunc *per se* in conscientia non urget.

Regulae enim se habent ad modum legis (2) sive moralis sive poenalis.

Si in conscientia ligant ad actum ponendum aut omittendum, qui eas violat peccat (3).

Si sint leges mere poenales, Religiosus tenetur in conscientia ad acceptandam poenam, saltem si Superior eam *vero praecepto* imponit.

At vix deerit peccatum in regulae violatione, cum haec violatio ex fine pravo aut affectu inordinato fere semper oriatur (4).

(1) VERMEERSCH, *De rel. Inst.* n. 224. sq.

Hanc obligationem *tendendi ad perfectionem*, *per se graviter* non laedit Religiosus, qui sibi proponit vota non observare, nisi quando sub gravi urgent, nec qui semel aut aliquoties graviter peccat, vel saepius at in rebus non magni momenti. — At graviter eam laedit qui *advertit* se ex tali modo agendi periculum grave incurrere: tum violandi vota in materia gravi; tum vocationem amittendi cum gravi detrimento animae; tum aliis scandalo gravi esse.

(2) Cf. n. 31. in not. 2.; SUAREZ, *De legibus* l. V. c. 4. n. 4.

Quamvis Instituta votorum simplicium *veras leges* non condant, Constitutiones, quia *approbatae* ab Ecclesia, sunt leges. Ceterum, etiam ab hac approbatione abstrahendo, habetur inter Ordinem et subditos aliquis contractus aut quasi-contractus de observandis Constitutionibus.

(3) Et peccat quidem contra virtutem, ratione cuius res praecipitur (v. g. contra temperantiam, si ieiunium praescriptum frangit).

(4) VERM. l. c. n. 232; BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.* tract. IX. t. IV. n. 59.

Insuper subditus violans regulam peccat: 1) si ista rem aliunde praescriptam denuo imponit (at nulla *nova* obligatio inde exsurgit); — 2) si obligationem votorum determinat (tunc contra votum peccatur); — 3) si Superior rem in regula contentam sub praecepto obedientiae (*in virtute S. Obedientiae*) imponit (tunc contra votum obedientiae peccatur); — 4) tandem si subditus ex contemptu *formali* regulae eam transgreditur (1).

B. De obligationibus ex votis

600. A. **De voto paupertatis.** — I. Paupertas in genere intelligitur aliqua *carentia bonorum* externorum; paupertas religiosa est *realis* et *voluntaria abdicatio* horum bonorum, quoad *dominium* aut saltem quoad *usum* (2), Deo per votum oblata.

Obligationes et *effectus* paupertatis religiosae diversi sunt, prout agitur de professis votorum *simplicium* aut *solemnium*.

II. Professus votorum *simplicium* servat *dominium* reale suorum bonorum, at abdicare debet eorum *administrationem*, nec *usum* aut *usumfructum* retinere potest. Id quod ipsi obvenit, si tamquam pars patrimonii spectari potest (v. g. hereditates, legata, dona magni valoris), ipsi acquiritur; si sit res primo usu consumptibilis, monasterio acquiritur. — De eo quod possidet, semper *valide* disponit, at *illicite*, si consensus Superioris desit (3).

(1) Contemptus *formalis* Regulae (vel Superiorum) habetur, si quis eam spernit, *quatenus* est *Regula*, seu norma regularis vitae (aut Superiores despicit, *quatenus Superiores* sunt); contemptus erit *materialis*, si in rem ipsam a Regula praescriptam fertur, utpote minoris momentis (aut in personam *talis* Superioris, quatenus minus docta, minus prudens apparet).

(2) Hic ultimus gradus ad vitam religiosam sufficit, ut patet ex usu Ecclesiae; ceterum inde sufficienter removetur obstaculum perfectioni, nam ut ait Lessius: « dominium rerum non aestimatur nisi propter usum et potestatem disponendi ». (*De iust. et iure* l. II. c. 4. n. 27).

(3) Est sententia longe communior contra paucos. Cf. Schmalzgr. in l. III. tit. 35. n. 9.; Piat t. I. q. 271.; Wernz n. 650. not. 377.

III. Professus votorum *solemnium* (1) nec dominium suorum bonorum retinet (2), nec alia acquirere potest; si quid ipsi obvenit, acquiritur *monasterio,* (i. e. nunc Ordini, nunc provinciae, pro variis Constitutionibus), nisi obstent Constitutiones (3) aut leges pontificiae; tunc ad illos transit, qui ipsi decedenti ab intestato succederent.

Ubi tamen leges civiles hanc incapacitatem professi non agnoscunt, potest is actus apparentes dominii exercere.

Ius canonicum non secus ac civile, prohibet ne quis de futura hereditate *disponat,* nisi quis cedat in genere omnem hereditatem sibi obventuram (4).

IV. *Materia remota voti* paupertatis est quidquid pretio aestimabile (5) habetur; *materia proxima* est omnis actus externus (6), *libere* et *independenter,* i. e. sine debita Superioris licentia, exercitus. Peccabit ergo Religiosus: 1) si de bonis disponit, quorum dominium reale adhuc retinet (at tunc contra virtutem religionis tantum, ob voti violationem); — 2) si res alienas, in specie res monasterii, sibi su-

(1) Et in Soc. Iesu etiam Coadiutores *formati* (Sacerdotes aut FF. laici) post ultima vota, licet non solemnia.

(2) In Belgio, ex dispensatione S. Sedis, hi professi dominium reale retinent. Cf. VERMEERSCH, *De rel. Iust. et pers.* t. II. Supplem. VI. art. IV.

(3) FF. Minores de Observantia, Capuccini, sodales Soc. Iesu hanc incapacitatem acquirendi per hereditatem retinent etiam post Trident. (sess. 25. c. 3. de Regul.). Cf. LUGO, *De iust. et iure.* Dist. III. sect. 5. n. 98. sq.

(4) At *renuntiare* potest futurae hereditati. Immo AA. aliqui putant prohibitionem iuris canonici non applicari, si *dispositio* fieret in favorem monasterii. GURY, *Casus consci.* t. II. cas. 14.

(5) Cf. recens responsum S. C. de Relig. 12. Aug. 1913., quo declaratum est manuscripta Religiosorum ab ipsis, durantibus votis, exarata, in eorum dominio non esse, nec donari alienarive posse. — Intellige manuscripta quae verum valorem in se, non solum pro Religioso, habent. Cf. VERM., *Periodica* t. VII. p. 165. sq.

(6) Per actus internos contra *votum* paupertatis non peccatur, bene vero contra *virtutem*, quae omnem inordinatum affectum ad res temporales excludit.

mit, acceptat, donat, commodat (tunc generatim laedetur etiam iustitia).

A peccato excusat licentia Superioris tum *expressa*, tum *tacita*, tum *praesumpta*, i. e. quae daretur, si peteretur: at communiter peti debet, nisi sit periculum in mora (1).

601. **Scholion. De peculio.** — Peculium intelligitur pecunia, pensio, bonum temporale mobile aut immobile, usui proprio et permanenti Religiosi destinatum.

Religiosus qui peculium retinet eoque utitur *independenter* a Superiore, contra votum peccat, secus vero si cum dependentia; at, ob pericula Ecclesia peculium prohibet (2), unde illicitum dicendum est, nisi contraria consuetudo invaluerit; immo etiam tunc professus *dominium* huius peculii habere nequit (saltem si vota solemnia nuncupavit); — nec eo uti nisi pro rebus utilibus debet; — et pecunia penes Superiorem manere debet.

602. B. **Votum castitatis** etiam *simplex illicitos* reddit actus, qui de se inter coniuges permittuntur, et *novo titulo illicitos* facit actus sive *externos* sive *internos* (3), qui virtuti castitatis adversantur.

Insuper votum solemne castitatis dirimit matrimonium ratum non consummatum (4); et impedimentum dirimens inducit pro matrimonio contrahendo (5).

(1) Bulot n. 152. 153.

Quaestiones practicas circa obligationes voti paupertatis, et gravitatem peccatorum quibus laeditur, invenire est apud AA. Theol. mor., v. g. Gury t. II. n. 155. sq.; Bucceroni t. II. n. 283. sq.; Génicot t. II. n. 92. sq.; Bulot t. II. n. 156. sq.

(2) Iuxta veriorem sententiam, quae capite 2. sess. 25., de Regul. Conc. Trid. innititur, et Const. « *Nullus* » Clem. VIII. § 2. Cf. Verm. t. I. n. 279.; Wernz n. 650. IV. Cf. Génicot t. II. n. 97.; Bucceroni t. II. n. 288.

(3) Ita omnes. Cf. Schmalzgr. in l. III. tit. 35. n. 41.; Piat t. I. q. 288. Nec obstat ullo modo textus *Normarum* n. 129. Cf. Battandier n. 191. sq.

(4) Conc. Trid. sess. 24. can. 6.

(5) Conc. Trid. ib. can. 9. Eumdem effectum habet votum castitatis simplex in Soc. Iesu, non tamen solvit matrimonium ratum. De hoc impe-

603. C. **De voto obedientiae.** — I. Obedientia religiosa spectari potest ut *virtus* et ut *votum*. Primo sensu est virtus moralis qua voluntas subditi inclinatur ut se voluntati Superioris conformet, propter honestatem quae in hac subordinatione relucet; — altero sensu est promissio Deo facta obediendi Superiori, in determinatis circumstantiis et certo modo praecipienti (1).

II. Si inquiratur quare et quomodo Superior religiosus suis subditis praecipere valeat, animadvertere interest varias potestates penes ipsum inveniri posse:

1) omnis Superior (aut Superiorissa), *quatenus* est *caput* alicuius communitatis, quae est societas imperfecta, alicuius familiae instar, *omnibus membris* huius communitatis (etiam novitiis aut familiaribus) *imperare* valet: potestas sic exercita apte dicitur potestas *dominativa* (2);

2) Superior, si sit sacerdos, *de iure communi* in Ordinibus stricte dictis (aliquando in aliis Institutis *ex privilegio*), potestate *iurisdictionis* gaudet, sive *interni*, sive etiam *externi* fori;

3) tandem *vi voti obedientiae*, subiecti Superiori subduntur (3).

Potestas *iurisdictionis* exercetur in Religiosos a R. Pontifice, a Congreg. Romanis, et insuper in Regulares a Superioribus (qui sint sacerdotes), in Religiosos votorum simplicium ab Episcopis (4).

Potestas *dominativa* (seu *domestica, oeconomica*), a quolibet Superiore exercetur.

---

dimento et de solutione matrimonii agetur in tomo II., ubi de Sacram. matrimonii. Cf. WERNZ t. IV. n. 373. sq., n. 698.

(1) Ex proposito abstinemus a formula: obediendi Superiori quando *vi voti* praecipit, tum quia videtur aliqua tautologia implicari; tum praesertim ob controversiam paulo infra dirimendam, ubi de materia voti agetur.

(2) Alii eam *domesticam* vel *oeconomicam* vocant, nomen potestatis *dominativae* illi reservantes, quae vi voti subditorum Superiori acquiritur.

(3) Potestas quam in ipsos inde obtinet ab aliquibus dicitur *dominativa*.

(4) Cf. infra de regimine interno et externo Religiosorum n. 632. 633.

Potestas *vi voti*, a Generali, Provinciali, Superiore (aut Superiorissa) locali, aliisve iuxta Constitutiones; sed etiam a R. Pontifice et pro Institutis non exemptis, ab Episcopo (1).

III. *Materia virtutis* obedientiae religiosae est quidquid Superior praecipit, immo probabiliter omnis actus ad quem mero beneplacito aut consilio invitat (2). Materia *voti* est omnis actus qui a Superiore, vi ipsius voti, praecipitur; immo probabilius quidquid in conscientia obligat tum in praeceptis Superioris tum in praescriptis Regulae (3). Talis

(1) S. Thomas 2ª. 2ªe. quaest. 186. art. 5. ad 3m.; Wernz t. III. n. 652. II., n. 697.

(2) S. Thomas 2ª. 2ªe. q. 104. art. 2; Suarez, *De virt. et statu Religionis* tract. X. l. IV. c. 14. n. 11. 16.

Qui obedit, *quia* praeceptum aut beneplacitum Superioris ipsi innotescit, virtutem *specialem* obedientiae exercet; secus, tantum *generalem* obedientiam, simul cum virtute *speciali* ob cuius motivum rem facit.

(3) Duplex enim est sententia circa materiam voti et consequenter circa peccatum contra votum commissum ab eo qui Superiori (aut etiam Regulae) non obedit. Alii tenent Religiosum contra suum *votum* obedientiae peccare, quoties contra ipsam obedientiam peccat: hinc omnis *transgressio* praecepti Superioris (aut Regulae), quod in conscientia ligat, violatio voti (et peccatum contra religionem) dicenda est. Alii vero autumant non induci voti violationem, nisi quando Superior directe praecipit vi auctoritatis, quam ipsi confert votum subditi: hinc non inducetur nisi: 1) is Superior praeceperit, qui vi voti praecipere potest (cf. supra n. II.); — 2) ex ipsa formula adhibita (*in virtute S. obedientiae*, *in nomine Christi* etc., pro variis Institutis et Regulis), Superior manifestaverit se tali potestate fretum imperare.

Certe haec altera sententia pro modernis Institutis videtur tenenda: nam in *Normis* (n. 135.) dicitur: « Vi voti tenetur (Soror) obedire tunc tantum cum legitimus Superior praecipit expresse *in virtute S. obedientiae*, vel *sub formali praecepto*, aut verbis aequivalentibus, iuxta proprias Constitutiones ».

Inde tamen non dirimitur quaestio pro Ordinibus aut Institutis iam existentibus, qui ex *Normis* nullam subierunt mutationem; iamvero opinio communis erat omne peccatum contra *obedientiam* esse simul peccatum contra *votum*, grave vel leve, pro gravitate obligationis a Superiore aut Regula impositae. Suarez, *De virtute et statu Religionis* tract. VII. l. X. c. 4. n. 3. 4.; Schmalzgr. in l. III. tit. 35. n. 71.; Ball.-Palm., *Opus theol. mor.* tract. IX. n. 126. sq.; Wernz n. 652. II.; aliter Gautrelet l. c. t. I. p. 308.

actus debet esse honestus, moraliter possibilis, secundum Regulam (1).

Actus mere *interni*, quamvis materia voti esse possent, si regula hoc intenderet et subditus obligationem istam intellexisset, de facto non videntur ita intendi (2).

IV. Si de *effectibus* voti obedientiae quaeratur, praeter obligationem *obediendi*, de qua supra dictum est, inducitur pro Religioso *incapacitas contrahendi* obligationes *firmas*, saltem ex *iustitia*. Immo iuxta aliquos AA. professus votorum solemnium incapax fit obligationis valide contrahendae; at iuxta probabiliorem et communiorem sententiam obligationem *valide* contrahit; at Superior eam irritare saltem indirecte (3) potest, immo et directe in Ordinibus stricte dictis.

C. De obligationibus ex lege ecclesiastica

604. Praeter obligationem generalem Constitutionibus R. Pontificis tum generalibus, tum specialiter Institutum concernentibus obediendi, adhuc urgent generatim Religiosos obligationes: 1) habitum deferendi; — 2) in choro Officium recitandi et Missam conventualem celebrandi; — 3) clausuram observandi.

605. **Gestatio habitus** in Religionibus quibusdam, inde ab antiquissimis temporibus praescripta, *professos* sub poena excommunicationis nemini reservatae urget; *partialis* et *temporanea dimissio* habitus pro variis Regulis varie permittitur.

(1) Lugo, *Responsa moralia* l. III. dub. 19.

« Secundum Regulam » intelligitur quidquid saltem generaliter et etiam implicite in ea continetur, ut medium ad finem moraliter necessarium aut conveniens, aut ad perfectam Regulae observantiam requisitum.

(2) Lugo, l. c. l. VI. dub. 7.; at Lehmk. t. I. n. 693. putat hoc in aliquibus Ordinibus haberi. — At intentiones Missae praescribi possunt.

(3) Id est, quatenus cum obligationibus vitae religiosae minus congruere iudicatur. In Ordinibus stricte dictis, etiam directe eam irritare potest; at haec potestas ipsis iure positivo datur, non simpliciter ad votum sequitur. Cf. Wernz n. 631. Schol., post Suarez l. c. l. X. c. 2., l. II. c. 13. n. 4. sq.

Regulares, qui habitum suae Religionis proprium non habent, veluti Theatini, Barnabitae, si sunt clerici, eadem ratione ac clerici saeculares ad *habitum* et *tonsuram* obligantur.

Eadem regula valet generatim pro sodalibus Congregationum votorum simplicium; qui si *proprium habitum* deferunt, vi Constitutionum, non vi iuris communis, ad eum deferendum tenentur.

606. **De choro et Missa conventuali.** — Communi iure Ordines regulares clericorum obligatione adstringuntur horas canonicas Breviarii Romani (aut proprii) in choro psallendi. Haec obligatio graviter premit *communitatem,* ubi et quamdiu adsunt numero sufficienti Religiosi choro addicti; *singulos* Religiosos, sive sint *simpliciter* sive *solemniter* professi, *per se sub levi* tantum stringit obligatio, *per accidens graviter,* si alicuius absentia chorum impediret (aut forte grave scandalum excitaret). Ad privatam recitationem extra chorum non ligantur nisi solemniter professi (1).

Praeter horas Breviarii Romani (aut proprii), non amplius obligant, ne in choro quidem, Officia accessoria pro certis diebus mensis indicata (nempe Officium defunctorum, psalmi graduales, Officium parvum B. M. V.), at tantum Litaniae Sanctorum in festo S. Marci et in triduo Rogationum (2).

Missa conventualis quotidie legenda est; respondere debet Officio diei; quibusdam privilegiis est praedita.

607. **De clausura.** — I. *Clausura,* si *materialiter* intelligitur, est *locus* seu *spatium* ex quo Religiosi *libere egredi,* in quod *extraneos admittere* nequeunt; si *formaliter,* est summa *legum* et *sanctionum* canonicarun, quibus hae prohibitiones determinantur et roborantur. Regulis Ordinum et

(1) Piat t. I. q. 347.; Verm. t. I. n. 219. Cf. supra n. 591. Moniales, quae vi Regulae, officium B. M. V. recitant, sub levi tantum tenentur, etiam in choro. Quae nunc, in Gallia et Belgio, vota solemnia amplius non habent, non obligantur nisi vi Constitutionum.

(2) Si enim aliquos adhuc urgebat haec obligatio, nunc sublata est. Cf. *Rubricae... ad normam Constit.* « *Divino afflatu* » tit. VIII. n. 2. 3.

consuetudinibus introductae, per decreta Conciliorum et Constitutiones pontificias confirmatae sunt hae prohibitiones, ad custodiam voti castitatis, ad scandala praecavenda, et ut efficacius tranquillitati, paci, profectui Religiosorum in spiritu consuleretur.

II. Clausura *papalis* ea est quae *ex iure communi* Religionibus votorum solemnium constituta est [1]; — *episcopalis*, quam Ordinarius loci Religiosis votorum simplicium per legem dioecesanam, forte censuris munitam definit, atque praescribit. Eam imponere valet etiam Institutis iuris pontificii [2].

Spatium clausurae obnoxium comprehendit omnia loca *intra septa* monasterii contenta, ad quae aditus non est nisi per ianuam qua interiora conventus patent: hinc ad eam *necessario* pertinent cellae, officinae, valetudinarium, culina, etc., horti, viridaria quae a conventu non sunt clavi et muro separata [3].

In domibus Congregationum votorum simplicium mulierum, quibus nec papalis nec episcopalis clausura imposita est, semper aliqua *partialis* clausura constituenda est. « Instituta votorum simplicium clausuram habent, non quidem strictam, sed partialem, in ipsis Constitutionibus determinandam, quae tamen requirit saltem ut in omnibus domibus pars quaedam pro ipsis Sororibus reservata sit in quam nullus alius admittatur ». (*Normae* n. 70). Haec pars generatim cellas sororum, valetudinarium, aulam exercitiorum comprehendet [4].

III. Ad Episcopum pertinet observantiam clausurae urgere; sive iure proprio, ubi de episcopali clausura agitur; si autem clausura papalis existit, ex delegatione R. Ponti-

[1] Hinc, ubi Moniales clausuram strictam habere non possunt, non amplius permittuntur emittere vota solemnia: haec fuit ratio cur in Gallia et Belgio Moniales Ordinum antiquorum vota solemnia non amplius emitterent. At viri vota solemnia ibi retinuerunt. Cf. VERM. t. I. n. 86. 302. not. 1.

[2] S. C. Ep. et. Reg. 1. Aug. 1839. VERM. t. I. n. 302. Cf. WERNZ n. 658. III.

[3] VERM. t. I. n. 303.

[4] BATTANDIER, *Guide canon.* n. 240.

ficis, in monasteriis Monialium, etiam viris Regularibus subditarum. (Cf. supra n. 468.).

Pro Congregationibus iuris pontificii, statuitur in Const. « *Conditae* » Part II. n. IV.: « Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali* utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere ».

Excommunicationem *latae sententiae* R. Pontifici simpliciter reservatae incurrunt: « violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const. « *Decori* » praescriptam »; item: « mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosve eas admittentes » (1).

Regulares qui absque licentia e claustro exeunt, de iure communi nec excommunicationem nec alias paenas ipso facto incurrunt; at prohibitio exeundi absque licentia, gravis est ex genere suo; et inter casus quos Superiores sibi reservare possunt, numeratur « nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta » (2).

De ambitu illarum prohibitionum et censurarum agendum erit in tomo II. Prohibitiones vero, quae ad accessum ad crates Monialium pertinent, videre est apud PIAT t. I. q. 422. sq.; VERM. t. I. n. 312.

(1) Const. « *Apost. Sedis* » ser. II. n. 6. 7.

(2) Clem. VIII. Const. « *Sñus Dominus* » 26. Maii 1593. apud VERM. t. II. n. 222. Cf. infra n. 615.

II. De iuribus et privilegiis Religiosorum (1)
(remissive)

608. I. Quaedam *iura* sunt communia Religiosis cum clericis: sic privilegia *fori* et *canonis;* et in his iuribus participant tum sodales tum novitii etiam Congregationum votorum simplicium, sive virorum, sive mulierum, immo et Tertiarii S. Francisci et S. Dominici, dummodo in communitate vivant et habitum religiosum gestent.

II. Insuper iura aut privilegia quaedam Ordinibus stricte dictis competunt, sive de iure communi, sive ex directa concessione uni (aut aliquibus facta), in qua alii ex sic dicta communicatione privilegiorum modo plus minusve amplo participant (2).

Inter haec privilegia maxime recensenda est *exemptio* a iurisdictione Episcopi, quae de iure communi omnibus Ordinibus virorum regularium competit, necnon et Monialibus, quae viris regularibus subiiciuntur; aliis Monialibus et Congregationibus votorum simplicium etiam Clericorum, non nisi speciali privilegio conceditur. At de hac exemptione infra (n. 629. sq.) tractandum erit.

III. Privilegia quae Regularibus conceduntur circa administrationem sacramenti Poenitentiae, absolutionem casuum reservatorum et censurarum, dispensationem in irregularitatibus et votis, — tum erga sodales exercenda tum erga personae saeculares, aut iam exposita sunt, aut aptius alibi

(1) Cf. PIAT t. I. Part. V. c. 1. de privil. in genere; c. 2. de priv. in specie; VERMEERSCH t. I. n. 346. sq. WERNZ t. III. n. 660. sq.

(2) Ex dictis supra n. 52., Ordines mendicantium hac *communicatione* gaudent; at pro variis Constitutionibus, sodalibus aliquando *immediate* privilegia communicantur, aliquando *mediantibus Superioribus*, qui pro sua prudentia ea subditis communicant. Idem dicendum est de participatione subditorum in privilegiis *directe* concessis. Cf. WERNZ t. III. n. 664.

exponentur, aut auctoribus Theologiae moralis amandantur (1).

Relate ad Ordines suscipiendos varii favores conceduntur Regularibus, quos iam supra recensuimus (2).

IV. Tandem quidam favores spirituales (v. g. Indulgentiae lucrandae, tum die susceptionis habitus aut professionis, tum certis diebus in anno), sodalibus Ordinum et Congregationum concessi sunt (3).

Articulus V

De egressu ex Instituto religioso

I. Praenotanda

609. **Connexio materiae.** — Cum tempus novitiatus ad hoc praecise datum sit ut novitius vocationem suam experiatur et vicissim ut Institutum cognoscat utrum novitius sibi satisfaciat, patet plenam libertatem relinqui tum novitio ut exeat, tum Instituto ut eum dimittat (supposita iusta et rationabili causa).

Item quoties periodus quaedam votorum temporalium ad terminum pervenit, libere potest sodalis recedere, libere Institutum eum a renovatione votorum prohibere (ex iusta semper et rationabili causa, iuxta canonicas sanctiones).

Durantibus autem votis temporalibus, a fortiori post emissa vota perpetua, nec subditus sponte recedere permittitur, nec Institutum pro lubitu eum dimittere valet, praesertim ubi professionem solemnem elicuit, vi cuius vinculum

(1) De irregularitatibus cf. supra n. 164.; de casibus reservatis et censuris agetur in tomo II. Ibidem agendum erit de privilegiis Regularium circa oratoria, asservationem SS. Eucharistiae etc.

(2) Cf. supra n. 137. 156.

(3) Verm. t. I. n. 193. 3°, 214. 9°.; Wernz n. 665.

de se ex utraque parte irrevocabile contractum fuit. Occurrunt tamen casus in quibus separatio, sive totalis sive partialis, inter Institutum et religiosum induci possit aut etiam debeat: haec variis modis efficitur.

610. **Divisio.** — Egressus e Religione potest esse *voluntarius* aut *coactus* (1).

Voluntarius egressus erit *licitus*, si fit per dispensationem a votis, saecularizationem, transitum ad aliud Institutum, promotionem ad Praelaturam saecularem (2); — *illicitus*, si per apostasiam aut fugam inducitur.

Egressus erit coactus, si dimissio aut eiectio locum habuerit (3).

II. De egressu libero et licito

A. De dispensatione a votis

611. Per votorum emissionem Religiosus tum erga Deum, tum erga Institutum cui se tradidit, obligationem contraxit.

Obligatio *erga Deum* contracta relaxari nequit nisi vi *potestatis* illius *vicariae*, quam Christus Dominus Ecclesiae

(1) Cum iam supra n. 595 de nullitate professionis religiosae egerimus, de hac liciti egressus forma iterum agendum non est.

(2) Quam promotiouem ad egressum voluntarium reducimus: licet enim forte subditus invitus et repugnans promoveatur, tamen consensus eius, quamvis ex obedientia datus, libere tamen praebendus erit.

(3) Auctores non sunt concordes in sensu attribuendo verbis « *eiectio* » (sive *expulsio*) et « *dimissio* ». Plures eiectionem intelligunt solemnem expulsionem, forma iudiciali adhibita, professi praesertim votorum solemnium, votis retentis; — dimissionem vero, minus solemnem segregationem, absque forma iudiciali et generatim relaxatis votis. (Vermeersch t. I. n. 331. Wernz t. III. n. 676.). At in recentioribus Decretis, praesertim in Decr. « *Cum singulae* » (infra n. 618) verba expulsionis (eiectionis) et dimissionis non iam diversitatem indicant in procedura sequenda, quae eadem est pro utraque, nec in relaxatione votorum, de qua reticetur; at expulsio ad solemniter professos, dimissio ad professos votorum simplicium refertur.

suae commisit; unde non exercetur nisi per R. Pontificem aut per Superiorem illum, cui *iurisdictio* spiritualis transmittitur (1); cum autem talis potestas in *ius divinum* sese exerceat, iusta et rationabilis causa non *ad liceitatem* tantum sed etiam *ad validitatem* exigitur.

Vinculum autem *cum Instituto* contractum, a solo Superiore competente relaxari potest, nec sine debita causa, ne iniustitia erga *Institutum* committatur: poterit tamen bonum spirituale ipsius Religiosi esse causa sufficiens, quatenus is obligationibus vitae religiosae implendis, licet ordinarie propria culpa, impar factus, maiori periculo animae in Religione exponitur quam si ad saeculum remittatur.

In votis *solemnibus*, etsi dispensatio impossibilis dici nequit (2), rarissime tamen conceditur (et a solo R. Pontifice); potius *modus specialis* praecipitur quo professus, extra Religionem degens, obligationi votorum satisfaciat.

Dispensatio a votis *simplicibus* facilius datur. Superioribus Ordinum regularium, dummodo sint sacerdotes, concedi solet potestas dispensandi a votis subditos, quos dimittendos iudicaverint, sive hi petierint sive inviti dimittantur. Ad hanc autem dimissionem semper iusta et rationabilis causa requiritur. Immo vi Decreti « *Auctis admodum* » 4. Novemb. 1892., Religiosus, etiam votorum temporalium, qui in Ordinibus sacris est constitutus, dimitti nequit antequam *tum Episcopum* benevolum *receptorem* invenerit, *tum* sibi de *patrimonio* providerit. Eadem praescriptio ligat eos qui « sponte dimissionem ab Apost. Sede petierint et obtinuerint vel aliter ex Apost. privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporalibus dispensati fuerint » (3). Unde exspectare debent in monasterio, etiam post obtentam di-

(1) Cf. supra n. 39. not. 3. et n. 300.

(2) Sententia hodie communis et indubitata docet R. Pontificem huiusmodi dispensationem dare posse. Cf. WERNZ n. 584. II. Rarissime conceditur, « ne absoluta traditio ad cultum divinum facta facile infringatur », ut notat LAURENTIUS, *Inst. Iur. eccl.* n. 830.

(3) Decr. « *Auctis* » n. V. Cf. VERM. t. II. n. 129.

missionem, donec hae conditiones verificatae fuerint: secus incurrunt suspensionem ab exercitio Ordinum susceptorum.

Vota contracta in Congregationibus *iuris pontificii* Smo Pontifici reservantur; in Congregationibus *dioecesanis* emissa, ab Episcopo relaxari possunt (1), praeter votum *Castitatis perpetuae*, quod Papae reservatum manet (2).

In regionibus, ubi Moniales Ordinum antiquorum, professionem solemnem amplius non emittunt, vota S. Sedi reservata manent, nisi Episcopis delegata potestas concessa fuerit (3).

B. De saecularizatione

612. *Saecularizatio* est actus quo Religioso permittitur ut extra claustrum et suorum Superiorum obedientiam vivat.

Concedi potest sive *ad tempus* (v. g. ad annum, ad vitam parentum egenorum), sive *in perpetuum;* — tum sine culpa Religiosi, tum ob culpam, immo aliquando locum tenet eiectionis (4).

(1) Ne tamen laedantur iura acquisita, generatim consensus Instituti requiritur.

(2) Quid de voto castitatis perpetuae, quod contractum fuit a Religioso sub conditione *implicita:* « *si in vita religiosa maneam* », vel « *nisi legitime dimittar, aut ab aliis votis dispenser* »? Tenet VERMEERSCH t. I. n. 221. 328. hanc conditionem implicitam saepe nunc verificari, et si de ea *in foro externo* constet, Episcopum dispensare posse, cum R. Pontifici non reservetur votum *conditionatum*. Innititur responso S. Officii 2. Aug. 1876. (*Collectan. S. C. de Pr. F.* t. II. n. 1461. Cf. Conc. plenar. Amer. Lat. n. 330.). — BATTANDIER. *Guide canon.* n. 167. not. 2. concedit quidem constare aliquando de hac conditione *in foro interno* et confessarium dispensare posse, si saltem in votis non reservatis dispensandi facultate gaudeat; putat autem *in foro externo* intentionem difficillime probari et consequenter Episcopum dispensare non posse, nisi Indultum a S. Sede habeat.

(3) Haec potestas circa vota paupert. et obed. Episcopis Galliae data est, non autem Episcopis Belgii. Cf. VERM. t. I. n. 327. et t. II. Suppl. XI. Cf. BATTAND. n. 168. et BULOT t. II. n. 193. de exceptione qua aliqui conventus Carmelitarum et Moniales a S. Ursula (canonice unitae) in Gallia, ab hac concessione Episcopis facta eximuntur.

(4) Indultum tunc sic libellatur: « *quoad vixerit, per modum expulsionis* ». Cf. VERM. t. I. n. 329.

Saecularizatio per S. Sedem solam (nunc per S. C. de Religiosis), et generatim (saltem saecularizatio perpetua) solis professis votorum solemnium conceditur, qui a votis raro admodum dispensantur (1).

Saecularizatus manet Religiosus nec votis solvitur, sed ea observare debet quantum fieri potest; etiam saecularizatus ad tempus (2), vi voti obedientiae, Episcopo dioecesano subditur.

Durante Indulto, Religionem repetere *non tenetur*, quamvis *possit* et haec ipsum recipere debeat; — habitum Ordinis servare aut relinquere debet, pro varia disciplina; — calendarium Ordinis *probabilius* sequitur (3); — apud quemlibet sacerdotem approbatum confitetur (4); — bona quae acquirit, Ordini acquiruntur.

Saecularizatus in perpetuum habitum Ordinis deponere debet, et calendario dioecesano sese conformare. Ordo eum recipere *non tenetur* (immo *nec potest*, si saecularizatio pro expulsione fuerit); — nec ei de alimentis providere. — Bona quae exiens accepit, ad monasterium post mortem eius revertuntur; quae post egressum acquisivit, ad Cameram Apost. aut ad heredes devolvuntur, prout professionem solemnem aut tantum simplicem emiserat (5).

(1) Aliquando conceditur professis votorum simplicium, qui iam sacerdotes sunt. Ceterum nunc his, qui in Ordinibus sacris sunt constituti, concedi non solet, antequam Episcopum benevolum receptorem invenerint et de *patrimonio* ecclesiastico sibi providerint. (Cf. n. 611. de praescriptis ex Decr. « *Auctis* »). Saecularizatio ad tempus concessa ut quis facilius de his conditionibus sibi providere possit, raro nunc datur et potius intra claustra exspectabit, donec sibi providerit. PRÜMMER q. 116. b.; VERM. t. I. n. 338. et *Period.* t. I. p. 8.

(2) Resp. S. C. de Relig. 1. Sept. 1912. in *Act. Ap. S.* t. IV. p. 627.

(3) PRÜMMER q. 136.; VERM. n. 330. 7.°

(4) Pius IX. 27. Aug. 1852. apud VERM. t. II. n. 123.

(5) Solet Indultum saecularizationis normam saecularizato constituere circa beneficia et bona. Cf. VERM. t. I. n. 330. 5°.

Decr. S. C. de Relig. 15. Iun. 1909. (*Act. Ap. S.* t. I. p. 523.) quasdam *clausulas* constituit quae in posterum omnibus Indultis (tum saecularizationis sive perp. sive ad temp., tum relaxationis vot. perpet.), sacer-

Saecularizatus, qui ad Religionem redit, nec novitiatum nec professionem iterare debet, nisi consuetudo contraria in Ordine existat (1).

C. De transitu ad aliam Religionem (2)

613. Religiosus, zelo maioris perfectionis motus, austeriorem Regulam amplecti velle potest; aliquando etiam, deficientibus viribus, minus austeram legitime appetere valet. Ne tamen potius spiritus inconstantia vel motivo minus recto duci se sinat, libertatem transitus ab una Religione ad aliam restrictiones quaedam sapienter coarctant; immo plurimae Religiones privilegium obtinuerunt ne earum sodales ad alium Ordinem transire possent, nisi proprii Praelati venia prius obtenta (3).

Unde ex disciplina nunc vigenti, ut quis ab uno Ordine etiam ad arctiorem transeat, *licentia* proprii *Superioris* praerequiritur, qui, antequam eam concedat, certior fieri debuit alteram Religionem paratam esse subditum recipere (4).

---

dotibus aut clericis SS. Ordinum concessis, annexae intelligentur. His clausulis aditus ad plura officia aut munera ipsis intercluditur, necnon residentia habitualis in loco, ubi habetur domus Ordinis ad quem pertinebant.

(1) S. C. Ep. et Reg, 30. Ian. et 15. Feb. 1824. ad 3.m VERM. t. II. n. 119.

Saecularizatus *ad tempus*, qui revertitur, servat inter professos ordinem suae anterioritatis; si *in perpet.* fuerat saecularizatus, locum sumit a die reditus.

(2) Hic non consideratur casus illius qui ab uno Ordine aut Congr. dimissus aliam ingredi velit. Olim talis ingressus de iure communi permittebatur, nunc existit prohibitio, de qua supra n. 579. not. 5. (p. 483.) diximus.

(3) Haec tamen denegari nequit, ubi iusta causa adest, et si iniuste denegatur, Religiosus recedere non prohibetur. Cf. cap. Licet 18. X. de regular. et transeunt. ad relig. III. 31.

(4) Urb. VIII. Decr. « *S. Congregatio* » 21. Sept. 1624. § 3. Immo plures AA. (v. g. WERNZ t. III. n. 679.) tenent licentiam S. Sedis nunc, ex *stylo Curiae*, in omni casu esse habendam. Haec iam, vi sess. 25. c. 19. de Regul. Concilii Trid., exigebatur ut quis ad laxiorem transiret.

Religiosus ad novum Ordinem recta se transferre debet; novitiatus et professio ipsi iteranda est; et si ante professionem e novo Ordine exit, ad priorem redire debet, nisi Indultum definitivi egressus obtinuerit.

A Congregatione votorum simplicium ad Ordinem stricte dictum transitus licitus videtur; ab una Congregatione ad aliam vix fieri potest sine prioris consensu, ne iura acquisita laedantur (1).

Transeuntibus quaedam iura in novo Ordine (saltem *Mendicantium*) denegantur. Non una est sententia circa proprietatem bonorum quae vel ante vel post transitum acquisierint, potius ergo ex aequo et bono aut per recursum ad S. C. de Religiosis iura erunt determinanda (2).

D. **De promotione ad dignitatem ecclesiasticam**

614. Intelligitur hic dignitas *episcopalis* vel *cardinalitia*. Promotio haec iuri communi non adversatur; at Religiosus electionem, postulationem solemnem, praesentationem acceptare nequit, sine licentia sui Superioris (3); immo sine iussione Sñi Pontificis, si has dignitates respuendi votum emiserit (4).

Regularis promotus ab Ordine non separatur, at ab obedientia erga Superiores Ordinis absolvitur; — ad regulas et observantias suae Religionis tenetur, in quantum officio dignitative suae non repugnant, de quo ipse iudicabit (5); — secum ferre potest scripta, vestimenta, Breviarium (6), eaque sola.

(1) Immo nunc *Normae* (n. 61.) licentiam S. Sedis pro tali transitu requirunt.

(2) PIAT t. I. q. 202.; PRÜMMER q. 119.

(3) Cf. supra n. 239.

(4) Hoc votum emittunt professi votor. solemn. in Soc. Iesu.

(5) Cf. Bened. XIII. Const. « *Custodes* » 7. Mart. 1725. § 4. 5.; Pius IX. 6. Mai. 1864. Cf. VERM. t. I. n. 498.

(6) Bened. XIII. Const. « *Postulat* ». Cf. PIAT t. I. q. 211.

Si dignitati renuntiet, redire debet ad Ordinem, in quo tamen dignitates obtinere nequit, nisi simul loco et dignitati renuntiaverit. Haec a iure pro *Ordinibus* statuta, *Congregationibus* videntur applicanda (1).

III. De illicito egressu per apostasiam aut fugam

615. Per professionem religiosam praesertim solemnem, Religiosus cum Ordine vinculum contraxit, quod sine gravi noxa propria temeritate rumpere nequit: hinc apostasia a Religione et fuga gravia sunt peccata.

Apostasia a Religione est « discessus veri Regularis (2) a Religione, sine licentia Superiorum factus, cum animo *in perpetuum deserendi* statum religiosum et non amplius redeundi ad vitam regularem ». (WERNZ t. III. n. 674.).

Apostata, saltem si habitum Ordinis deposuerit, ipso facto excommunicationem nemini reservatam incurrit; — privilegia amittit (post sententiam declaratoriam apostasiae); — at nequaquam ab obligationibus sui status solvitur, praesertim vero obligatione redeundi adstrictus manet.

Fuga est « discessus veri Regularis a propria Religione sine licentia Superiorum *ad tempus* factus cum animo *vagandi* **aut** *extra obedientiam* vivendi sed ad Religionem *redeundi* (WERNZ n. 675.).

Si fugitivus habitum dimiserit, in excommunicationem, sicut apostata, incidit; secus nullam poenam *a iure communi* statutam, at iure particulari sui Ordinis saepe excommunicationem aliasque poenas incurrit.

A fuga differt *furtiva et nocturna egressio*, quae poenas apostasiae aut fugae non inducit, at potest esse peccatum in Ordine reservatum (3).

(1) VERM. t. I. n. 498.

(2) Hinc apostata non est nec poenas apostatae incurrit, nisi qui vota solemnia emisit; (in Soc. Iesu sufficit ut quis vota simplicia nuncupaverit; isque etiam tamquam apostata haberetur, qui crimina sibi imputaret aut committeret, ut eiiceretur). BALL.-PALMI. t. IV. n. 245. 4.

(3) Const. « *Sñus Dominus* » Clem. VIII. 26. Mai 1593. 1. n. 2.

616. **Scholion. De Religiosis dispersis.** — Cum non raro diebus nostris, ob infausta temporum adiuncta, Religiosi vitam in claustris degere prohibeantur, variis provisionibus (1) a S. Sede periculis huius dispersionis obveniendum fuit, quae tamen pro specialibus casibus datae ius commune non constituunt. Solent esse sequentes:

Si tres Religiosi simul degunt, ab Ordinario exempti manent; si minores numero sunt, habentur tamquam saecularizati, nisi quotidie aut fere pro exercitiis communibus ad Conventum redeant, ubi forte unus remanere permissus est (2). At etiam dispersi, qui tamquam saecularizati habentur, pergunt pendere a suis Superioribus quoad disciplinam religiosam et obligationes suae professionis: unde Episcopus ipsis committere nequit munus, quo a dependentia erga Superiores impedirentur.

Si quatuor sacerdotes simul degunt, *Oratorium privatum* in domo suae habitationis erigere ibique celebrare et SS. Eucharistiam asservare possunt; at ipsi soli eorumque familiares praecepto Missae audiendae ibi satisfaciunt (nisi amplius habeant privilegium).

Religiosi dispersi *confessarium* ex licentia Generalis vel Provincialis sibi eligere possunt inter Regulares aut saeculares approbatos; hi etiam a casibus et censuris in Ordine reservatis eos absolvunt; si quasi-saecularizati habentur, apud quemlibet sacerdotem ab Ordinario approbatum confiteri possunt.

IV. De egressu coacto ex Instituto

617. Duobus praesertim modis potest Religiosus invitus ab Ordine segregari, nempe *relaxatis* votis eisve *retentis;* qui duplex modus ab aliis dicitur *dimissio* et *eiectio* (seu

(1) Inst. S. Poenit. 28. Iun. 1866. cum Declarat. 18. Apr. 1867. et 12. Sept. 1872.; pro Gallia, S. C. Ep. et Reg. Dec. 30. Iul. 1881., Instr. 10. Iul. 1901., Instr. 24. Mart. 1903. Apud VERM. t. II. n. 147. sq.

(2) Idem probabiliter dicendum, si conveniant ad domum in qua tres simul degunt.

expulsio), dum alii haec verba adhibent ad discernendam segregationem professi votorum *simplicium* (dimissio) aut *solemnium* (eiectio) (1). Prout autem manent *vota* aut relaxantur, *ligamen* quo sodalis erga Ordinem aut Institutum tenebatur, vel aliquo modo manet vel in perpetuum abrumpitur.

Variis modis inducitur haec separatio, prout agitur: 1) de *Ordinibus* stricte aut late dictis; — 2) de professis votorum solemnium aut simplicium; — 3) de his qui Ordines sacros susceperunt aut de his qui eos non habent. Ad maiorem etiam claritatem prius exponetur disciplina quae viros tenet, dein quae mulieres.

618. I. **In Ordinibus stricte dictis virorum,** hi qui professionem simplicem at perpetuam emiserunt, sed Ordinibus sacris initiati non fuerunt (2), dimitti possunt per Superiorem Generalem cum suo Consilio absque forma iudiciali, non autem nisi ex iustis et rationabilibus causis, nequaquam ob solam infirmitatem post vota contractam. Generalis dimissos a votis dispensare potest (3); quod si non fecerit, subdito pro relaxatione ad S. C. de Religiosis recurrendum erit.

Qui professionem solemnem emiserunt, aut qui simplicem tantum, at Ordinibus sacris sunt initiati (4), eiici nequeunt, nisi adhibita forma iudiciali, nunc per Decret. « *Cum singulae* » (5) praescripta, et verificatis conditionibus a Decreto « *Auctis* » requisitis, si eiiciendus Ordines sacros habet.

(1) Cf. supra n. 610. in nota.

(2) Decret. « *Sanctissimus* » 12. Iun. 1858. n. V.

(3) Decr. « *Sñus* » n. III. In Soc. Iesu vota *cessant* consequenter ad ipsam dimissionem.

(4) Qui casus vix verificabitur praeterquam in Soc. Iesu, in qua professio solemnis non nisi post plures annos emittitur, immo aliquibus, licet sacerdotibus, non conceditur. In aliis Ordinibus ante professionem solemnem Ordines sacri non sunt suscipiendi. (Decr. « *Sanctissimus* » 12. Iun. 1858. cum Declar. 20 Ian. ad 1m). Si quis autem iam in SS. Ordinibus constitutus, Religionem ingressus fuerit, praescriptione Decreti « *Auctis* » attingi non videtur. Cf. VERM. t. I. n. 36.

(5) Decretum « *Cum singulae* » paucis hisce verbis compendiari potest: Quoties forma iudicialis adhibenda est ad expellendum aut dimittendum Religiosum:

In Congregationibus votorum simplicium virorum:

a) Qui *vota temporalia* nuncupavit nec in *Ordinibus sacris* est constitutus, certe post votorum exspirationem ob iustam causam dimitti potest; at etiam ante hoc tempus ob causam gravem, a maiore parte Consilii generalitii approbatam, dimitti poterit, pro forma vel in Instituto suo vel in *Normis* constituta (1).

Congregationes, in quibus vota temporalia non emittuntur, aliquando per Indultum facultatem dimittendi sortitae sunt.

Dispensatio a votis petenda erit a S. Sede, nisi Con-

---

1) *Tribunal* constituendum erit ex Superiore (aut Abbate) Generali et quatuor saltem Consiliariis generalibus (si tot non sint, complebitur numerus per Superiorem, de consensu aliorum Consiliariorum).

2) *Trina monitio* Religioso facienda erit; ultimae opportune addetur comminatio expulsionis vel dimissionis; trina etiam correctio ipsi infligenda erit (n. 4.-6.).

3) Si emendatio secuta non fuerit, procedendum erit ad *probationes* afferendas: de culpabilitate Religiosi; — de gravitate et numero delictorum; — de facta trina monitione; — de pertinacia post monitiones. Delictum debet esse *triplex*, aut unicum *permanens*, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat (n. 7.-12.).

4) *Documenta* a Provinciali collecta *Generali transmittuntur*. Tempus datur reo, post communicatam accusationem, ut *se defendat* si voluerit, per se aut per alium sodalem eiusdem Instituti a se electum: secus, aliquis defensor ex officio constituendus erit (n. 13. 14.).

5) Tribunal sententiam *expulsionis* aut *dimissionis* pronuntiabit, si gravitas delicti hanc requirit; ab ea Religiosus intra decem dies ad S. C. de Religiosis *appellare* poterit, cum effectu *suspensivo* (nisi eius praesentia periculum gravissimi scandali vel damni Communitati inducat: tunc statim expelli potest) (a. 15. 16.). (Habetur hic exceptio notabilis regulae, supra n. 350) traditae, quod a sententia iudiciali ad S. Rotam non ad SS. Congregationes appellandum sit. Cf. Verm. *Period.* t. VI. p. 51.).

6) Si Religiosus *in SS. Ordinibus* sit constitutus, statim communicanda erit sententia Episcopo loci, ubi est, vel ubi residere vult. Manet *perpetuo suspensus*, donec S. Sedes, post resipiscentiam, cum eo dispensaverit. Si SS. Ordinibus initiatus non est, prohibetur eos accipere absque venia S. Sedis. (n. 19. 20.).

(1) Cf. supra n. 611.; *Normae* n. 193.; Wernz t. III. n. 676. IV.

gregatio idem privilegium ac Ordines religiosi per Indultum obtinuerit.

b) pro dimittendo eo qui vota *perpetua* emisit, aut etiam *temporalia* tantum at *Ordinibus sacris* est initiatus, eadem forma adhibenda erit eaedemque conditiones servandae ac pro eiiciendo Religioso votorum solemnium.

619. II. *a*) **Moniales,** sive vota solemnia sive simplicia nuncuparint, et *Sorores* Institutorum votorum simplicium, quae vota perpetua emiserunt, praescriptis Decreti « *Cum singulae* » tenentur; scilicet ut eiiciantur aut dimittantur: « exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio Abbatissae vel Superiorissae cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant monasterio vel Instituto » (1).

Sorores, choro non destinatae, quae professionem tantum simplicem in Ordine stricto emiserunt, ob causas minus graves dimitti possunt.

Quo tamen prudentius procedatur, exigit Decretum: 1) ut causae iustae et graves per Ordinarium loci probentur et, si Monasterium Regularibus subiectum sit, etiam a Superiore regulari; 2) ut S. C. de Religiosis sententiam expulsionis vel dimissionis confirmet.

b) *Sorores* Congregationum votorum simplicium, quae vota *temporalia* tantum emiserunt, ob rationes graves a Superiorissa Generali cum maiore parte sui Consilii comprobatas dimitti poterunt (2).

Pro dispensatione votorum semper recurrendum erit ad S. C. de Religiosis.

620. **Scholion.** — I. Cum occurrere possint casus, in quibus, propter grave delictum Religiosi, grave detrimentum Communitati aut scandalum publicum sit timendum, nisi is statim dimittatur, poterit illico a Provinciali (vel

(1) Decr. « *Cum sing.* » n. 21. Cf. VERMEERSCH, *Periodica* t. VI. p. 50.
(2) *Normae* n. 193. De his tacet Decr. « *Cum singulae* ».

Abbate), habitu religioso deposito, expelli, at interim processus instituendus erit ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam (1).

Si de Moniali vel Sorore agitur, Episcopo loci expulsio approbanda erit et S. Sedis confirmatio absque mora erit expetenda (2).

II. Insuper pro viris « contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt: *a*) publica apostasia a Fide Catholica; — *b*) apostasia ab Ordine vel Instituto (3), nisi intra tres menses Religiosus redierit; — *c*) fuga a monasterio, suscepta secum muliere; — *d*) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectus ». (Decret. « *Cum singulae* » n. 18.).

Articulus IV

De regimine interno et externo Institutorum religiosorum

621. **Praenotandum.** — Secundum ordinem a *Normis* indicatum, Constitutiones alicuius Instituti ea debent continere quae pertinent: 1) ad Instituti naturam, membra et modum vivendi; 2) ad Instituti gubernationem, administrationem et officia (4). Divisionem similem adoptantes, post generales notiones de statu religioso, ea exposuimus quae pertinent: 1) ad Instituti ipsius et domus religiosae erectionem, immutationem, suppressionem; — 2) ad ingressum et ad profes-

(1) Decret. cit. n. 17.

(2) Decret. cit. n. 21.

(3) Ex dictis supra n. 615. *apostasia* stricto sensu non dicitur nisi de discessu ab *Ordine* proprie dicto; hic ergo apostasia *lato* sensu dicitur de discessu ab *Instituto* vot. simpl.

(4) *Normae* n. 35.

sionem; — 3) ad obligationes et iura status religiosi; — 4) ad egressum. Restat ut pro divisione superius indicata, de gubernatione ipsius Instituti agamus.

Gubernatio seu *regimen* Instituti intelligitur: « potestatis per varios gradus distributae exercitium, in utilitatem ipsius Instituti religiosi eiusque sodalium, et in promotionem finis specialis in quem Institutum tendit » (1).

Regimen exercetur *interne* per Superiores religiosos; — *externe*, per Praelatos ecclesiasticos, qui extra Religionem existunt (R. Pontifex, Episcopi); de utroque regimine successive agetur.

I. De regimine interno Instituti

622. **De variis modis quo exercetur.** — Potestas regiminis intra Institutum exercetur: vel *singulariter* per *Superiores* (2); vel *collegialiter* per *Capitula*, i. e. per adunationem legitime factam Religiosorum ad consulendum vel decidendum de negotiis Instituti. Capitulo reservatur: 1) deputatio Superiorum (aut saltem Superioris generalis); — 2) decisio de maioribus totius Ordinis negotiis; — 3) generatim potestas legislativa, ubi haec habetur (3). Superioribus concreditur communis et ordinaria *administratio* seu *gubernatio*, audito pro aliquibus negotiis Capitulo, cum voce decisiva aut consultativa.

623. **De Capitulis in Ordinibus.** — A. In Ordinibus stricte dictis **virorum** solent haberi Capitula *generalia*, *provincialia* et *localia*.

Ab ipsis Constitutionibus determinatur quando et a quo convocandum sit *Capitulum generale*, quinam ei interesse

(1) LAURENTIUS, *Inst. iur. eccl.* n. 840. Qui auctor breviter et accurate hanc quaestionem tractat in l. VI. cap. 3.

(2) Haec potestas singularis est *absoluta* aut *mixta*, prout independenter vel dependenter a potestate Capituli aut Consiliariorum exercetur.

(3) Potestas legifera de iure communi Ordinibus proprie dictis competit, aliis non nisi ex Indulto. Cf. supra de legibus n. 12.

debeant, etc. Potestas eius est *suprema* in Ordine, etiam in Superiorem generalem, quem eligit, punit, deponit; — leges condit, quae totum Ordinem, et etiam Praepositum generalem ligant; — anteriores leges abrogat (1); — casus reservatos pro toto Ordine constituit; negotia maiora absolvit.

Capitulum provinciale, in aliquibus Ordinibus, statuta vel leges pro tota provincia condit, casus reservat, eligit vel deponit Superiores provincialem et locales; in aliis Ordinibus, v. g. in Soc. Iesu, tantum designat *deputatos* ad Capitulum generale, *proponit* ac *consulit* de rebus ad bonum provinciae pertinentibus (2).

Capitulum locale Superiorem adiuvat in negotiis maioris momenti, v. g. pro correptione defectuum, admissione novitiorum, etc.

B. **Moniales** stricte dictae, ob clausuram qua adstringuntur, tantum *localia* Capitula habent: haec Capitula eligunt Superiorissam et officiales, suffragium habent in negotiis maioris momenti, v. g. in admittendis ad habitum vel professionem.

624. **De Capitulis in Institutis votorum simplicium.** — Instituta votorum simplicium Capitula *localia* non habent; Capitula *provincialia* fere unice negotium tractant deputatos mittendi ad Capitulum *generale.*

Capitulum generale convocatur *ordinarie* aut *extraordinarie; ordinarie,* ad electionem Superioris generalis; — *extraordinarie,* si is mortuus fuit, aut resignaverit, aut depositus fuerit (3).

Capitulum ordinarium praeter electionem Superioris generalis (4) et Consiliariorum (sive Assistentium), necnon Se-

(1) Semper tamen conformiter ad ius commune et Constitutiones Ordinis, nisi has etiam mutare Capitulo concessum fuerit.

(2) Piat t. I. q. 822.

(3) Extra hos casus non convocatur sine speciali licentia S. Congr. de Relig

(4) *Normae* (n. 231.) requirunt in eligendo in Superiorem generalem 40. annos aetatis (completos) et 5. post professionem votorum perpetuorum. Eligitur ad maioritatem suffragantium absolutam. Si tria scrutinia sine

cretarii et Oeconomi generalis, tractat negotia graviora Instituti.

Haec valent pro Institutis tum *virorum* tum *mulierum*. Insuper Episcopus per se vel per delegatum, electionibus in Capitulo generali Institutorum mulierum praeest; potestate propria aut delegata, prout Institutum est dioecesanum aut iuris pontificii.

625. **De Superioribus singularibus.** — Superiores qui potestatem in utroque foro habent, dicuntur *Praelati;* alii, simpliciter *Superiores*. Generatim invenitur triplex ordo Superiorum, qui sunt: *supremi, medii, infimi;* supremus nullum alium Praelatum (aut Superiorem) super se habet et *Generalis* dicitur (subditur tamen Capitulo generali); *infimus* nullum sub se habet (1), *medius,* inter utrumque constituitur.

Cum supra explicatum sit quaenam potestas variis Superioribus competat, tum ratione *iurisdictionis,* tum ex potestate *dominativa* (domestica, oeconomica), tum *vi voti;* hic potius breviter tradenda sunt, quae ad exercitium potestatis Superiorum pertinent. Ad maiorem claritatem apte distinguenda videntur, quae ad Superiores Ordinum aut Institutorum *virorum* pertinent ab his quae Superiorissis *mulierum* competunt.

626. **De Superioribus in Institutis virorum.** — I. **Superior generalis** in Ordinibus stricte dictis virorum iurisdictionem ecclesiasticam obtinet; potestas quae ipsi obvenit, tum ex *iure communi,* tum ex *privilegiis* sive *directe* Ordini

---

effectu locum habuerint: in Europa devolvetur electio ad S. Congr.; extra Europam in 4ª suffragatione duobus tantum qui maiorem numerum votorum obtinuerint suffragia sunt danda; qui plura vota obtinet, est electus; si aequalem numerum habent, antiquior in professione.

Si Superior electus fuit pro 6. annis, iterum eligi potest eodem modo; pro 2ª reelectione (pro 1ª, si Superior ad 12. annos eligatur), requiruntur duae tertiae partes suffragiorum et confirmatio S. Sedis; nec ante confirmationem sese gerere potest tamquam Superiorem generalem.

(1) Superiorem adiuvant *officiales* qui vel meri consiliarii sunt, vel participant eius potestatem dominativam (seu domesticam), vel in sola administratione ipsi adsunt. Cf. VERM. t. I. n. 411. sq.

suo concessis sive ex *communicatione* participatis, his fere continetur (1);

1) ordinationes pro tempore generalatus duraturas (2) et praecepta condit; interpretationes authenticas suarum et suorum inferiorum ordinationum dat;

2) dispensat in Regulis et Constitutionibus, in multis irregularitatibus, in legibus ecclesiasticis, eodem modo quo Episcopus erga dioecesanos (3);

3) confessarios pro suis subditis deputat, casus reservat (4);

4) potestatem iudiciariam et coercitivam erga subditos exercet tum in rebus disciplinaribus, tum in criminalibus (5).

II. **Superiores provinciales** et **locales** participant de potestate iurisdictionis, pro amplitudine et modo a Constitutionibus determinato; eam aliquando *immediate* accipiunt, statim ac munus suum obtinent; aliquando mediante Superiore generali, qui eam pro suo prudenti arbitrio maiori minorive extensione eis communicat. Insuper varii illi Superiores tum potestatem *dominativam* tum potestatem *vi voti* obtinent, pro recta gubernatione suorum subditorum, custodia disciplinae, regularum observantia, etc. (6).

(1) Nisi a Constitut. propriis restringatur. Cf. PIAT t. I. q. 745.

(2) Aliquando ex iure particulari etiam ordinationes perpetuas condere valet; item interpretationes authenticas Constitutionum aliquando dare potest. Cf. WERNZ t. III. n. 690.

(3) At nunc a censuris R. Pontifici reservatis absolvere nequit sine Indulto.

(4) Ex Decr. S. C. de Relig. 5. Aug. 1913. (*Act. Ap. S.* t. V. p. 431.) Religiosi absolvi possunt, etiam a reservatis in suo Ordine, a quolibet confessario ab Episcopo approbato.

(5) Si res simul Religiosos alius Ordinis aut personas ipsi non subditas tangit, deferenda erit ad Episcopum, si is iurisdictionem habeat (ordinariam aut delegatam), secus ad S. C. de Relig.

Pro expulsione aut dimissione sodalis, observandum erit Decretum « *Cum singulae* » (cf. supra n. 618. 620.), nisi Ordo speciali iure regatur.

(6) Quando Superior praecipit, non semper patet qua *potestate* utatur; ceterum non multum refert, dummodo suas facultates non excedat. Cf. SUAREZ *De Relig.* Tract. VII. l. X. c. 6. LUGO, *De Poenit.* Disp. XVI. n. 174.

III. **Congregationes virorum** quae exemptae sunt (cf. infra n. 632), eodem fere iure reguntur ac Ordines; si exemptae non sunt, ab Episcopis in causis *iurisdictionis* ecclesiasticae pendent, at ab eo independentes sunt in rebus *conscientiae* et *disciplinae,* si a sacerdotibus regantur.

627. **De Superiorissis in Institutis mulierum.** — Mulieres carent iurisdictione ecclesiastica. Unde in rebus quae talem supponunt (1): *Moniales* vel Superiori regulari vel Episcopo dioecesano sunt subditae; *Sorores* ab Episcopo pendent.

At Superiorissae exercebunt potestatem *dominativam* et potestatem *vi voti,* in his quae ad rectam subditarum regimen et familiae suae administrationem pertinent (2).

628. **Scholion. Administratio bonorum** ad Superiores spectat, qui regulas sive generales a S. Sede determinatas, v. g. circa alienationem bonorum (3), circa debita forte contrahenda (4), sive peculiares sui Instituti observare debebunt. Rationem administrationis reddent respective Superioribus supremis et S. Sedi, aut Episcopis (5).

Visitatio domorum in Ordinibus perficienda est a Superioribus, quibus hoc munus demandatum est a Conc. Trid.

(1) Decretum « *Quemadmodum* » 17. Dec. 1890. prohibuit ne Superiores Institutorum tum virorum mere laicorum tum mulierum exigerent a suis subditis *manifestationem conscientiae;* immo subditis praescripsit obligationem denuntiandi: Superioribus maioribus Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; Superiorem generalem S. C.ni Ep. et Reg. (nunc S. C. de Relig.).

(2) Cf. Bargilliat t. II. n. 1187. Possunt tamen subditi *libere* animum aperire suis Superioribus ad habendum consilium et directionem pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu. De his conferri possunt: Piat t. I. q. 613. sq.; Verm. t. I. n. 492.; auctores Theol. mor. v. g. Lehmk. *Comment. in Decr.* « *Quemadmodum* »; Génicot t. II. n. 89.; Bulot t. II. n. 182. sq.

(3) De alienatione cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 18. sq.

(4) De debitis cf. Instr. S. C. de Relig. « *Inter ea* » 31. Iul. 1909. (*Act. Ap. Sed.* t. I. p. 695. sq.).

(5) De administratione bonorum cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 16.; *Normae* n. 296. Const. « *Conditae* » cap. II. n. IX. etc.

(sess. 25. c. 20. de Reg.). In Congregationibus iuris pontificii statuitur visitatio quolibet triennio a Superiore generali per se aut suos delegatos perficienda (1).

II. De Religiosorum regimine externo et de exemptione (2)

A. Notiones

629. **Definitiones.** — *Externum regimen* Religiosorum intelligitur potestas, quae in eos exercetur per Superiores ecclesiasticos, qui extra ipsum Ordinem constituuntur; apte definiri potest: Religiosorum relationes erga potestates ecclesiasticas saeculares, uti erga Episcopum, parochum, etc. (3).

Exemptio vero est liberatio aliqualis vel totalis a potestate Episcopi vi cuius directa subiectio erga Romanum Pontificem constituitur (4).

Exemptio est *localis, personalis* aut *mixta: localis,* si *directe* et *praecipue locus solus* Episcopi iurisdictioni subtrahatur, *personae* vero *indirecte* tantum, quatenus in loco sunt, ita ut simul cum adventu vel discessu incipiat et desinat ipsarum exemptio; *personalis*, si *ipsaemet et solae* eximantur *personae,* ubicumque versentur; *mixta,* si *personas* simul et *loca* respicit. Talis est Ordinum regularium exemptio.

Exemptio est *activa* vel *passiva: activa* quidem, quando Praelato exempto iurisdictio tribuitur in aliquod territo-

(1) *Normae* n. 255. sq., Bargilliat t. II. n. 1196.

(2) De exemptione consuli possunt: Piat, *Prael. iur. reg.* t. II. q. 1. sq.; Vermeersch, *De relig. Inst. et pers.* t. I. n. 362. sq.; t. II. Suppl. VII.; Prümmer t. II. q. 176. sq.; Wernz t. III. n. 700. sq.

(3) Prümmer, *Manu. iuris eccles.* t. II. p. 194. ante q. 176.

(4) Prümmer ib. q. 176. Verm. l. c. t. II. Suppl. VII. in claram lucem ponit et communi sententia AA. comprobatum ostendit illud principium: Cum *Ordines* stricte dicti sint **exempti,** exemptio ista de se **universalis** est: unde **probanda** est **exceptio** contra illam allegata. — Alterum principium etiam poni potest: *Congregationes* non sunt exemptae: unde si exemptionem quoad aliquod punctum praetendunt, onus **probandi** hanc **exceptionem** ipsis incumbit.

rium eiusque clerum et populum, sive territorium maneat in aliqua dioecesi sive extra dioecesim, in quo ultimo casu dicitur territorium *Nullius* (dioecesis). *Passiva* exemptio solas personas exemptas et ipsum monasterium respicit, nullam tribuens Praelato iurisdictionem in clerum et populum vicinum. Talis solet esse Regularium exemptio (1).

N. B. — Exemptionis nomen dari non solet illi partiali independentiae regiminis interni quam obtinent Congregationes iuris pontificii (Const. « *Conditae* » cap. II. n. I.).

630. **Notae historicae** (2). — Primis temporibus Episcopis plane subiiciebantur monasteria, quae ceterum inter se independentia erant et fere tantum laicis constabant. Aucto postea numero Religiosorum sacerdotum, ex ipsius Episcopi concessione et auctoritate, Superior quidam sacerdotio insignitus Fratres gubernabat. Cum autem non raro Episcopi in illud regimen internum ultra debitos limites sese ingererent, ad Romani Pontificis protectionem Monachi recurrerunt; quae *specialis protectio* nondum *vera exemptio erat,* ipsi tamen viam parabat.

Quandonam autem ad veram exemptionem perventum fuerit non satis constat. Iuxta Van Espen saec. XI., iuxta alios multo ante, imo forte saec., VI.. quo inveniuntur in Africa documenta exemptionis ab Episcopi dioecesani iurisdictione cum subiectione Primati Carthaginiensi; post S. Gregorium M. non desunt Indulta quibus quaedam conceditur exemptio cum directa a S. Sede dependentia; hoc exemptionis privilegium paullatim ad Ordines religiosos extentum, saeculo XII. ad communem FF. Mendicantium conditionem pertinuit.

At contra illud privilegium, praesertim post magnum Occidentale Schisma, vehementer reclamatum est: abusus enim non pauci in illius applicatione irrepserant. Unde necessarium fuit moderationem quamdam adhibere, id quod post varios Romanos Pontifices Concilium Tridentinum prae-

(1) Verm. t. I. n. 362.
(2) Wernz t. III. n. 701.; t. II. n. 817. Verm. t. I. n. 363.

stitit, restituta Episcopis *ordinaria* vel *delegata in Regulares* auctoritate quoad bene multa negotia.

Viceversa multiplicatis, praesertim a saec. XVI. exeunte, Institutis votorum simplicium, *immunitas* quaedam seu *partialis exemptio* (imo quibusdam exemptio *plena*) concessa est.

Tandem Leo XIII. per Const. « *Conditae* » 8. Dec. 1900., clara distinctione inter *dioecesana Instituta* et *Congregationes iuris pontificii* stabilita, relationes inter Episcopos et duplicem illam Institutorum speciem terminis accuratioribus et lege universali definivit.

631. **De exemptionis convenientia et utilitate** (1). — *Radix exemptionis* seu *principium* cui innititur est *Romani Pontificis suprema* et *immediata in omnes fideles potestas.* Unde sicut varia negotia sibi reservare valet, sic certas personas immediate et exclusive suae iurisdictioni subiicere potest: qua reservatione non *tollit*, pro potestate vero sua, Episcoporum iurisdictionem *restringit.*

Rationes huius *exemptionis*, ut ex Const. Leonis XIII. « *Romanos Pontifices* » 8. Maii 1881. et « *Conditae* » erui potest, aliae ex bono generali Ecclesiae, aliae ex bono ipsius Ordinis derivantur.

Bonum generale Ecclesia hanc exemptionem comprobat: inde enim S. Sedis *dignitati* decorique consulitur, cuius supremam iurisdictionem quasi *exercite* demonstrant Ordines exempti, cuius *iura* apte semper defenderunt, cuius *influxum* per totum mundum facilius diffundere valent, eo quod ipsi magis *directe* sunt coniuncti (2). Insuper ob exemptionem Ordines meliori modo ad finem suae vocationis tendentes (cf. rationes infra propositas), necessaria consequentia uberiores fructus in Ecclesia producunt (3).

(1) Cf. VERM. n. 364.; WERNZ n. 700.; GAUTRELET, *Traité de l'état rel.* P. I. c. V. art. 8. § 2.

(2) Hinc contra Ordines exemptos semper odium vehementissimum ostenderunt haeretici et Ecclesiae inimici, sicut iam notabat Gregor. XVI. in Ep. ad Card. Sterckx (Cf. GAUTRELET l. c. t. I. p. 114).

(3) Qui fructus in bonum etiam singularium dioeceseon amplissimo modo redundant: nam quo perfectior viget in Ordinibus *observantia*, *fervor*, *zelus*

Bonum ipsius Ordinis exemptionem postulat, a qua eius interni regiminis *unitas*, actionis et disciplinae *uniformitas* mirum in modum adiuvatur (1).

Cum ceterum post Tridentinum fere ad *regiminis interni* independentiam reducatur exemptio, et *externum regimen* vix non quoad omnia Episcopo, saltem ut S. Sedis delegato, subiiciatur, nulli iustae querelae ansam dare potest exemptionis privilegium; nec difficiles vitabuntur conflictus, si moderatus tum auctoritatis episcopalis tum privilegiorum Ordinis usus habeatur (2).

B. De habitudine variorum Institutorum ad Episcopos

632. I. *Ordines religiosi* stricte dicti virorum iurisdictioni Episcoporum subducuntur et Romano Pontifici *immediate* subiacent, qui eos per eorum Superiores et Capitula regit, non tantum quoad res ipsius Instituti sed vi ordinariae ecclesiasticae iurisdictionis in utroque foro. Plura tamen potest Episcopus in eos, ut *S. Sedis delegatus*.

Plures modernae *Congregationes religiosae* (praesertim Passionistae et Redemptoristae) plena etiam gaudent exemptione (3).

II. *Instituta iuris pontificii*, tum virorum, tum mulierum quibus nempe saltem Decretum laudis a S. S. est imperti-

---

perfectionis, ad quae maxime conducunt intimior nexus membrorum cum *corde* et *capite* et fecundior influxus *centri* in omnes partes, eo uberiores fructus producuntur. Cf. VERMEERSCH in *Nouv. Rev. Théol.* 1912. p. 491.

(1) « Quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito Rom. Pontifices... clerum regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt » (Leo XIII. Const. « *Rom. Pontifices* » n. 7.).

(2) Cf. GAUTRELET l. c. P. I. Sect. I. c. 6.

(3) Cf. VERMEERSCH t. I. n. 367. Attamen aliquatenus amplior Episcopi potestas, ut S. Sedis delegati, in eas exercetur.

tum (1), subsunt *Episcopis* quoad *iurisdictionem* fori interni et externi (2). Attamen in presbyterorum sodalitiis de conscientia ac disciplina... uni Praesides cognoscent »; in aliis vero, « Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimento ceperit, num contra clausuram peccatum, num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur ». Const. « *Conditae* » c. II. n. XI.

Instituta *dioecesana* Episcopo subsunt quoad omnia, i. e. quoad interni et externi fori iurisdictionem, internum regimen, admissionem subditorum, bonorum administrationem (servatis S. Sedis iuribus et reservationibus in materia votorum vel alienationis bonorum, necnon iuribus a personis acquisitis) (« *Conditae* » c. I. n. IX.).

Si ad aliam vel alias dioeceses extensum fuerit Institutum, « nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat » (3). Nec tolli potest Institutum « nisi gravibus de causis et consentientibus Episcopis, quorum in dicione » fuerit. « Singulares tamen domus Episcopis in sua cuique dioecesi tollere fas est » (4).

C. De Iuribus Episcopi in Religiosos exemptos et non exemptos

633. I. « Ex disciplina vigente *viri Regulares* Ordinum religiosorum etiam exemptorum ab Episcopum *ordinaria potestate* dependent in iis quae sunt *ordinis episcopalis*, v. g. in susceptione Ordinum, consecratione ecclesiarum, petitione chrismatis; in observantia festorum et censurarum quae ab Episcopo promulgantur; in censura librorum;.....

(1) Cf. supra n. 569.
(2) Const. « *Conditae* » c. II. n. V. et VIII,
(3) Const. « *Conditae* » c. I. n. V.
(4) Ib. n. VI.

in approbatione ad audiendas confessiones saecularium personarum; in erectione monasteriorum et ecclesiarum;..... in praedicatione [1] verbi Dei extra ecclesias proprii Ordinis religiosi; in executione ultimarum voluntatum; in cura animarum saecularium personarum ». (Wernz t. III. n. 702.).

Saltem tamquam *delegati S. Sedis,* iurisdictionem exercent Episcopi in viros Regulares: 1) quoad renuntiationem bonorum tempore novitiatus faciendam [2] — 2) generatim in his quae ad Missae celebrationem (v. g. quoad stipendium taxandum, extraneos in suis ecclesiis ad Missae celebrationem admittendos), vel ad Sacramenta aliis ac familiaribus administranda [3] pertinent, ad novarum imaginum et reliquiarum expositionem.

Potestatem *iudiciariam* et *coercitivam* in non paucis Regularium causis exercent Episcopi, praesertim in causis *haeresis* vel cum haeresi connexis [4], in compluribus Regularium *delictis,* speciatim si extra claustrum committantur [5].

Quod si ex speciali privilegio, Mendicantibus concesso, plures Regulares immunes a potestate Episcopi quoad censuras facti sunt, ab ipso tamen iudicari et aliis poenis plecti possunt [6]. Immo ipsi privilegio subtrahuntur plures casus qui v. g. ad praedicationem, confessiones vel imaginum expositionem spectant, in quibus si Episcopo non obediant, episcopalibus censuris subiiciuntur.

II. In *Moniales exemptas*, quae a viris Regularibus independentes sunt, exercet Episcopus plenam potestatem, tamquam *S. Sedis delegatus.* Si a viris Regularibus dependent, manet Episcopus competens, ex eodem *delegationis iure,* relate ad clausurae custodiam, approbationem confes-

[1] De praedicatione agendum erit in t. II. Cf. etiam supra n. 447.

[2] Cf, supra n. 589.

[3] Supra, ubi de visitatione dioecesis n. 467. 468.

[4] S. Off. 15.-17. Maii 1901. (in *Collect. S. C. de Pr. F.* t. II. n. 2112.); Piat t. II. q. 89. 90. Cf. in *Act. Ap. S.* t. V. p. 190. sq. causam *Mechoacan.* apud S. Rotam decisam.

[5] Piat t. II. q. 100. q. 280.

[6] Wernz n. 702. Verm. t. I. n. 380.

sarii a Praelato Regulari designato (1), examen ante habitus susceptionem et professionem religiosam sive simplicem sive solemnem, bonorum administrationem, etc. (2).

III. Dependentiam *Congregationum iuris pontificii* clarius et accuratius determinavit Const. « *Conditae* », de qua plura iam praeoccupavimus. Addere sufficiat Congregationes illas immunitatem obtinere ab episcopali potestate praesertim quoad admissionem subiectorum (salvo iure Episcopi examinandi moniales ante habitus susceptionem et professionis emissionem (3): — quoad votorum condonationem, quae R. Pontifici reservatur (4); — quoad Constitutionum immutationem (5); — quoad Superiorum designationem et munerum assignationem (quae tamen quando in conventu muliebrium associationum fit, sub praesidentia Episcopi, ut S. Sedis delegati, fiet (6); — quoad bonorum administrationem, cuius ratio Superiori generali et per eum S. Sedi redditur (7).

(1) Circa Confessiones Religiosarum, cuiuslibet Ordinis aut Instituti, omnino attendendum est Decretum S. C. de Relig. « *Cum de sacramentalibus* » 3. Feb. 1913. (*Act. Ap. S.* t. V. p. 62. sq.), in quo et largior disciplina quod confessarios designandos inducitur et facultas conceditur confitendi apud quemlibet sacerdotem approbatum, quoties extra domum aliqua Religiosa versatur.

(2) Wernz n. 702. III. Cf. supra n. 582. 607. 628. etc.

(3) Const. « *Conditae* » c. II. n. I.

(4) Ib. n. II.

(5) Ib. n. II.

(6) Ib. n. I.

(7) Ib. n. IX. Cf. *Normae* n. 293. 262. Cf. *Quaest. sel. e t. II.* n. 16. Ceterum Instituta iuris pontificii relationem triennalem tum circa bona tum circa disciplinam et administrationem internam reddere debent S. Congregationi de Relig. Cf. Const. « *In approbandis* » 16. Iul. 1906. cum Instructione addita. (Verm. t. II. n. 134).

APPENDIX

De Tertiis Ordinibus et Confraternitatibus

Brevissimas notiones de Tertiis Ordinibus et Confraternitatibus ad utilitatem Lectorum hic addere visum est, antequam huic Tomo Primo finem imponeremus.

I. De Tertiis Ordinibus

634. **Definitio et divisio.** — Tertius Ordo *definiri* potest: « Societas religiosa laicorum, vel etiam personarum religiosarum et clericorum, affiliata alicui magno Ordini principali (Primo), cuius tamen regulam in omnibus observare non intendit, ad finem christianae perfectionis assequendum » ([1]), seu brevius: « congregatio fidelium ad totam vitam conformandam alicui regulae approbatae » ([2]), quae regula a regula Primi Ordinis derivata ipsique analoga, vitae in saeculo agendae aptatur.

Distinguitur: 1) Tertius Ordo *regularis,* in quo vita communis agitur votaque emittuntur: huic nil deest ut vera Congregatio religiosa dicatur et sit ([3]): unde definitioni datae minus respondet.

2) Tertius Ordo *saecularis* qui personis constat, quae in saeculo manentes, vitam in communi agere non possunt nec vota

([1]) Prümmer, *Man. iur. eccl.* t. II. Suppl. I. q. 1.

([2]) Prümmer t. II. q. 193.

([3]) Piat t. I. q. 36. Verm. t. I. n. 534. Immo aliquando sodales vota solemnia habent.

religiosa ([1]) emittunt, per praeceptorum tamen perfectiorem observantiam, perfectionem christianam assequendam sibi proponunt ([2]).

635. **Origo** Tertiorum Ordinum ad ipsam animarum aspirationem ad maiorem sanctitatem referenda est. Cum enim multi fideles practice impediantur saeculum relinquere, et perfectae trium votorum observantiae sese dicare, inveniendus fuit vivendi modus qui, cum vita in mundo compatibilis, ad perfectionem christianam aptius conduceret. Hinc iam S. Benedictus *Oblatos* admisit qui laici manentes, regulam sui Ordinis partim observarent. Celeberrimi sunt uberrimosque salutis fructus in Ecclesia produxerunt Tertii Ordines S. Dominici ([3]) et S. Francisci ([4]).

Florent praeterea Tertii Ordines apud Carmelitanos, Praemonstratenses, Augustinianos, Minimos, Servitas, Trinitarios ([5]).

636. **Fundatio** alicuius coetus, seu *congregationis* Tertiariorum licentiam Episcopi dioecesani requirit, cuius visitationi subiecta manet (etsi forte in ecclesia Regularium sit erecta), non tamen quoad ea quae interiorem disciplinam et directionem spectant ([6]).

Semel erecta nequit arbitrario modo dissolvi vel ab ipso Generali Primi Ordinis ad quem pertinet ([7]).

637. **De Tertiariorum cooptatione, gubernatione, privilegiis.** — I. **Ingressus** in Tertium Ordinem per se omnibus saecularibus patet, sive coniugati sint, sive coelibes, laici, aut clerici

([1]) Cf. supra n. 548.

([2]) Quamvis dici possit verus Ordo, iuxta verba Bened. XIII. et Leo. XIII. (Cf. VERM. t. I. n. 536, not. 6.) ob ordinatum vivendi modum, quo Ordinis religiosi rationem exteriorem vivendi imitatur, tamen est Ordo *saecularis* nec *proprio sensu* Ordo *religiosus:* nam iuxta praesentem significationem hoc nomen reservatur his fidelium collegiis, ubi tria vota religiosa emittuntur et vita in communi agitur. Cf. supra n. 547. 561. et PIAT t. I. q. 36.; VERM. t. I. n. 62. 536.

([3]) Hic dictus est *Militia Iesu Christi, Ordo* (FF. et Sorores) *de Poenitentia.* Cf. PRÜMMER l. c. Suppl. I. q. 2.

([4]) Cf. Litteras Encycl. Leo. XIII. « *Auspicato* » 17. Sept. 1882., quibus vehementer pietati fidelium praeclarum S. Francisci Tertium Ordinem commendavit.

([5]) Congreg. vot. simpl. non permittuntur sibi Tertium Ordinem aggregare. *Normae* n. 51.

([6]) S. C. Indulg. 31. Ian. 1893.

([7]) WERNZ t. III. n. 718.

saeculares, etiam Episcopi. At nunc nemo potest ad *plures* Tertios Ordines pertinere, nec ab uno ad alium transire. Membra alicuius Ordinis aut Congregationis religiosae in Tertiarios cooptari prohibentur, et si iam tales existunt, per professionem votorum etiam simplicium ad Tertium Ordinem pertinere desinunt ([1]).

II. **Gubernatio** exercetur in singulis coetibus per *officiales* cum dependentia a Praeside seu *Visitatore* qui est Religiosus *Primi* Ordinis aut Tertii Ordinis *regularis*, immo potest esse ipse parochus loci ([2]).

III. **Regulae** ([3]) non obligant sub poena peccati, at saepe ut conditio sine qua sodales in gratiis concessis non participant.

IV. **Gratiae spirituales**, praesertim *Indulgentiae*, quae singulis Tertiis Ordinibus sunt concessae, non participantur ab aliis, nec quae Primo aut Secundo Ordini sunt concessae ([4]).

II. De Confraternitatibus ([5])

638. **Confraternitatum scopus.** — Fideles qui in Tertium aliquem Ordinem cooptari postulant, omnem suam vivendi rationem ad altiorem gradum christianae perfectionis obtinendum aptare proponunt, per perfectiorem praeceptorum observantiam.

([1]) S. C. Indulg. 16. Iul. 1887., 31 Ian. 1893.

([2]) Cf. Const. Pii X. 8. Sept. 1912. in *Act. Ap. S.* t. IV. p. 582. sq. per quam istud ultimum permittitur; ibidem varia statuuntur sive de conventibus sodalium, sive de faciendis et vitandis ut sodales sancto suo instituto digni maneant.

([3]) Cf. Const. Leo. XIII. « *Misericors* » 30. Maii 1883., qua regula Tertii Ordinis S. Francisci hodiernis necessitatibus accommodata proponitur.

([4]) Tertii Ordines *regulares*, qui nomen et vestem *Primi* (aut *Secundi*) Ordinis deferunt eique legitime sunt aggregati, omnes eius Indulgentias tam *personales* quam *locales* participant, non autem Indulgentias Tertio Ordini saeculari concessas nec vice versa (S. C. Indulg. 28. Aug. 1903.) absque speciali Indulto (cf. infra n. 649.). De *absolutione generali*, seu benedictione, cui adnectitur Indulgentia plenaria, cf. Verm. t. I. n. 540. et Decr. S. Off. 15. Dec. 1910. in *Act. Ap. S.* t. III. p. 22.

([5]) Cf. praeclarum opus P. Beringer, *Die Ablässe* (*Les Indulgences*) P. II. sect. IV.; Vermeersch t. I. n. 542. sq.; Wernz t. III. n. 703 sq.; Bargilliat t. II. n. 1062 sq.

Aliqui autem fideles, huius perfectionis minus avidi, quaedam tantum opera pietatis vel caritatis ex fine tamen supernaturali suscipere intendunt; quo vero constantiori modo haec opera exercere valeant, apte associationes quasdam ingrediuntur aut constituunt; inter has associationes digniorem locum obtinent confraternitates.

639. **Definitio.** — Definiri potest confraternitas ecclesiastica: « corporatio (collegium, congregatio) fidelium, praesertim personarum saecularium, a competente Superiore ecclesiastico canonice erecta et gubernata, ad promovendam vitam christianam per specialia quaedam opera bona cultus divini vel caritatis erga proximum exercenda » (1) vel brevius: corporatio fidelium canonice erecta ad exercenda quaedam opera pietatis aut caritatis christianae.

Per has notas satis distinguitur *confraternitas:* tum ab *Instituto religioso*, in quo vita communis et vota publica habentur; tum a *Tertio Ordine*, qui sodalium totam vivendi rationem ad perfectiorem praeceptorum observantiam ordinat.

Differt etiam suo *scopo* a *societatibus profanis* et philantropicis, quarum finis est mere profanus, licet forte quaedam opera caritatis exerceant; — differt tandem per *erectionem canonicam* a *causis piis* aut *piis unionibus,* quae ad aliquem finem bonum, praesertim caritatis constitutae, mutuo sodalium consensu ineuntur et dissolvuntur, et si quando ab Ecclesia laudes vel approbationem aliquam obtinent, *canonice* tamen non eriguntur.

Erectio canonica, quae est *nota essentialis* omni confraternitati, est actus auctoritatis ecclesiasticae competentis, qua associatio fidelium *personalitate iuridica* donatur: hac erectione tribuitur associationi existentia distincta et independens a singulis sodalibus, ita ut etiam omnibus discedentibus aut defunctis, maneat et instaurari possit ipsa confraternitas (2).

640. **Divisio.** — Distinguuntur: 1) confraternitates *simplices* et *Archiconfraternitates:* hae sibi confraternitates particulares eiusdem

(1) WERNZ t. III. n. 704. II.

(2) Ad existentiam canonicam confraternitatis necessario requiritur assignatio alicuius ecclesiae vel altaris cui adnectatur. Cf. causam agitatam 23 Mart. 1911 apud S. Rotam, in *Act. Ap. S.* t. III. p. 418.

speciei aggregare possunt, et per talem actum eas participes efficiunt Indulgentiarum et favorum, quibus ipsae gaudent;

2) ratione constitutionis, confraternitates quae strictissime praebent formam *corporis organici* (1), aut quae *laxiori vinculo* sociali uniuntur (2);

3) quae iure ordinario *Episcoporum* erectioni permittuntur; quae *Superioribus generalibus* certorum Ordinum religiosorum reservantur, sive quoad erectionem et aggregationem, sive quoad solam aggregationem.

641. **De erectione, aggregatione, constitutione confraterternitatum** (3). — *Erectio canonica* quam existentiae confraternitatis essentialem esse declaravimus, iure ordinario ad Episcopum loci pertinet, nisi R. Pontifex aliquas sibi aut Superioribus generalibus Ordinum reservaverit. Vicarius generalis mandato speciali indiget; Vicario capitulari *suadetur* ut a tali institutione abstineat (4).

Formalitates plures ad *validitatem* erectionis constituuntur in Const. « *Quaecumque* » Clementis VIII. 7. Dec. 1604., a Pio IX. Decreto S. C. Indulg. 8. Ian. 1861., confirmata (5), quae tamen non

(1) Horum membra habitum specialem in caerimoniis deferre solent, frequentius coadunantur ad pia exercitia et opera caritatis, processiones publicas agunt aut in eis partem sumunt. Tales sunt variae confraternitates *Poenitentium*.

(2) Hae potius dicuntur *congregationes* seu *sodalitates*; inter quas aliae quidem propius ad confraternitates stricte tales accedunt ob consuetos sodalium conventus et solemnem cooptationis ritum; attamen minus arcto vinculo sodales colligant ac confraternitates: huiusmodi sunt Congregationes B. M. Virginis. Aliae adhuc laxiori vinculo uniuntur, cum praeter aggregationem nil fere commune habeant sodales, nisi delationem alicuius Scapularis aut recitationem aliquarum orationum: sic confraternitates SS. Rosarii, sodalitates Scapularium SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo vel Septem Dolorum. Cf. VERM. t. I. n. 544.

(3) Notas historicas de confraternitatibus videre est apud WERNZ n. 704. IV.

(4) S. C. Indulg. 23. Nov. 1878.

(5) Haec documenta habes apud VERM. t. II. n. 285. 288. Formalitates descriptas et commentatas videre est apud BERINGER l. c. § 6.; VERM. l. c. n. 536. Pertinent ad consensum Episcopi obtinendum, statuta et Indulg. ipsi notificandas, gratuitatem aggregationum, prohibitam multiplicationem confraternitatum in eodem loco aut infra certam distantiam, etc.; quoad hoc

ligat Episcopos erigentes, at Generales Ordinum aut Archiconfraternitates, quando pro potestate sibi data erigunt aut aggregant (1).

Quaedam restrictiones etiam constitutae sunt relate ad erectionem confraternitatum in ecclesiis Monialium aut Sororum (2).

Statuta non necessario condenda sunt; at si conduntur, semper ab Episcopo approbanda sunt, nec postea sine eius licentia mutari possunt.

Gratiae spirituales aut directe a S. Sede dantur; aut in ipsa erectione communicantur; aut per aggregationem alicui Archiconfraternitati obtinentur.

642. **De gubernatione confraternitatis et cooptatione confratrum.** — *Praeses* est sacerdos ab Episcopo deputatus ad receptionem et regimen sodalium iuxta statuta exercendum: is non est necessario parochus (3).

Officiales iuxta regulas confraternitatis eliguntur, salvo iure Episcopi eos approbandi aut ex iustis rationibus removendi.

Receptio sodalium fit a Praeside, qui alium delegare non potest absque licentia Episcopi (4).

In confraternitatibus quae Scapulare habent, essentialis est ad valorem receptionis *impositio Scapularis* cum verbis correspondentibus; — in aliis *sufficit*, at stricte *requiritur*, aliquod *signum externum* admissionis. Generatim stricte exigitur inscriptio novi sodalis in confraternitatis regestis (5).

---

ultimum Leo XIII. 31. Ian. 1893., 20. Maii 1896. latiores constituit regulas. (VERM. t. II. n. 294).

(1) Ab his dispensantur *Congregationes* B. M. Virginis quae Congregationi *Primae Primariae* affiliantur.

(2) Decreta S. C. Ep. et Reg. 9. Nov. 1595. pro Monialibus, et 18. Ian. 1907. pro Institutis votorum simplicium. Cf. BERINGER, in *Nouv. Rev. Théol.* 1907. p. 267. sq.

(3) Si confraternitas est erecta in ecclesiis Regularium et ab aliquo sacerdote ipsius Ordinis regitur, ad Episcopum non pertinet designatio.

(4) Si Confraternitas a Generali aut ab Archiconfraternitate erecta est, ab his habenda est talis licentia delegandi. Haec delegatio pro Congreg. B. M. V., Praesidis arbitrio permittitur.

(5) Excipiuntur quidam casus, praesertim pro Confrat. Scapularium: 1) si tempore missionis e suggestu missionarius omnia Scapularia

Generatim *absentes* admitti nequeunt (1), saltem in confraternitatibus quae sunt verae corporationes.

Qui semel admissus est, semper membrum confraternitatis manet, nisi formaliter exeat, v. g. expresse renuntians, aut excludatur ob culpam (2). Quod si *insignium* delatio ad lucrandas gratias exigatur, qui ea non defert, in favoribus interim non participat, at inde non excluditur; et iterum favorum particeps denuo fit, si insignia resumat (3).

643. **De translatione et dissolutione.** — *Translatio* confraternitatis legitime facta, i. e. de consensu Episcopi (aut etiam Generalis, qui eam erexit), in ecclesiam eiusdem dioecesis, privilegia et Indulgentias intactas relinquit (nisi forte loco sint annexae); item si ecclesiae dirutae alia substituatur.

Dissolutio integra et absoluta omnia supprimit, at haec non inducitur nisi per actum auctoritatis legitimae (4), non per dispersionem temporaneam etiam omnium sodalium, nec per cessationem *facti* non *iuris*, v. g. per violentam dispersionem sodalium.

644. **Scholion. De praecipuis confraternitatibus.** — Inter confraternitates (5) eminent:

Confraternitas SS. Rosarii, quae ab Ordine FF. Praedicatorum pendet, et praesertim usum SS. Rosarii B. V. M. promovet, quod a Leone XIII. frequentissime commendatum est;

Congregationes B. M. V., praesertim eae quae ad Congregationem *Primam Primariam*, Romae in sacello templi S. Ignatii

---

benedicit, quae postea unusquisque sibi imponit. Cf. Decr. S. C. Rit. 22. Nov. 1905.;

2) milites possunt sibimet imponere Scapulare antea rite benedictum. Indulta Pii X. 4. Ian., 30. Mart. 1908. (Verm., *Period.* t. IV. p. 295).

3) PP. Cardinales imponere possunt omnia Scapularia absque onere inscriptionis, ex privilegiis ipsis 20. Dec. 1911. concessis. Cf. *Razón y Fe* t. 33. p. 243.

(1) Decr. S. C. Indulg. 13. Apr. 1878., quod tamen per Decr. eiusdem S. C. 26 Nov. 1880. emollitum fuit.

(2) Cf. Wernz t. III. n. 714.

(3) S. C. Ind. 27. Maii 1857.

(4) Ob erectionem canonicam semel factam, voluntaria renuntiatio et dispersio membrorum non sufficit ad dissolutionem iuridicam.

(5) Cf. Beringer l. c. P. II. sect. IV.; Vermeersch t. I. n. 557.

aggregantur, quaeque laudibus multorum RR. Pontificum et egregiis fructibus salutis commendantur;

Congregatio Bonae Mortis;

Confraternitates Scapularium; inter quas dignitate praestat Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, cui duplex privilegium annectitur: *bonae mortis*, illis promissae, qui fideliter hunc habitum deferunt; et *Sabbatinum*, seu celeris liberationis a Purgatorio. — Scapularia SS. Trinitatis, et Septem Dolorum ad confraternitates pertinent, non autem Scapularia Immac. Conceptionis, Passionis Dominicae, SS. Cordis Iesu, S. Ioseph;

Confraternitates SS. Sacramenti, ad Venerabilis Sacramenti cultum augendum;

SS. Cordis Iesu Confraternitates variae.

Tandem mentione digna est pia foederatio *Apostolatus Orationis*: haec non est Confraternitas sed pium opus, eo consilio institutum ut fideles coniungantur perpetuae interpellationi **SS. Cordis Iesu.**

(1) De numismatibus quae pro Scapularibus deferri possunt cf. Decr. S. O. 16. Dec. 1910.; 4. 5. Iun. 1913. (*Act. Ap. S.* t. III. p. 22. t. V. p. 303. *Nouv. Rev. Théol.* 1911. p. 92. sq. p. 436. sq.; 1913. p. 574. sq.; Vermeersch, *Period.* t. V. p. 86. sq. 106. 267. sq.). Referre debent ex una parte imaginem Salvatoris, Cor suum ostendentis, ex alia imaginem B. M. V. Benedicuntur ab eo qui potestatem habet Scapularia imponendi, tot signis crucis quot Scapularibus substituuntur. At qui numisma defert debuit antea regulariter aggregari Scapulari. Deferuntur tum ad collum tum aliter, decenter tamen, super propriam personam.

A. M. D. G.

Laus Mariae

ADDENDA

Die 3. Maii 1914. prodierunt a S. C. de Religiosis plura Decreta, quae doctrinam in hoc libro traditam nonnihil immutant vel confirmant: quare visum est summam horum Decretorum hic exscribere, simul loca libri indicando ad quae referuntur.

645. I. **De novitiatus termino et interruptione** (1) sic constituit S. Congregatio:

1) « Annus integer novitiatus, qui solus ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum solemnium praecedere debent ».

2) « Novitiatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit: *a*) si novitius a Superiore dimissus e domo exierit; *b*) si absque Superioris licentia domum deseruerit; *c*) si ultra triginta dies etiam cum licentia Superioris extra novitiatus septa permanserit ».

3) « Si novitius infra triginta dies, etiam non continuos, cum Superiorum licentia, extra domus septa permanserit, licet sub Superioris obedientia, requiritur ad validitatem, et satis est, dies hoc modo transactos supplere: at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant ».

646. II. **De novitiis militiae addictis** (2), petitum fuerat:

(1) **Cf. supra n. 585. cum nota 3.**

(2) Cf. ibid. De Religiosis ad militiam vocatis conferenda sunt: Resp. S. C. de Relig. 29. Dec. 1909. et Decret. eiusd. S. C. 1. Ian. 1911. (*Act. Ap. S.* t. II. p. 60.; t. III. p. 37.), de emissione votorum ante et post militiam et de cautelis adhibendis ad pericula cavenda.

1) « Utrum novitiatus illorum qui coguntur e domo probationis exire causa militiae aut ad eandem militiam denuo vocati, censendus sit *interruptus,* ita ut ab initio sit repetendus, nulla ratione habita temporis novitiatus iam expleti; an vero sit aestimandus tantummodo *suspensus,* ita ut debeat solum compleri ».

2) « Utrum computari possit veluti tempus novitiatus servitium militare quod expletur in loco ubi exstat domus probationis, si novitii maneant sub disciplina et vigilantia moderatorum et horis subsecivis consistant in eadem probationis domo, eaque omnia peragant quae cum militia concilientur ».

Responsum fuit a S. Congregatione:

« Ad 1^{um}. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, si novitius ultra triginta dies completos servitio militari reapse addictus fuerit. Si infra triginta dies, hi supplendi erunt. Et in quocumque casu ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur ».

« Ad 2^{um}. Negative ».

647. III. **De Missis a religiosis sodalibus ad intentionem Superiorum celebrandis** ([1]). — « Ad 3^{um}. Reformato dubio: « An Superiores Religiosi praecipere possint subditis suis etiam in « virtute sanctae obedientiae ut ipsi celebrent secundum intentionem « a Constitutionibus praescriptam vel ab ipsis Superioribus sta- « tutam, salvis exceptionibus a Constitutionibus vel a legitima con- « suetudine sancitis? », respondere censuerunt (PP. Cardinales): « Affirmative ».

648. IV. **De confessione apud Orientales sacerdotes instituta et de confessione novitiorum** ([2]). — 1) « An Decretum S. C. de Relig., die 5. Aug. 1913., comprehendat etiam confessiones quas Religiosi ritus Latini faciunt apud Confessarios ritus Orientalis, et vicissim? ».

2) « An idem Decretum comprehendat etiam novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis? ».

« Emi ac Revmi PP. Cardinales... reposuerunt:

Ad 1^{um}. et ad 2^{um}. Affirmative ».

([1]) Cf. supra n. 604. III.

([2]) Cf. supra n. 626. p. 523. not. 4.; n. 588. not. 5.

Quae omnia Decreta a Sño Pontifice confirmata sunt, immo 1m., 2m. et 4m. *in forma specifica*.

649. Haud inutile visum est haec addere in textu omissa.

1) Ex Decr. S. Off. 6. Sept. 1909. (*Act. Ap. S.* t. I. p. 677.) ab **irregularitatibus occultis** (1) dispensare potest in foro conscientiae quilibet confessarius in iisdem casibus ac dispensaret in censuris, etiam speciali modo R. Pontifici reservatis, i. e. « in casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis damni vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, iniunctis de iure iniungendis et sub poena reincidentiae in easdem censuras (irregularitates) nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem ». (S. Off. 28. Mart. 1906.).

2) **De studiis** (2) quae ante Ordines sacros suscipiendos *Religiosis* praescribuntur, conferantur Decreta S. C. de Relig. 7. Sept. 1909., 31. Maii 1910. et S. C. Consist. 24. Mart. 1911. (*Act. Ap. S.* t. I. p. 701. sq.; t. II. p. 449.; t. III. p. 181. Cf. Vermeersch, *Periodica* t. V. p. 44. sq., 92. sq., 155. sq.).

3) **Tertiarii saeculares S. Francisci** ex recenti concessione Sñi Pontificis Pii X. 5. et 17. Maii 1909., participant in Indulgentiis concessis *Primo* et *Secundo* Ordini, et vice versa (3). (Cf. *Acta Ap. S.* t. V. p. 306.; Verm., *Period.* t. V. p. 182.)

650. **Ius optionis Cardinalium Episcoporum** (4) sic restrictum est per « *Motum proprium* » Pii X. die 5. Maii 1914.: « Quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio Sedem, in ea permaneat, etiam cum Decani gradum attigerit; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit ». Quod ut fieri posset, dioecesis *Veliterna* ab *Ostiensi* separata est: unde nunc *septem* Sedes Suburbicariae existunt. (*Acta Ap. S.* t. VI. p. 219.).

(1) Cf. supra n. 164. *Nouv. Rev. Théol.* 1909. p. 724.; Verm. *Period.* t. V. p. 52.

(2) Cf. supra n. 156.

(3) Hinc derogatum est regulae supra n. 637. traditae.

(4) Cf. supra n. 334., 342. not. 2. 3., 343. p. 294.

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri referuntur ad numeros marginales, non ad numeros paginarum).

A

Abbates, ut ministri Ordinum minorum 127.; vocantur ad Concilia 536.

Abusus Baptismi aut Ordinum inducit irregularitatem 177. 178.

Acatholica gubernia et Episcoporum nominatio 242.

Acatholici subiecti legibus Ecclesiae 19.

Accessio in electione R. Pontificis 298.

Acta Apostolicae Sedis 23.

Administratio bonorum apud Religiosos 628.

— — novitii et Religiosi 589. 600.

Administrativa potestas R. Pontificis 304.; SS. Congregationum 350.; Episcopi 455.

Admissio postulationis 261.

— in Institutum religiosum 578. sq. (cf. Religiosos).

Adsessor S. Officii 358.

Aetas requisita pro beneficiis 227.; pro Ordinibus 227.; ad admissionem in Institutum relig. 579.; ad professionem religiosam 590.

Affectio in collatione beneficii 264.

Algerus Leodiensis: Liber de misericordia et iustitia 73.

Altare portatile concessum Cardinalibus 342., Episcopis 472.

Amotio administrativa parochi 288.

Angilramni Metensis Capitula 68.

Anselmi Lucensis collectio 73.

Apocrisarii 420.

Apostasia ab Ordine religioso 615.

Apostoli ut fontes existendi iuris canonici 7. 8. — Apostolorum Canones et Constitutiones 59.

Appellatio iudicialis ad S. Rotam 350.; extraiudicialis ad SS. Congregationes 350.; ab Episcopo in visitatione dioecesis 469.

Archidiaconi 518.; rurales 518.; in Capitulis 491.

Archiepiscopi (cf. Metropolitae).

Archipresbyteri 527. (in nota); in Capitulo 491.

Auditor S. Congr. Concilii 369.

Auditores S. Rotae 401.

Augustinus (S.) 554.; eius Regula 564.; Eremitae S. Augustini 556.

Authentia iuridica collectionum 58.

B

Baptismi abusus inducit irregularitatem 177.
Barnabitae 557.
Basilius (S.) 553.; eius Regula 564.
Beatificatio reservatur R. Pontifici 303.
Benedictiones Episcopo reservatae 471.
Benedicti Levitae Capitularia 67.
Benedictus (S.) 553.; eius Regula 564.
Beneficia ecclesiastica 201. sq.; definitio 203.; notiones et divisiones 205. sq.; notae historicae 208.;
Beneficiorum erectio 210. sq., *innovatio* 213. sq.: per unionem 213. 214., per incorporationem 215., divisionem 217., dismembrationem 218., novi oneris impositionem 219. 220., transformationem 221., cessationem 222., translationem 223.
Beneficiorum collatio 224. sq.; qualitates ad ea obtinenda 225. sq.
Designatio personae: electio 232. sq.; postulatio 237. sq.; nominatio 240. sq.; commendatio 243.; praesentatio 257. sq. (cf. Iuspatronatus).
Institutio collativa 361. sq.; a R. Pontifice 262. sq.: per reservationem 263., affectionem 264., devolutionem 265., praeventionem 266., concursum 267.; — ab Episcopo et aliis 268.; — de actu et adiunctis collationis 269.
Institutio realis et adeptio possessionis 270.
Beneficiorum vacatio 279. sq.: ipso facto 280.; — voluntate beneficiati 283. sq.: per resignationem 284., permutationem 285.; — voluntate Superioris: per translationem 286., privationem 287., per amotionem administrativam (parochi) n. 288.
Beneficium, titulus Ordinationis: ex parte ministri 132.; ex parte subiecti 152.
Beneficiati. Conditiones in eis requisitae 197. 225. sq.; obligationes communes 272. sq.: professio fidei 273., Officium divinum 274., obedientia canonica 275., redituum superfluorum usus 276., residentia 277.
Bernardi Papiensis compilatio 86.
Bigamia facit irregularem 173.
Bona novitiorum 589.; eorum administratio 589.; renuntiatio 589.
— Instituti religiosi quoad administrationem 628.
Bonifacii viii. Decretales (Liber Sextus) 92. sq.
Brevia 311.
Bullae 310.
Bullaria 150.
Burchardi Wormatiensis collectio 73.

C

Caerimonialis (S. Congr.) origo et constitutio 388.; competentia 389.
Camera Apostolica: origo et constitutio 412.; hodierna competentia 413.
Camerarius (Cardinalis) 413.
Camillini 557.
Cancellaria Apostolica: origo et constitutio 408.; hodierna competentia 409.
Cancellariae Regulae, ut fons iuris canonici 102.
Canones Apostolorum 59.
— Concilium Orientalium 59.

Canonici: notiones 486.; divisiones 488.; iura 496.; obligationes 497.
— poenitentiarius et theologus 491.
— regulares 554.
— honorarii 488.
Canonizatio reservatur R. Pontifici 303.
Capitula Angilramni Metensis 68.
— canonicorum: notiones 486.; divisiones 487.; notae historicae 489.; erectio 490.; constitutio 491; provisio canonicatuum 492. 493.; iura 494.; obligationes 495.
— cathedralia et administratio dioecesis: sede plena 499., sede impedita 500., sede vacante 501.
— apud Religiosos: viros 623., mulieres 623.; in Institutis votorum simplicium 624.
Capitularia Benedicti Levitae 67.
Capitularis Vicarius 502. sq. (cf. Vicarius).
Capuccini 557.
Cardinales: nomen et origo historica 334.; creatio 335. sq.; dotes requisitae 337.; iura 342.; obligationes 343. — *Optio* 650.
Cardinalis Vicarius Urbis 479. sq.
Cardinalium collegium (cf. S. Collegium).
Carmeli Scapulare 644.
Carmelitani 556.
Castitas, votum Religiosorum 602.
Casus reservati et novitii 588. 648.
Catechismus: obligationes Episcopi 448., parochi 514.
Cathedralia Capitula 487.; potestas sede plena 499., sede impedita 500., sede vacante 501.
Cathedraticum subsidium 473.
Causae maiores reservatae R. Pontifici 305. sq.
— piae et visitatio Episcopi 467. sq.
Censurae violatio facit irregularem 179.
Census *antiquus* et *novus* 220.
Chirographa R. Pontificis 309. 311.
Chorepiscopi 517. (in nota).
Chorus: obligatio Capitulorum 495., canonicorum 497.; Religiosorum 606.
Clausura 607.
Clementinae Decretales 96. sq.
Clementis viii. Decretales 101. (in nota).
Clerici regulares 557; infirmis ministrantes (Camillini) ib.; Scholarum piarum (Scolopi) ib.
Clerus: status clericalis 112.; obligationes et iura clericorum (remissive) 187. sq.; incorporatio in clerum dioecesis 139.
Coactiva potestas R. Pontificis 306., S. Officii 359., Episcopi 457.
Coadiutores Episcoporum 517.
Codex legum ecclesiasticarum (novus) 108. 417.
— Iustinianeus 76.
Coelibatus; obligatio beneficiati (remissive) 228.; obligatio clerici (remissive) 188.
Coenobitae 553.
Coetus Curiae Rom. adnexi 417.
Collatio beneficiorum lato sensu 231., stricto sensu 261. sq. (cf. Beneficia).
Collectiones iuris canonici 55. sq.: notiones 57. sq.
— chronologicae genuinae: Dionysii 60. 61., Hispana 62. sq., Photiana 65.
— spuriae: Capitularia Benedicti 67.; Capitula Angilramni 68.; Pseudo-Isidori Decretales 69. sq.
— Pseudo-Isidoro posteriores 73.;
— quibus constat Corpus iuris canonici: Decretum Gratiani 80. sq.

Decretales Gregorii IX. 87. sq.; Liber. Sextus 92. sq.; Clementinae 96. sq.; Extrav. et Extrav. Commun. 99. sq.

COLLECTIONES non authenticae 104. sq.: Bullarum 105.; Conciliorum 106.; Decretorum SS. Congreg. 107.

— iuris Romani 74. sq.

COLLEGIATA Capitula 487.

COLLEGIUM (S.) Cardinalium: natura 339.; potestas sede plena 340., sede vacante 341.

COMMENDATIO ad beneficia 243.

COMMISSARIUS S. Officii 358.

COMMISSIO biblica 417.

— Ecclesiae legibus in unum redigendis 417.

COMPILATIONES antiquae 86.

COMPROMISSUM in electione 235.; in electione R. Pontificis 298.

CONCILIA, ut fontes iuris canonici 9. 59.; eorum collectiones 106. — notiones de Conciliis 533. sq.

— oecumenica: notae historicae 535.; convocatio 536.; constitutio et potestas 537.; celebratio et confirmatio 538.; translatio, suspensio, dissolutio 539.

— plenaria: notae historicae 540.; hodierna disciplina 541.

— provincialia: convocatio 542.; constitutio et potestas 543.; celebratio 544.; Decretorum confirmatio et promulgatio 545.

CONCILII (S. Congregationis) origo 366.; constitutio 367.; competentia 368.; antiquus procedendi modus 369.

CONCLAVE ad electionem R. Pontificis 294. 298.

CONCORDATA, ut fontes iuris canonici 44. 102 (remissive).

CONCURSUS in collatione beneficii 267.

CONCURSUS Tridentinus pro collatione parochiae 512.

CONFESSIO 648.: Novitior. 588.; Religios. 626.; Monial. et Soror. 633.

CONFIRMATIO Concilii oecumenici 538., provincialis 545.

— electionis 261.

— legum in forma specifica aut communi 26.

— Decretorum SS. Congregationum 355.

CONFRATERNITATES: scopus 638.; definitio 639.; notiones 640.; erectio, aggregatio, constitutio 641.; gubernatio 642.; cooptatio membrorum 642.; translatio et dissolutio 643.

— et Sodalitates praecipuae 644.

CONGREGATIONES B. M. V. 644.

— religiosae (cf. Religiosi)

— Romanae: earum origo 345.; natura et compositio 346.; competentia 347.; potestatis exercitium 348. sq.; modus negotia tractandi 351.; Decretorum et Responsorum vis et valor 352. sq.; modus ad eas recurrendi 356.

Decretorum SS. Congregationum collectiones 107.

— Romanae in specie (cf. S. Officium etc.)

CONSISTORIA 340.

CONSISTORIALIS (S. Congregationis) origo 361.; constitutio 362.; competentia 363.

CONSTITUTIONES Apostolorum 59.

— pontificiae: notiones 308. sq. Bullae 310.; Brevia 311.; Chirographa 309. 311.; Litterae Apostolicae 311.; Litterae encyclicae 309.

Collectiones Constitutionum pontificiarum 103.

CONSUETUDO, ut fons iuris: notiones 45.; divisiones 46.; conditiones

requisitae 47.; effectus 48,; abrogatio 49.
Consultores SS. Congregationum 346.
— Synodales: designatio 464.; attributiones in amotione administrativa parochi 288.
Conventus religiosus 572. sq. (cf. domus religiosa).
Corpus iuris canonici 79. sq. (cf. Collectiones).
— — civilis (Romani) 74. sq.
Cultus divinus: iura Episcopi 471.
Cumulatio beneficiorum: notiones 206.; quomodo inducat vacationem 280.
Cura animarum, ut officium parochi 514.
Curatus vicarius 531.
Curia Romana: notiones 332.; notae historicae 333.; variae partes: SS. Congregationes, Tribunalia, Officia. (cf. has voces); Praelati et Officiales Curiae Rom. 344.

D

Dataria Apostolica: origo et constitutio 410.; hodierna competentia 411.
Decanus in Capitulis 491.
— ruralis 527. (in nota).
Decreta SS. Congregationum: eorum vis et valor 352. sq.
— S. C. Rituum 387.
Decretales RR. Pontificum, ut fontes iuris canonici 59.; earum collectiones (cf. Collectiones).
— Gregorii IX. 86. sq.; Bonifacii VIII. (Liber Sextus) 92. sq.; Clementinae 96. sq.; Ioannis XXII. (Extravagantes) 99.
— Pseudo-Isidori 73. sq.
Decretum Gratiani 80. sq.
Delegati Apostolici 424.
Depositio aut destitutio Episcopi 476.
Deus, ut fons iuris canonici 6. 7.
Devolutionis ius quoad beneficiorum provisionem 265.
Diaconatus 118. 122.
Digesta 76.
Dignitates 205.; — in Capitulo 488.
Diminutio beneficii per novi oneris impositionem 219. 220.
Dimissio ex Instituto religioso 617. sq.
Dimissoriales litterae pro Ordinatione 135. 137.
Dioecesana Synodus 458.
Dioecesis administratio: sede impedita 500.; sede vacante 501.
— visitatio 465. sq.
Dionysii Exigui collectio 60. 61.
Disciplinaris potestas SS. Congregationum 350.
Dismembratio beneficii 218.
Dispensatio legis 38. sq. (cf. Lex).
— in forma gratiosa, commissoria et mixta 312. (cf. Rescripta).
— in irregularitatibus 164.
— in votis religiosis 611.
Dispersi Religiosi 616.
Distributiones in Capitulis 496.
Divisio beneficii 217.
Domicilium facit subiectum legis 20.
— quoad Ordines 131.
Dominicus (S.): eius Ordo 556.; Tertius Ordo 635.
Dominium temporale R. Pontificis 324. sq.; compatibile cum potestate spirituali 325.; iniuste et sacrilege ereptum 326. sq.; maxime conveniens et moraliter necessarium 328. sq.
Domus religiosae erectio 572. sq.; innovatio 575.; suppressio 576.; visitatio ab Episcopo 486.
Dos Monialis aut Sororis 583.

E

Egressus e Religione 609. sq. (cf. Religiosi).
Eiectio ex Instituto religioso 617. sq.
Electio canonica: notiones 232.; notae historicae 233.; ius eligendi 234.; formae 235.; tempus 236.
— R. Pontificis 290. sq. (cf. Pontif. Rom.).
Encyclicae litterae 309.
Epikeia 29.
Episcopatus erectio 211.
— ut est Ordo 120. 122..
Episcopi: notiones et divisiones 441.; munus et potestas in genere 442.
Episcoporum obligationes: residentia 444.; visitatio ss. Liminum 445.; relatio de statu dioecesis 445.; gubernatio dioecesis: praedicatio 447., catechismus 448.; censura praevia et prohibitio librorum 451. 452.; potestas legifera, administrativa, iudicialis, coercitiva 454. sq.; pot. quoad beneficiorum erectionem 212., unionem 216., collationem 268., vacationem 283. sq.
Visitatio dioecesis 465. sq.
Officia relate ad cultum, Sacramenta, Indulgentias 471.
Iura et privilegia 472. 473.
Renuntiatio 474.; translatio 475.; depositio 476.; suspensio 477.
Erectio beneficii 210.
Eremitae 553.
— S. Augustini 556.
Examen admittendorum ad statum religiosum 582.
— Ordinandorum 142.
— pro concursu parochiali 512.
Examinatores synodales et prosynodales: eorum designatio 464.; attributiones in amotione administrativa parochi 288.
Exarchae (cf. Primates).
Excardinatio 134.
Exclusiva in electione R. Pontificis 297. (in nota).
Excommunicatus: quoad collationem iurisdictionis 197., electionem R. Pontificis 296. 297., iuspatronatus 255., Rescripta obtinenda 313.
Exemptio: notiones 629.; notae historicae 630.; convenientia et utilitas 631.; conditiones exemptionis 468. (in nota); iura Episcopi in exemptos 633.
Exercitia spiritualia ante Ordinationem 143.; ante novitiatum 584.
Exploratio voluntatis mulieris admittendae ad novitiatum aut professionem religiosam 582.
Expulsio ex Instituto religioso 617. sq.
Exspectativa beneficiorum 266.
Extravagantes 99. sq.
— Communes 99. sq.

F

Fabricae S. Petri (S. Congr.) 394.
Famae defectus facit irregularem 174.
Familiaritas Episcopi, ut titulus Ordinationis 133.
Festos dies instituere quis potest 303.
Fictio iuris 31.
Fontes iuris canonici in genere 3.
— in specie: fontes essendi 3. sq. (cf. Lex); fontes cognoscendi: definitio 57.; divisio 58. (cf. Collectiones).
— Corpore iuris posteriores 102. sq.
Foraneus (cf. Vicarius).
Franciscus (S.): eius Ordo 556.; Regula 564.; Tertius Ordo 635.

Fuga a Religione 615.
Fundatio facit patronum 248.
Fundatores Ordinum et Congregationum religiosarum 553. sq.
Furtiva egressio e domo religiosa 607. 615.
— Ordinatio 147.

G

Gratiani Decretum 80. sq.
Gregorii Cardinalis collectio 73.
Gregorii ix. Decretales 87. sq.

H

Habitus religiosi delatio 605.
Haeresis inducit irregularitatem 180.
Haeretici quoad iuspatronatus 255.; quoad electionem R. Pontificis 296. 297.
Hierarchia Ordinis et iurisdictionis 114. (cf. Ordo, Iurisdictio).
Hispana Collectio 62. sq.
Historicis (Coetus studiis provehendis h.) 417.
Homicidium inducit irregularitatem 181. sq.
Horae canonicae (cf. Officium divinum).
Hospitalarii S. Ioan. de Deo 556.

I

Immunitas R. Pontificis: errores 318.; ambitus 319.; probationes 320. sq.; obiectiones 323.
Impedimenta pro admissione in Institutum religiosum 578. sq.
Impuberum Ordinatio 148.; admissio in Institutum religiosum 579.
Incardinatio 134.
Incorporatio in clero dioecesis 139.
— beneficii 213 sq.
Indicis (S. Congr.): origo 379.; compositio 380.; competentia 381.; modus procedendi 382.; valor Decretorum 383.
Indulgentiae et S. Officium 359.; potestas Episcopi circa Indulgentias 471.; iura Cardinalium 352., Archiepiscop. 435., Episcop. 471.
Indulgentiarum (S. Congregatio) 386. (in nota).
Infamia facit irregularem 174.
Infantium Ordinatio 148.; admissio in Institutum religiosum 578. sq.
Infideles legibus Ecclesiae non subiecti 19.
Informationes ante admissionem in Institutum religiosum 582.
Innovatio beneficiorum 213. sq. (cf. Beneficia).
Insignia R. Pontificis 317.; Episcoporum 472.; Capitulorum 494.
Installatio beneficiati 270.
Institutio auctorizabilis 268.
— collativa tituli 261. sq.; quandonam R. Pontifici reservetur 262. sq.; quando Episcopo aut aliis competat 268.
— realis 270. sq.
Institutiones Iustiniani 76.
Institutum religiosum (cf. Religiosi).
Interni actus an praecipi possint per legem 16., an vi voti obedientiae 603.
Interpretatio legum 27. sq.
Interstitia in Ordinum collatione 146.
Inthronizatio 270.
Invaliditas Ordinationis (remissive) 148.
— professionis religiosae 595.
Investitura 271.
Ioannis Andreae Glossae 91. 95. 98.
Ioannis Scholastici collectio 58.
Ioannis xxii. Decretales seu Extravagantes 99. sq.

Irregularitates: definitio 158.; divisio 159.; notae historicae 160.; subiectum activum 161.; subiectum passivum 162.; effectus 163.; cessatio et dispensatio 164. 649.
— in specie: ex defectu 166. sq.: corporis 167., animae 168., libertatis 169., natalium 170. sq., Sacramenti (bigamia) 173., famae 174., lenitatis 175.
— ex delicto 176. sq.: iteratio Baptismi 177.; usurpatio Ordinum 178.; violatio censurae 179.; haeresis 180.; homicidium 181. sq.
Irritantes leges 5.; effectus 32.
Isidori (Pseudo-I.) Decretales 69. sq.
Iudices synodales 464.
Iudiciaria potestas: R. Pontificis 305.; SS. Congregationum 349.; Episcopi 456.; in Institutis religiosis pro eiectione subditorum 617. sq.
Iura stolae (remissive) 532.
Iuramentum contra errores Modernistarum 273.
— de conservando dominio temporali R. Pontificis 327. (in nota).
Iurisdictio: discrimen inter potestatem Ordinis et iurisdictionis 114.; notiones et definitio 190. sq.; fori interni et externi 192.; ordinaria, delegata, propria, vicaria 193.; territorialis, personalis, mixta 194.; contentiosa, voluntaria 195.
Collatio: conditiones ex parte conferentis 196., collatarii 197., actus collativi 198.
Titulus iurisdictionis verus, falsus, coloratus 199. sq.
Ius canonicum (cf. Lex). Corpus iuris canonici 79. sq.
— civile (Romanum) 74. sq.; ut fons iuris canonici 77.
Iuspatronatus: definitio et divisio 245.; historia 246.; modi acquirendi: originarii 248. sq.: fundatio 248.; privilegium 249.; praescriptio 250.; modi derivativi 251. sq.: praescriptio 251.; translatio dominii 252.; hereditas 253. sq.
Exercitium iurispatronatus 255.; iura et obligationes patronorum 256.; ius praesentationis 257. sq.; cessatio iurispatron. 259. sq.
Iustinianeae collectiones 76. sq.
Ivonis Carnutensis Panormia ac Decretum 73.

L

Laicalis status obligationes et iura 111.
Lauretana (S. Congreg.) 368.
Lazaristae 559.
Legati R. Pontificis: ius R. Pontificis Legatos deputandi 418. sq.; notae historicae 420.
— oratores et iudices 421.
— a latere 422.; nati 423.; missi 424.
Legifera potestas: R. Pontificis 301. sq.; Concilii: oecumenici 9. 537., particularis 12. 543. sq.; SS. Congregationum 348. 352. sq.; Legati pontificii 12. 422. sq.; Episcopi 454.; in Ordine religioso 12. 622. sq.
Lenitatis defectus facit irregularem 176.
Lex: natura, notiones, divisiones 4. 5.; subiectum activum 6. sq.; materia 13. sq.; subiectum passivum 18. sq.; promulgatio 23.; vacatio 24.; acceptatio 25.; confirmatio specifica et communis 26.; interpretatio 27. 28. (epikeia 29.).
Effectus legis: obligatio 30. sq.;

irritatio actuum 32. — Obligationis cessatio per exemptionem 34., excusationem 35., cessationem ab intrinseco 36., ab extrinseco 37.

Dispensatio in lege: notiones 38.; subiectum activum et passivum 39. sq.; causae requisitae 41.; cessatio 42.

Lex naturalis, mosaica, evangelica, ut fons iuris canonici 7.

Liber diurnus Cancellariae Romanae 73.

Libri *formularum, liturgici, poenitentiales,* ut fontes iuris canonici 58.

Librorum censura praevia 451.

— prohibitio 382. (cf. S. C. Indicis); ab Episcopo 452.

Litterae dimissoriales pro Ordinatione 135. 137.

— testimoniales pro Ordinatione 136.; pro ingressu in Religionem 582.

M

Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem solemnem 592.

Mendicantes Ordines 556.

Mensae titulus pro Ordinatione 155.

Mercedarii 556.

Metropolitae: origo potestatis 426. 430.; iura antiqua 432.; iura hodierna 434. sq. (cf. Pallium).

Militares Ordines 555.

Militia quomodo et quando inducat irregularitatem 175.

Minimi 556.

Missae applicatio: ab Episcopo 443.; a parocho 513.

Missio canonica 114.

Mixtae legis natura 5.; obligatio 31.

Monachi 553. 563.

Monasterium 572. sq.; (cf. domus religiosa).

Mutilatio facit irregularem 186.

N

Natales legitimi pro beneficio 228.; illegitimi inducunt irregularitatem 170 sq.

Negotiis Eccles. Extraordinariis (S. Congr. pro); origo et actualis competentia 390.; constitutio 391.

Nominatio regia ad beneficia 240. sq.

Nomocanon 58.

— Photii 65.

Novitiatus duratio, suspensio et interruptio 585. 645. sq.; locus 586.; disciplina 587.

Novitiorum obligationes et iura 588.; bonorum dispositio 589. (cf. Religiosi); confessiones 648.

Nullitas professionis religiosae 595.

Nuntii Apostolici 424. (cf. Legati).

O

Obedientia canonica beneficiati 275.

— religiosa 603.

— ut titulus Ordinationis 155.

Officia Curiae Romanae 407. sq. (cf. Cancellaria, Dataria, Secretaria Status etc.).

— ecclesiastica (cf. Beneficia).

Officiales Curiae Romanae 344.

Officii divini recitatio quomodo urgeat beneficiatos 274., Episcopos 443., parochos 513.

Officii (S. Congr. S.) origo 357.; constitutio 358.; competentia 359.; obligatio secreti 360.

Onera nova beneficio non imponenda 219. 220.

Optio inter Cardinales 342. 650.

— in Capitulo 492. (in nota).

Oratoria privata et visitatio Episcopi 467. (in nota).

Oratoriani 559.

ORDINATIONIS materia et forma 121. sq.

Minister Ordinationis validae: ordinarius 126.; extraordinarius 127.; Ordinationis licitae: notiones et notae historicae 128. 129.; ex titulo originis 130., domicilii 131., beneficii 132., familiaritatis 133., incardinationis 134.

Subiectum Ordinationis: validae 148.; licitae 149.

Tituli Ordinationis: notiones 150.; notae historicae 152.; tituli: beneficii 152., patrimonii 153., pensionis 154., subsidiarii 155., paupertatis pro Religiosis 156.

ORDO: hierarchia Ordinis et iurisdictionis 114.; notiones et divisiones 115.; tonsura et Ordines minores 116.; subdiaconatus 117.; diaconatus 118.; presbyteratus 119.; episcopatus 120.

Materia et *forma* singulorum Ordinum 122.

Collatio Ordinum: praeparatio proxima 141.; scrutinia 142.; exercitia spiritualia, ieiunium 143.; ritus 144. (remissive); locus 145.; tempus 145.; interstitia 146.; furtiva collatio et per saltum 147.

— requisitus pro beneficiis 226.

Ordinis usurpatio facit irregularem 178.

P

PALATIUM episcopale: sacellum ibi erectum 472.

PALLIUM: natura 436.; origo 437.; significatio 438.; collatio 439.; usus 440.

PANDECTAE Iustiniani 76. sq.

PAROCHIA: definitio 506.; erectio 510.; collatio 511.; concursus Tridentinus 512.

PAROCHUS: definitio 505.; divisiones 508.; notae historicae 509.; obligationes et iura 513.

PASSIONISTAE 558.

PATRIARCHAE: origo 426. 428.; iura antiqua 432.; iura hodierna 433.

— minores 431.

PATRIMONIUM, titulus Ordinationis 153.

PATRONATUS (cf. Iuspatronatus).

PATRONUS: iura et obligationes 256. sq.

PAUPERTAS, ut titulus Ordinationis 156.

— religiosa: eius obligationes 600.

PECULIUM apud Religiosos 601.

PENSIO, ut titulus Ordinationis 154.

— quomodo imponi valeat beneficio 220.

PEREGRINI, an subiecti sint legibus particularibus 22.; an parochis 507.

PERFECTIO: obligatio Religiosi ad eam tendendi 598.

PERMUTATIO beneficii 284. sq.

PERSONATUS in Capitulis 488.

PETRI (S. Cong. Fabricae Sancti P.) 394.

PHOTII Collectio 65.

PIA loca et opera quomodo visitationi Episcopi subsint 467. sq.

POENALIS legis natura 5.; effectus 31.

POENITENTIARIA Apostolica: origo 396.; constitutio 397.; actualis competentia 398.; modus ad eam recurrendi eiusque mandata exequendi 399.

POENITENTIARIUS Maior (Cardinalis) 396.

— (canonicus) 491.; dotes requisitae 229. (in nota).

POENITENTIARII minores 397.

PONTIFEX Romanus: eius electio: potestatis transmissio 291.; per-

sonae designatio 292.; notae historicae 293. sq.; disciplina vigens 295. sq.; electores 296.; eligibiles 297.; forma electionis 298.; acceptatio et coronatio 299.

Potestas eius in genere 300. (remissive); in specie: p. legifera: eius amplitudo 301., indefectibilitas 302., exercitium 303.; p. administrativa 304.; p. quoad beneficiorum erectionem 211., unionem 216., collationem 262. sq., vacationem 283. sq. (cf. Beneficia); p. iudicialis 305.; p. coercitiva 306.; p. libere communicandi cum fidelibus 307. (cf. Legati).

Constitutiones R. P. 308. sq.; Bullae 310.; Brevia et Litterae Apost. 311. Encyclicae 309.

Rescripta R. P. 312. sq. (cf. Rescripta).

Iura honorifica 317.

Immunitas personalis 318. sq. (cf. Immunitas).

Potestas temporalis 324. sq. (cf. Dominium temp.).

Possessio beneficii quomodo obtineatur 270.; annua, triennalis quid iuvet 271.

Postulatio Praelatorum 237. sq.; solemnis 238.; simplex 239.; eius admissio 261.

Potestas iurisdictionis (cf. Iurisdictio).

— R. Pontificis, Episcopi etc. (cf. R. Pontif. etc.).

Praeceptum quomodo a lege differat 4.

Praedicatio, ut obligatio Episcopi 447., parochi 514.

Praelati in Curia Romana 344.

— potestate quasi-episcopali gaudentes 478. sq.

— «Nullius» 484.

Praelati in Ordinibus religiosis 625.

Praepositus in Capitulo 491.

Praescriptio, ut modus acquirendi iuspatronatus 250. 251.

Praesentatio 257. sq. (cf. Iuspatronatus).

Praesumptio: (lex fundata in p.) 31.

Praeventio in collatione beneficii 266.

Presbyteratus Ordo 119.; materia et forma 122.

Primates: origo potestatis 426. 429.; iura antiqua 432.; iura hodierna 433.

Privatio beneficii 287.

Privilegia: notiones et divisiones 50. 51.; concessio 52.; usus et renuntiatio 53.; interpretatio 54.; cessatio 55.

— Cardinalium, Episcoporum etc. (cf. Cardinales etc.).

Processus informativus pro collatione episcopatus 231.

Procuratio Episcopo visitanti debita 470.

Procuratores Episcoporum aut privatorum apud Curiam Romanam 356.

Professio fidei: beneficiatorum 273.; canonici 497.; Episcopi 443.; parochi 513.

— religiosa: notiones 548. sq.; emissio 590. sq.; effectus 591. sq.; nullitas 595.

Promotio Religiosi ad dignitates 614.

Promulgatio legis 23.

Propaganda (S. C. de P. Fide): origo 372.; constitutio 373.; competentia 374.; modus procedendi 375.

— pro negotiis Rituum Orientalium 376. sq.

Coetus et commissiones adnexae 378.

Protonotarii Apostolici 408.
Provisio beneficiorum 224. sq. (cf. Beneficia).
Pseudo-Isidori Decretales 69. sq.

Q

Qualificatores apud S. Officium 358.
Quasi-domicilium facit subiectum legis 20.; facit parochianum 507.
Quasi-inspiratio in electionibus 235.; in electione R. Pontificis 298.

R

Raymundus a Penaforte (S.) auctor Collectionis Gregorii IX. 87.; Poenitentiarius 396.
Redemptoristae 558.
Reditus superflui beneficiatorum 276.
Regens S. Poenitentiariae 397.
Regesta pontificia 59.
Regimen internum et externum Religiosorum 621. sq. (cf. Religiosi).
Reginonis Prumensis collectio 73.
Regulae Cancellariae Apost. 102.
— Religiosorum quatuor praecipuae 564.
— obligatio pro Religiosis 599.
Regulares (cf. Religiosi).
Relatio ab Episcopis praestanda de statu dioecesis 445.
— ab Instituto religioso praestanda 628.
Religiosi (S. C. negotiis Religiosorum sodalium praeposita): origo et constitutio 370; competentia 371.
— Status religiosi natura 546. sq. vota et professio religiosa 548. sq.; origo et historia 551. sq.; variae formae (Ordines, Congregationes, Piae Sodalitates) 561.
Approbatio Institutorum religiosorum 566. sq.; innovatio 270.; extinctio 571.
Erectio domus religiosae 573. sq.; innovatio 575.; suppressio 576.
Ingressus seu admissio: conditiones in admittendis requisitae 578. sq.; potestas admittendi 581.; formalitates 582.
Novitiatus 584. sq.: duratio 585.; locus 586.; disciplina 587.; obligationes et iura novitiorum 588; bonorum dispositio 589.
Professio simplex: emissio 590.; effectus 591.; — professio solemnis: emissio et effectus 592.; — ius admittendi ad prof. 593.; renovatio professionis 594.; eius invaliditas 595.
Obligationes Religiosorum: tendendi ad perfectionem 598., observandi Regulam 599.; — obligatio ex voto paupertatis 600., castitatis 602., obedientiae 603. 647.; — obligationes ex lege ecclesiastica 604. sq.: quoad habitum 605., chorum et Missam 606., clausuram 607.
Iura et privilegia 608. (remissive). — *Ordinatio* Relig. 156. 649.
Egressus 609. sq.: liber et licitus per dispensationem a votis 611., saecularizationem 612., transitum ad aliam Religionem 613., promotionem ad dignitates 614.; illicitus per apostasiam aut fugam 615.; coactus per eiectionem aut dimissionem 617. sq. — Religiosi dispersi 616.
Regimen internum per Capitula 623. sq.; per Superiores 625. sq.; administratio bonorum 628.; visitatio domorum 628.; (confessiones 626. 648).
Regimen externum 629. qs.; ha-

bitudo ad Episcopos 632. — Exemptio: notiones 629.; historia 630.; convenientia et utilitas 631; iura Episcopi in exemptos et non exemptos 633.
Renovatio votorum quid efficiat 594.
Renuntiatio beneficiati 282. sq.; Episcopi 474.
— bonorum a novit. 589., a prof. 600.
Rescripta pontificia 312. sq.; definitio et divisio 312.; conditiones requisitae 313. sq.; executio et interpretatio 316.
Reservatio beneficiorum 263 sq. (cf. Beneficia),
Residentia beneficiati 277.; canonici 497.; Episcopi 444.; parochi 513.
Resignatio beneficii 282. sq.; episcopatus 474.
Responsa SS. Congreg. quoad vim et valorem 352. sq.
Rituum (S. Cong.): origo 384.; constitutio 385.; competentia 386.; exercitium potestatis 387; valor Decretorum et Responsorum 387.
Rosarii (Confraternitas SS.) 644.
Rota Romana (S.): origo 400.; constitutio 401.; competentia 402.; modus iudicandi 403.

S

Sacramenta: iura Episcopi 471.; parochi 515.
Sacramentorum (S. C. de disciplina) origo et constitutio 365.; competentia 366.
Saecularizatio Religiosorum 612.
Scapularia 644.
Schisma inducit irregularitatem 180.
Scholae et Episcopus 448.
Scholarum piarum Clerici (Scolopi) 557.
— — Fratres 558.
Scholasticus in Capitulo 491. (in nota).
Scientia requisita in beneficiatis, canonicis, Episcopis, Vicario capitulari, etc. 229.; in parochis 511.; in Vicario generali 522.
Scriptura Sacra, ut fons iuris canonici 7. 59.
Scrutinium in electionibus 235.; in electione R. Pontificis 298.
— pro Ordinatione 142.
Secretaria Brevium ad Principes 416.
— litterarum latinarum 416.
— Status: origo 414.; constitutio et competentia 415.
Secretarii SS. Congreg. 346.
Seminaristicum (subsidium) 220. 473.
Servitae B. M. V. 556.
Servitium in ecclesia aut dioecesi, titulus Ordinationis 155.
Signatura Apostolica: origo 404.; constitutio 405.; competentia 406.
— gratiae 404.
— iustitiae 404.
Signaturae Praelati apud S. Poenitentiariam 397.
Simonia quoad electionem R. Pontificis 297.; adeptionem beneficii 199. (remissive); ingressum in Religionem 583.
Societas Jesu 557.
Sodalitates piae 559. (cf. Religiosi); 644. (cf. Confraternitates).
Somaschi 557.
Sorores a Caritate 559.
Status clericalis, laicalis, religiosus (cf. Clerus, etc.).
Statuta synodalia 464.
Stolae iura quoad parochum et vicarium 532.
Studiorum (S. Congr.) origo et constitutio 392.; competentia 393.

Stylus Curiae quid sit 45.; quem habeat valorem 353.
Subdiaconatus 117.; eius materia et forma 122.
Subsecretarii in SS. Congregationibus 346.
Subsidium caritativum, cathedraticum, seminaristicum etc. 220. 473.
Substituti in SS. Congregationibus 346.
Successio quoad iuspatronatus acquirendum 253. sq.
Suffraganei Episcopi 441.
Suffragatio in electionibus 235.
Superflui reditus beneficiati 276.
Superiores religiosi 625. sq.; (cf. Religiosi).
Suppressio beneficii 222.
— Instituti religiosi 571.; domus religiosae 576.
Suspensio potestatis Episcopi 477.
Synodus (cf. Concilium).
— dioecesana 458. sq.; natura et utilitas 459.; notae historicae 460.; ius convocationis activum 461., passivum 462.; celebratio 463.; constitutio examinatorum, consultorum, testium, iudicum 464.
Statuta synodalia 464.

T

Taxa innocentiana 473.
Tertii Ordines: definitio et divisio 634.; origo 635.; fundatio 636.; cooptatio, gubernatio et privilegia membrorum 637. 649.
Testamentum clerici 276.; Religiosi 589.
Testes synodales 464.
Testimoniales litterae pro Ordinatione 136.; pro admissione in Institutum religiosum 582.
Theatini 557.
Theodosianus Codex 75.
Theologus canonicus 491.; dotes 229. (in nota).
Titulus cardinalitius 334.
— pro Ordinatione ex parte ministri 130. sq.; ex parte Ordinandi 150. sq. (cf. Ordinatio).
— relate ad iurisdictionem 199. 200. (verus, falsus, coloratus).
Tonsura 116.
Traditio divina, ut fons iuris ecclesiastici 59.
Transitus ad aliud Institutum religiosum 613.
Translatio beneficii 223.; beneficiati 286.; Episcopi 475.
Tribunalia Curiae Romanae 395. sq.; (cf. Poenitentiaria, S. Rota, Signatura Apost.).
Tridentinum Concilium, ut fons iuris 103.; eius Decreta an consuetudine abrogari possint 48.
Tridentinus concursus pro parochia 512.
Trinitarii 556.

U

Unio beneficiorum 213. sq.
Usus forensis 45. (cf. Stylus curiae).

V

Vacatio beneficiorum 279. sq. (cf. Beneficia).
Vagi, an subiecti legi particulari 22. (de peregrinis); an parocho 507.
Vicarius in genere 516.
— Urbis (Cardinalis) 479. sq.
— Apostolicus 481.: in locis missionum 482.; extra loca missionum 483.
— capitularis: designatio et dotes 502.; potestatis eius natura et exercitium 503., cessatio 504.
— foraneus: notae historicae 527.; potestas 528.

VICARIUS generalis: notae historicae 518.; munus hodiernum 519.; designatio personae et dotes 520. 521.; potestatis ambitus 522. sq., exercitium 524.; iura honorifica et utilia 525.; cessatio potestatis 526.
— in pontificalibus 517.
— parochialis in genere 529.: administrator parochiae 530.; curatus 531.; parochi adiutor 532.
VISITATIO dioecesis 465. sq.; scopus 465.; subiectum activum 466.; personae et res subiectae visitationi Episcopi: iure proprio 467., iure delegato 468.; procuratio debita Episcopo 470.
VISITATIO ss. Liminum 445.
— domorum religiosarum 628.
VOTA religiosa: notiones et divisiones 548.; obligationes ex voto paupertatis 600., castitatis 602., obedientiae 603.; dispensatio a votis 611.; votorum renovatio 594.

INDEX ANALYTICUS

PROOEMIUM . . . . . PAG. 5

TRACTATUS PRIMUS SEU PROLEGOMENA

De fontibus iuris canonici

PRAENOTANDUM. . . . . » 9

PARS PRIMA

De fontibus essendi iuris canonici

Sectio I. De legibus in genere

ARTICULUS I. De natura, notionibus et divisionibus legis. . » 11
ARTICULUS II. De auctore seu subiecto activo legis . . . . » 13
ARTICULUS III. De obiecto seu materia legis. . . . . » 18
ARTICULUS IV. De subiecto passivo legis . . . . . » 21
ARTICULUS V. De promulgatione, vacatione et acceptatione legis . . . . . » 25
ARTICULUS VI. De confirmatione legis . . . . . » 27
ARTICULUS VII. De interpretatione legis et de epikeia . . . » 29
ARTICULUS VIII. De effectibus legis . . . . . » 31
ARTICULUS IX. De causis quae legis obligationem tollunt . . » 35
ARTICULUS X. De dispensatione legis . . . . . » 38

Sectio II. De legibus ecclesiasticis in specie

PRAENOTANDUM. . . . . » 42
ARTICULUS I. De consuetudine . . . . . » 44
ARTICULUS II. De privilegiis . . . . . » 49

PARS SECUNDA

De fontibus cognoscendi iuris canonici

ARTICULUS I. De fontibus cognoscendi in genere . . . . Pag. 55
ARTICULUS II. De collectionibus chronologicis genuinis. . . » 60
A. De collectione Dionysii Exigui . . . . . » 60
B. De collectione Hispana. . . . . » 62
C. De collectione Photiana . . . . . » 64
ARTICULUS III. De collectionibus spuriis saeculi IX. . . . . » 65
A. Capitularia Benedicti Levitae. . . . . » 66
B. Capitula Angilramni Metensis . . . . . » 67
C. Decretales Pseudo-Isidori . . . . . » 67
ARTICULUS IV. De collectionibus Pseudo-Isidoro posterioribus. » 73
Appendix. De collectionibus Iuris Romani . . . . . » 74
ARTICULUS V. De Corpore iuris canonici. . . . . » 78
A. Decretum Gratiani . . . . . » 79
B. Decretales Gregorii IX. . . . . » 85
C. Liber Sextus . . . . . » 91
D. Clementinae . . . . . » 93
E. Extravagantes et Extravagantes Communes. . » 94
ARTICULUS VI. De fontibus « Corpore iuris canonici » posterioribus: de Concordatis, Regulis Cancellariae, Decretis Tridentinis . . . . . » 96
ARTICULUS VII. De collectionibus non authenticis: de Bullariis, de collectionibus Conciliorum et Decretorum SS. Congregationum. . . . . » 99

TRACTATUS SECUNDUS

De Personis ecclesiasticis

PROLEGOMENON. DE STATU LAICALI ET CLERICALI. . . . . » 106

PARS PRIMA

De Hierarchia Ordinis

ARTICULUS I. De discrimine et connexione inter hierarchiam Ordinis et iurisdictionis . . . . . » 110
ARTICULUS II. De natura Ordinum et de variis Ordinibus . . » 112

Articulus III. De materia et forma S. Ordinationis . . . . Pag. 117
Articulus IV. De ministro S. Ordinationis tum validae tum licitae . . . . . » 119
Articulus V. De ipsa collatione et susceptione Ordinum . . » 127
A. De proxima praeparatione. . . . . » 127
B. De ritu, loco, tempore, interstitiis. . . . . » 129
Articulus VI. De subiecto S. Ordinationis tum validae tum licitae et de titulis Ordinationis (beneficii, patrimonii, pensionis, mensae, etc., paupertatis) » 131
Articulus VII. De irregularitatibus
I. De irregularitatibus in genere. . . . . » 136
II. De irregularitatibus in specie
A. De irregularibus ex defectu . . . . . » 143
ex defectu in corpore . . . . . » 144
» » in anima . . . . . » 145
» » libertatis . . . . . » 146
» » natalium . . . . . » 146
» » Sacramenti (bigamia) . . . . » 149
» » famae . . . . . » 150
» » lenitatis . . . . . » 152
B. De irregularitatibus ex delicto . . . . . » 153
iteratio Baptismi . . . . . » 154
usurpatio Ordinum . . . . . » 154
violatio censurae . . . . . » 155
haeresis. . . . . » 155
homicidium . . . . . » 156
Articulus VIII. De iuribus et obligationibus clericorum (remissive) . . . . . » 159

PARS SECUNDA

De Hierarchia iurisdictionis

Sectio I. De iurisdictione in genere

Articulus I. De notionibus et divisionibus iurisdictionis. . . » 162
Articulus II. De collatione iurisdictionis . . . . . » 168

Sectio II. De officiis et beneficiis.

Articulus I. Notiones . . . . . » 174
Articulus II. De erectione officiorum et beneficiorum . . . » 179
Articulus III. De innovatione officiorum et beneficiorum. . . » 183
De unione et incorporatione . . . . . » 183
De divisione . . . . . » 186

De dismembratione . . . . . Pag. 187
De novi oneris impositione. . . . . » 187
De transformatione, cessatione et translatione . » 189
Articulus IV. De collatione officiorum et beneficiorum . . » 190
I. De qualitatibus in collatario requisitis . . » 191
II. De personarum designatione. . . . . » 195
A. De electione . . . . . » 195
B. De postulatione . . . . . » 200
C. De nominatione et commendatione . . . . » 202
D. De praesentatione et iurepatronatus . . . . » 205
III. De collatione proprie dicta seu de institutione collativa tituli . . . . . » 216
De collationibus R. Pontifici reservatis (de reservatione, affectione, devolutione, praeventione, concursu) . . . . . » 217
De collatoribus inferioribus. . . . . » 219
IV. De adipiscenda possessione seu de institutione reali . . . . . » 221
Articulus V. De beneficiatorum obligationibus . . . . . » 223
Articulus VI. De beneficiorum vacatione . . . . . » 229
Appendix. De amotione administrativa parochorum. » 236

Sectio III. De variis gradibus hierarchiae iurisdictionis

Articulus I. De Romano Pontifice
A. De R. Pontificis electione. . . . . » 239
B. De exercitio potestatis R. Pontificis . . . . » 250
C. De Constitutionibus R. Pontificis . . . . . » 256
D. De Rescriptis pontificiis . . . . . » 259
E. De iuribus honorificis R. Pontificis . . . . » 264
Appendix I. De immunitate personali R. Pontificis. » 267
Appendix II. De dominio temporali R. Pontificis . » 275
Articulus II. De Curia Romana . . . . . » 285
A. De S. R. E. Cardinalibus. . . . . » 287
De Praelatis et aliis Officialibus Curiae Rom. . » 294
B. De SS. Congregationibus Cardinalium
I. De SS. Congregationibus in genere (quoad originem, naturam, competentiam, exercitium potestatis, vim et valorem Decretorum et Responsorum) . . . . . » 295
II. De SS. Congregationibus in specie
De S. Officio . . . . . » 307
De S. C. Consistoriali . . . . . » 311
De S. C. de disciplina Sacramentorum . . » 312
De S. C. Concilii . . . . . » 315

De S. C. super negotiis Religiosorum . . Pag. 319
De S. C. de Propaganda Fide et de Coetibus adnexis . . . . . » 324
De S. C. Indicis . . . . . » 325
De S. C. Rituum . . . . . » 328
De SS. CC. Caerimoniali, super Negotiis Eccles. Extraordinariis, Studiorum, Fabricae S. Petri . . . . . » 332
C. De Tribunalibus Curiae Romanae
De S. Poenitentiaria . . . . . » 335
De S. Rota Romana. . . . . » 339
De Signatura Apostolica . . . . . » 344
D. De Officiis Curiae Romanae . . . . . » 345
De Cancellaria . . . . . » 345
De Dataria . . . . . » 347
De Camera Apostolica . . . . . » 348
De Secretaria Status . . . . . » 349
De Secretariis Brevium, Litterarum Latinarum et de Coetibus Curiae adnexis . . . . » 350
Articulus III. De Legatis pontificiis
I. De munere Legati in genere . . . . . » 351
II. De Legatis in specie (a latere, natis, missis; de Nuntiis et Delegatis) . . . . . » 356
Articulus IV. De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis
I. De origine et potestate antiqua Patriarcharum etc. . . . . » 359
II. De hodierna potestate Patriarcharum etc. . » 364
Appendix. De auctoritate et usu pallii . . . . . » 367
Articulus V. De Episcopo
I. De munere Episcopi in genere . . . . . » 370
II. De Episcopi obligationibus et potestate in specie. . . . . » 372
A. B. De residentia et visitatione ss. Liminum . . » 372
C. De gubernatione dioecesis. . . . . » 375
Officium rectoris (praedicatio, catechismus) . » 376
Officium pastoris (censura praevia et prohibitio librorum). . . . . » 377
Officium rectoris (potestas legifera, administrativa, iudiciaria, coercitiva). . . . . » 380
D. De Synodo dioecesana. . . . . » 384
E. De visitatione dioecesis. . . . . » 390
F. De aliis officiis et iuribus Episcopi. . . . . » 394
G. De cessatione et suspensione potestatis Episcopi . . . . . » 398

Appendix. De aliis Praelatis qui potestatem episcopalem exercent . . . . . Pag. 401
I. De Cardinali Vicario Urbis . . . . . » 402
II. De Vicariis Apostolicis. . . . . . » 403
III. De Praelatis « Nullius » dioecesis . . . . » 406
ARTICULUS VI. De Capitulis canonicorum
I. Notiones. . . . . » 408
II. De Capitulorum erectione et constitutione . » 411
III. De Capitulorum et canonicorum iuribus et obligationibus . . . . . » 415
IV. De potestate Capituli cathedralis in administranda dioecesi, tum sede plena, tum sede impedita, tum sede vacante . . . . . » 420
De Vicario capitulari . . . . . » 423
ARTICULUS VII. De Parochis
I. Notiones. . . . . » 426
II. De parochiarum erectione et collatione; de concursu Tridentino. . . . . » 430
III. De parochorum obligationibus et iuribus . » 433
ARTICULUS VIII. De Vicariis
I. Notiones de Vicariis in genere . . . . . » 437
II. De Vicariis Episcoporum.
A. De Vicariis in pontificalibus et de Coadiutoribus Episcoporum . . . . . » 439
B. De Vicario generali . . . . . » 440
C. De Vicariis foraneis . . . . . » 447
III. De Vicariis parochialibus . . . . . » 449
Appendix. De Conciliis.
I. Notiones de Conciliis in genere. . . . . . » 453
II. De Conciliis oecumenicis . . . . . » 454
III. De Conciliis particularibus . . . . . » 458

PARS TERTIA

De statu religioso

ARTICULUS I. Notiones de statu religioso.
I. De natura status religiosi . . . . . » 463
II. De origine et historia status religiosi. . . » 466
III. De variis formis status religiosi. . . . . » 471
ARTICULUS II. De religiosorum Institutorum et domorum institutione, innovatione et extinctione.
I. De Institutorum approbatione, innovatione, extinctione . . . . . » 474

II. De domorum erectione, innovatione, suppressione. . . . . Pag. 477
Articulus III. De ingressu in Institutum religiosum . . . . » 480
I. De admissione. . . . . » 481
II. De novitiatu . . . . . » 487
III. De professione simplici et solemni . . . » 492
Articulus IV. De obligationibus et iuribus Religiosorum.
I. De Religiosorum obligationibus. . . . . » 495
II. De Religiosorum iuribus et privilegiis (remissive) . . . . . » 506
Articulus V. De egressu ex Instituto religioso.
I. Praenotanda . . . . . » 507
II. De egressu libero et licito.
Dispensatio a votis . . . . . » 508
Saecularizatio . . . . . » 510
Transitus ad aliud Institutum . . . . . » 512
Promotio ad dignitatem ecclesiasticam . . » 513
III. De egressu illicito per apostasiam aut fugam. » 514
IV. De egressu coacto per eiectionem aut dimissionem . . . . . » 515
Articulus VI. De regimine interno et externo Institutorum religiosorum . . . . . » 519
I. De regimine interno Institutorum . . . . » 520
II. De regimine externo et de exemptione . . » 525
Appendix. De Tertiis Ordinibus et Confraternitatibus.
I. De Tertiis Ordinibus. . . . . . » 532
II. De Confraternitatibus . . . . . » 534
Addenda ex recentioribus Decretis . . . . » 541

348.71
R 525
RIVET,L.
5989
AUTHOR
Institutiones Juris... Privati
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	NOV 7 1986	

5989